


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Digitized by Google


Digitized by Google



Digitized by Google

78-1-31


UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319420363

D 22235

Obsequio del Autor á la Biblioteca
de la Universidad Central de Madrid,
en testimonio de su amor á las letras,
por conducto del Comisario gral
de Agustinos Calzados Misioneros
de Filipinas

F. Manuel Diez Gonzalez

Digitized by Google

271
L 21 j

POSTREMA SÆCULA SEX

RELIGIONIS AUGUSTINIANÆ

IN QUIBUS

BREVITER RECENSENTUR

ILLUSTRIORES VIRI

AUGUSTINENSES

QUI SANCTITATE ET DOCTRINA FLORUERUNT

POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM

ANNO MCCLVI

AB ALEXANDRO IV

USQUE AD HÆC TEMPORA

PER FR. JOSEPHUM LANTERI LIGUR-LODANENSEM

AUGUSTINIANUM

TOLENTINI
Ex Typographia Guidoni
1858

Digitized by Google

PROTESTATIO

Inhaerens Urbani VIII. aliisque posterioribus decretis protestatur Auctor, res omnes, et singulas ecclesiasticas in hoc Opere contentas, quae S. Sedis auctoritate nondum probatae fuerunt, habendas esse tanquam opiniones privati hominis, totum librum Ecclesiae judicio humillime subjicientis.

Digitized by Google

FELICI LANTERI GERMANO FRATRI

Excipe tandem germane Felix, quas tibi pro innumeris mihi adhuc puero collatis beneficiis, re utique oblata exiguas, offerentis tamen affectu summas grates rependo. Cum enim mihi religiosam paupertatem professo nihil sit, quod tibi Massiliam, ubi nunc degis, dono mittam, ad mei erga te grati animi significationem ostendendam, hanc percommodam nactus occasionem, qua istud qualecumque sit, ingenioli mei opusculum praelo mandare statui, ejusdem, nomini tuo, nuncupatione, munerum defectum supplebo. Nam si ego laneis indutus, remotior a saeculi offendiculis, in tuta Religionis statione intra munitis-

Digitized by Google

sima Africani Ducis castra, miles Christi, laetus consisto, meque propterea omnium hominum felicissimum puto, siquidem nil melius optare, quemquam contentum facit, tantae felicitatis meae tibi Felix, praecipua causa debetur. Etenim illud mihi adhuc alte in mente defixum haeret, semperque quoad vixero altius haerebit, qualem nempe tu una cum alio germano fratre Jo. Baptista, postquam dira mors, matrem, multamque familiam, optimo viduarat parente, mei natu minimi tutelam, totiusque domus curam vere paternam suscepisti. Tunc tu nauticae peritissimus artis, nauclerus audax per Ausonium aequor, Propontiacum, atque Euxinum, immensumque Oceanum, minacibus undis vitam ipsam credebas, et ego periculis tuis domi securus, inter literarum studia adolescentiam degebam. O ni tu fuisses, forsitan a puero initum, monastici instituti capessendi votum flagrantissimum, minime unquam explere potuissem, sed forte adhuc inter Mundi vortices, fluctibus saevi maris jactatus, invitus fluctuarem! Ast tu ad peroptatum Religionis portum dux mihi fuisti, tu ipse, me, manibus tuis, ut ita dicam, in medio Augustinianae Eremi conserere voluisti, ipse ad tirocinium eunti comes, et vota profitenti spectator adfui-

Digitized by Google

sti, ipse tandem nedum omnem, siquando indigerem, opem mihi libens praebere, verum etiam minime indigo, ultro proferre numquam desiisti. Neque vero haec tua tantum in me benefacta, sed et aliud valde egregium facinus abs te ipso pro sorore patratum, nomen mihi tuum summopere commendant. Verum quid lacrymabilem nimium, funestissimumque casum oblitis commemorem? Gelidus pavor illum dum mente revolvo, omnia mihi adhuc membra pervadit, cunctique rigent horrore capilli. Summa hyems erat, atque furentibus aquilonibus tunc ut cum maxime frigus saeviebat, cum jam jam occassura die, Catharina soror nostrae deliciae domus, caeteris scholae stipata comitibus, ad puteum viridarii aquam haurire accedens, vestigio fallente, fortuito in aquas delabitur, statimque quasi lapis in profundum demergitur. Lapsum sororis cito agnoscens alia soror validis clamoribus replet omnia compita circum; excita confluit ad puteum conferta virorum mulierumque turba clamores augere, at nemo audet se deorsum immittere puellam quaerere sub aquis latitantem. Eras tunc illinc tu procul in templo Eucharisticam Benedictionem praestolaturus, cum repente piis Lodanensibus dum jam *Tantum ergo* canebatur, turma-

Digitized by Google

tim Ecclesiam introeuntibus, tu contra morem, forte fortuna egrediens, divino utique actus instinctu, domum reverti festinas. Audiens dum pergis ululantium sonitum, discis demersam in puteo sororem, ac dicto citius, galero duntaxat penulaque projectis, te in profundum praecipitem dedisti, e certae mortis faucibus Catharinam eripere. Heu quale tunc fuit formidandum illud temporis punctum! Altus puteus erat, atque fornice instructus angusto ore, imo autem latiori patebat, absidemque tangentibus aquis, haud facilis inde emergendi locus habebatur. Jamque die abeunte nox tenebris aerem obducebat, tuque de sub aquis exire diutius cunctabaris, nec vox tua, nec sororis, immo nec ullus aquae motus audiebatur. It tunc matris, fratrumque, meique septennis, aliorumque adstantium ad sidera clamor, lugentium omnium propter unam salvandam, perditos ambos. Ast tu de medio aquarum apparuisti tandem durus nuncius flendo dicens: non invenio eam. Eja, tunc enixius clamant omnes, eja Felix, salva sororem! Nec mora, quamvis tanto jam labore lassus, vitaeque imminens discrimen expertus, omnia propter sororem, vitamque ipsam parvipendens, iterum putei profunda petisti. Silent interea omnes, spe, metuque anci-

Digitized by Google

pites, navitatis tuae exitum expectantes. Cum ecce repente nunc quam antea felicior iterum e gurgite exurgis festive inclamans: apprehendi eam, auditaque simul puellae plorantis voce: io, diximus omnes, io Felix, salvasti sororem! Utique Felix tu salvasti eam, alioquin in imo putei procul dubio perituram. Quis enim alius quam frater hujusmodi tam arduum, tantique periculi opus unquam aggressus fuisset? Et quis alius frater nisi tui similis? Tu itaque verus es frater, tua vera est fraternitas, nam uti patet ex evangelicis eloquiis, majorem hac fraternitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro fratribus suis. Patere igitur amantissime frater, ut ego memor tantae fraternitatis tuae, tot expertus beneficia amoris tui, tantam miratus magnanimitatem tuam saltem hoc opusculum meum, in gratiarum actionem, inscribam nomini tuo. Ne dispicias, quaeso, oblationem meam, suscipe illam ambabus ulnis, quia exhibet devinctissimum cor redamantis fratris tui, quotidie tibi a Domino ad Aram precantis, ut sis re magis quam nomine Felix. Esto nunc, et in aevum. Vale.

Frater multo amantissimus
P. Fr. Josephus Lanteri Augustinianus.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD AUGUSTINENSES ALUMNOS



PROLEGOMENON

Vos non latet, optimae spei adolescentes, quantae Matris, solemni votorum sacramento, filii effecti sitis. Etenim amplissima procul dubio est, et originis antiquitate, et Institutoris dignitate, atque alumnorum praestantia, nulli prorsus secunda Augustiniana Religio, cui juramentorum vinculis, vosmetipsos filiorum nomine obstrinxistis. Quandoquidem ipsa a Protoparente Augustino anno tercentesimo octogesimo octavo, supra firmissimam tanti Capitis petram fundata, ex eo usque ad haec tempora per diuturnum quindecim saeculorum spatium, innumeros edidit praestantissimos doctrina, atque sanctitate viros, qui sui nominis fama repleverunt Orbem terrarum, et quorum celsitudini totus Mundus caput inclinat. Una est omnium non solum nostratum, verum etiam externorum consensio; Eremitanam Africani Patris Familiam, usque ad stuporem, usque ad miraculum, nullo non tempore, magnitudine excellentium virorum, atque multitudine floruisse. Non potest veritas abscondi super historiae fastigium posita, nec lux magna latere, qua Augustinianum Nomen divina Augustini face illustratum longe lateque refulget in Eccle-

Digitized by Google

sia Dei. Pleni sunt omnes libri, plenae doctorum voces, plenae ecclesiasticae, profanaeque literae, plenae accademiae, plena gymnasia, plenae bibliothecae, plena templa, plenaque monumenta, Augustinianorum laudibus, atque praeconiis. Apud unum Hieronymum Tiraboschi tantam reperietis de solis Italis Augustinensibus elogiorum congeriem, quae sufficere possit ad Eremitani Ordinis gloriam ad sidera usque extollendam. Quod si Italis exteri, quod si doctrina praestantibus, sanctitate celebres, quod si antiquioribus, recentiores quoque accenseantur, multo altius consurget jam satis superque confertus Augustinensium palmarum acervus. Ipsemet Benedictus IX. Romanus Pontifex: Augustiniana Religio, inquit, est *velut inaestimabilis altitudinis firmamentum multiplici siderum luce coruscans*, quae *universalem Ecclesiam, multis illustravit temporibus*. Leo X. Italiae decus, atque meritorum aequissimus aestimator, *Augustinianam Societatem* vocat *maximam et amplissimam, multoque gravissimorum, et doctissimorum hominum coetu, atque numero* praestantem. Sabellicus autem: *Eremitica Familia*, ait, *est adeo nobilis, ut inter christianae pietatis Ordines, et celebritate, et virorum fruge, nullo credatur inferior*. Videantur haec, et alia luculentissima testimonia apud Philippum Elssium. Quamobrem cum tanta sit Matris nostrae dignitas, et amplitudo, tantaque filiorum ipsius, fratrumque nostrorum gloria et excellentia, nemo profecto vestrum mihi succensebit, quod ego minimus sodalium meorum, non quidem huic muneri rite implendo, aut ornate scribendi scientia, aut eruditionis copia caeteris aptior, sed ideo potius forte audacior, quia obscuritatis meae bene conscius, siquid publici juris faciam nullam famae jacturam pertimesco, ante omnes in medium

Digitized by Google

nunc prosiliam electissimos quosque flores, qui apparuerunt in Eremo nostra, in sex fasciculos vobismetipsis exhibendos collecturus. Siquidem satius omnino est majorum gloriam utcumque narrare, quam penitus reticere. Huic itaque ego operi, quamvis caetoroquin perarduo, improbique laboris, perquam libentissime nunc manum admoveo, ac si Superi, hominesque faveant, haud dubito, non perfunctorie quidem, aut neglecte, sed majori qua potero, industria, atque diligentia, quatenus meae viriculae ferent perfecturum; nam siquid torporis, siquid desidiae, aut molestiae, vel etiam invito mihi inter agendum animo subrepet, excutiam illud statim, atque propulsabo iisdem, quibus ad onus suscipiendum impellor validis incitamentis, quae sunt nimirum et impensus, quo aestuo Augustiniani Nominis amor, et vestrum ipsorum, ornatissimi juvenes, de rebus nostris facilior eruditio, atque ipsius praeclarissimi viri, omnique observantia dignissimi P. M. Pauli Micallef Supremi nostrae Eremitanae Familiae Moderatoris vigilantissimi, ac Patris amantissimi, idem propositum habentis, propositi mei ingenua laudatio, atque ad hoc inopinato praestitum opportunum librorum praesidium. Verum mirari vos puto, qua ratione possim tam locupletissimam quindecim saeculorum segetem, omnigenamque florentissimorum germinum copiam, sex tantum fasciculis complecti. Ast admiratio vestra protinus exulabit a vobis, si quam animo jam delineavi, propositi mei rationem aliquantisper perpendere velitis. Siquidem certum mihi est non quidem universam nostri Ordinis historiam, sed postremam tantum ejusdem partem breviter transcurrendo, illustriores duntaxat, non vero singulos nostrates memoria dignos, laudandos seligere.

Digitized by Google

Nostra enim Augustiniana Religio perinde se habet, ac aureum quoddam candelabrum in medio Ecclesiae statutum, in duo pene aequalia latera, bina brachia protendens, fulgentissimis luminaribus instructa, quae hinc, et inde mirum in modum lucentia, splendidissimos sanctitatis, doctrinaeque radios quaquaversus effundunt. Hinc duplex emergit historiae nostrae partitio, cujus una pars ab Augustino usque ad magnam Ordinis unionem, altera vero ab hac unione usque ad haec tempora se extendit. Utraque de thesauris suis gemmas pretiosissimas hominum admirationi exponit, utraque sua ostentat praeclarissima ornamenta, suosque nobis exhibet gloriosissimos viros commendandos. Sic ut ex primaeva aetate quosdam tantummodo raptim recenseamus, primum omnium jure meritoque in medium proferimus Eremitani Ordinis Patrem, ac Fundatorem, eximium Ecclesiae Doctorem Aurelium Augustinum, cujus amplisssimam, ac propemodum infinitam sapientiam, atque praeeminentissimam vitae sanctitatem, universus Orbis stupens miratur, et quem omnium SS. Patrum facile principem, divina eruditione mirabilem, ingeniorum aquilam, lumen, solemque Doctorum, sedem, ac *nonplusultra* sapientiae, Theologorum ducem, Evangelicae Legis oraculum, viam morum tutissimam, gratiae, ac caritatis magistrum, praesidium, columenque catholicae veritatis, sanctae Dei Ecclesiae strenuissimum defensorem, ejusque munitiorem partem, ac validissimum propugnaculum, fulmen, ac malleum haereticorum, famosorum palmam certaminum, Conciliorum facem, linguam Spiritus Sancti, calamum Dei, ineffabilem Trinitatis scrutatorem, Fidei columnam, Religionis firmamentum, et siquid his dici potest majus, atque excellentius, Concilia, Pontifices

Digitized by Google

Patres, Doctores, omnesque scriptores, cunctaeque linguae, uno certatim ore, appellarunt, et appellant. Post Augustinum propter honoris summitatem primum locum obtinet S. Gelasius Afer, vir doctrina, atque pietate maxime clarus, qui e schola, et monasterio ipsius Augustini profectus, ex Africa propter vandalicam persecutionem Romam venit, ibique ad supremi Pontificatus apicem evectus Petri naviculam, ejectis hinc, et inde, profligatisque haereticis, admirabili prorsus dexteritate quinque annos gubernavit. Secundum excellentia meritorum sibi vindicat S. Fulgentius Ruspensis Antistes, nobili genere Carthaginensium Senatorum illustris, Ecclesiae Doctor insignis, Fideique Catholicae propugnator acerrimus, Jurisprudentia, graeco, atque latino eloquio valde eruditus; qui a Trasamundo una cum aliis sexaginta Africanis Episcopis in Sardiniam relegatus, eodem S. Patris Augustini corpus cum episcopalibus ornamentis transvehendum curavit, ibique exilii comitum Episcoporum, lingua, ingeniumque fuit, atque duo in urbe Calaritana, sicut et antea plura in Africa, Augustiniani Instituti, cujus et ipse professor erat, coenobia aedificavit. Tertio laudandus venit S. Possidius Calamensis Episcopus, Augustini contubernalis, auditor, et in Eremitico Instituto discipulus, eruditione, vitaeque sanctimonia conspicuus, atque Donatistarum debellator strenuissimus, qui et Crispinum eorumdem Antistitem publice disputando superavit, et in celeberrima Carthaginensi septem Catholicorum Episcoporum collatione una cum Magistro, de totidem Donatistis gloriosum triumphum egit. Sequitur S. Prosper Aquitanus, Rhegiensis in Aemilia Episcopus, Augustini discipulus, atque Augustinianae doctrinae invictissimus vindex, qui Semipelagianorum, S. Pa-

Digitized by Google

trem, ejusque sententias maledico dente carpentium procacitatem doctissimis editis apologiis ad silendum adegit, atque pro tuenda catholica veritate, metro, et soluta oratione, egregiam operam navavit. Proximus venit S. Alipius Tagastensis Antistes, atque Episcoporum Numidiae Primas, vitae integritate, castimoniae nitore, litterarum ornatu, atque obitis pro Fide catholica legationibus celebratissimus, Augustini individuus comes, discipulus et amicus, in baptismi, vitaeque monasticae susceptione socius, in certaminibus adversus haereticos commilito, ac demum in coelesti gloria consors. Accedit alter S. Patris collega, et alumnus S. Nebridius Carthaginensis, qui flagrantissimo verae sapientiae desiderio Augustinum Mediolanum usque secutus, post easdem cum illo dubitationum tempestates superatas, tandem una simul in tutissimum S. Matris Ecclesiae sinum se recepit, ac deinde magistrum ad Africam remeantem comitatus, ibidem sub Augustiniano cucullo continentissimam vitam duxit. Memoratu dignus est etiam S. Evodius, Uzalensis in Africa Episcopus, vir praestantis ingenii, atque doctrinae, qui post multas per varias Europae provincias peractas peregrinationes, ac datam militiae saeculari operam, tandem Fidem amplexus religiosae vitae institutum Augustino duce Mediolani suscepit, quocum ibidem aliquandiu commoratus Africam deinde simul repetiit, ubi ambo pariter in monasterio Hipponensi convixerunt. Nec praetermittendus S. Navigius, Augustini germanus frater S. Matris Monicae individuus itinerum comes, qui una cum fratre Mediolani monasticam vitam assumptam, in Africa postea exercuit, atque Augustino ad Episcopalem Cathedram sublato in regimine Hipponensis monasterii successit. His adjicere possem, nisi

Digitized by Google

statutae brevitatis angustiis prohiberer, S. Paulum Orosium, Hispaniae lumen fulgentissimum, qui annum apud Augustinum discipulus, et auditor commoratus postea in suam peninsulam reversus plura ibidem Ordini coenobia aedificavit; S. Gaudiosum Bitinensem Pontificem, qui a Genserico in exilium pulsus, una cum S. Agnello, eadem poena, ab eodem tyranno mulctato, extruxit prope Neapolim in Campania Augustinianae observantiae Neridanum coenobium, nec non S. Adrianum, virum sacrarum litterarum, graecae, latinaeque linguae peritia instructissimum, qui post Africanam Vandalorum devastationem eodem appulsus factus fuit praefati coenobii Antistes. Omitto etiam ne prolixior fiam, Affem Afrum, qui una cum aliis Augustinianis Ordinem in Aethiopiâ propagavit, S. Primasium Augustini discipulum, ejusque doctrinae addictissimum, SS. Martyres Martinianum, ac Saturianum, eorumque fratres, qui sub Genserico effuso pro Fide Christi cruore, Africanam Ecclesiam, atque Augustinianum Nomen illustrarunt, S. Patritium Hibernorum Apostolum, S. Columbanum insulae Sanctorum decus, eximium Fidei praeconem, multorum miraculorum patratorem, multorumque coenobiorum per Galliam, Italiamque fundatorem, S. Antoninum Fredelasii Appamiae in Gallia Regis filium, qui post multos pro justitia et Fide superatos agones, tandem capitis abscissione gloriosum martyrium consummavit, Benignum, et Carum Veronenses, ac demum ne sim infinitus S. Guilelmum Aquitaniae Ducem, ac Pictaviensem Comitem, admirandae poenitentiae praerogativa clarissimum, aliosque permultos, qui aut sanctitatis odore, aut doctrinae praestantia, aut zelo evangelicae praedicationis, aut vitae austeritate;

Digitized by Google

aut miraculorum patratione, aut dignitatum splendore, aut, uno verbo, martyrii palma, nedum Augustinianam Eremum, verum etiam Ecclesiam universam, ab Augustino usque ad Alexandrum IV. per novem saeculorum intervallum, summopere decorarunt. Verum ut quod est fatear, non omnia, quae a nostratibus de antiquioribus rebus nostris narrantur, externi omnes admittunt, quinimmo non desunt, qui eadem tanquam inanis gloriae, propriique Instituti amore excogitata commenta, cachinnis excipiant, affirmantes alii Augustinum numquam monachum, aut monachorum patrem fuisse, alii vero fuisse utique utrumque, at rem totam Augustinianam Vandalorum armis pessum penitus datam fuisse, ac propterea tanquam nuperos Augustinianos, spurios, nothosque nos habendos esse. Contra hujusmodi Augustiniani Nominis hostes non mihi est animus in aciem descendendi, pro aris, focisque pugnare, id enim multoties triumphalibus armis emunctioris naris nostrates praestiterunt. Attamen duo saltem hic raptim, obiterque monebo, nempe: primum Augustini monasticae vitae professionem, atque institutionem, extra omnem dubitationem poni ex S. Possidio, qui in vita S. Patris narrat quod ille ad Africam reversus, ferme triennio in agris propriis, alienatis a se curis saecularibus, cum iis, qui eidem adhaerebant, Deo vixit, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die, ac nocte, atque mentionem facit de quodam monasterio, quod (Hippone) per illum venerabilem virum (Augustinum) et esse, et crescere coeperat. Quare eruditissimus Card. Baronius tom. 4. ad an. 391. de eodem Augustiniano coenobio verba faciens, haec habet: *ex hac quidem plantatione accepti palmites longe la-*

Digitized by Google

teque diffusi tum in Africa, tum etiam in aliis plerisque Ecclesiis Occidentis fructu uberrimo locupletarunt Ecclesiam, ut plane videas ex hoc uno Augustini monasterio universam Catholicam Ecclesiam Africanam sanctis sacerdotibus, et monasteriis, (aliis ex aliis derivantibus) brevi tempore fuisse repletam etc. Alterum autem, Augustinianae Societatis usque ad Alexandrum IV. minime interruptam permansionem facto ipso unionis abunde demonstrari, nam praefatus Summus Pontifex non utique larvas, non phantasmata, non nihilum, sed praeexistentes Eremitas Augustinianos, quorum se suavi bonorum operum odore recreari profitebatur, in unum unius regiminis corpus collegit, inter quos quamvis Joanbonitae, ac Brictinenses recentioris essent aetatis, Augustiniani tamen proprie dicti, a quibus illi omnino differebant, antiquiores procul dubio erant; quos idcirco, nisi ipsorum origo Augustino posterior certis argumentis probetur, jure saltem possessionis, ut ajunt, quemadmodum cuilibet mente praejudiciorum experte cogitanti patet, praesumendum est, ab eo procul dubio continua successione Capite derivasse, cujus nomine appellabantur, eo vel maxime, quia certo certius omnino est, Augustinianos monachos ex Africa a Vandalis ejectos, ad Italiae insularumque adjacentium oras appulisse, ibique plura passim Augustiniani Instituti coenobia erexisse. Haec autem sint, ut inquiunt, per transennam dicta, nolo enim jam nimis tritam, atque obsoletam controversiam sub pluteorum pulvere, situque latentem ab orco revocare, atque iis valde implexis tricis me implicare, quibus extricandis quantumvis studium, atque diligentiam impendam, nil plane aliud proficiam, quam operam, oleumque perdam. Neque tamen suggestum, sententiam indicta causa

peremptoriam proferre, audacter ascendam, nam quo demum cumque me verterem, censoriam notam mihi inurendam nullimode profecto effugere possem, quippe si palmam nostratibus adjudicarem, eamdem partium studii insimulationem incurrerem; si vero adversariis manus victas darem, laesae professionis, desertique vexilli, valde probroso reatu me obstringerem. Litem igitur sub judice relinquo, ut unusquisque abundet in sensu suo; nam quamcumque de antiquioribus rebus nostris opinionem quisque sibi habeat, nostra istud nihil omnino interest, siquidem ex hominum opinione, prout in se sunt, res esse non desinunt; ac propterea sic, aut aliter opinentur, ut est veritas est. Quamobrem cum mihi certum sit ab omni contentione penitus abstinere, ut omnis quoque contentionis occasio mihi adimatur, ea omnia, quae adversarios patiuntur, aequo animo missa faciam, atque ut inoffenso pede ab omni impugnatione securus, in opere perficiendo procedam, ea tantum, quae apud omnes in confesso sunt, breviori stilo breviter attingam. Sartis itaque tectisque servatis, (summae enim temeritati obnoxius fierem, si talium virorum auctoritati vel etiam minimum quidem officere auderem) quae de primaeva nostra aetate egregie scripserunt Augustiniani sapientissimi, B. Aegidius Romanus, B. Henricus de Urimaria, B. Jordanus de Saxonia, Paulus Venetus, Ambrosius Coriolanus, Onuphrius Panvinius, Hieronymus Seripandus, B. Alphonsus de Orosco, Joannes Marquesius, Thomas Herrera, Christianus Lupus, Philippus Elssius, Aloysius Torellius, aliique permulti; ego nostrates qui in Eremo nostra floruerunt, non quidem singulos, sed ut superius innuebam, illustriores duntaxat laudaturus, primum gradum faciam a

Digitized by Google

generali Ordinis unione, unde Augustiniana historia majori apud omnes perspicuitate clarescere incipit. Sciendum quippe est, quod Ecclesiae saeculo tertiodecimo, tam intra, quam extra Italiam variae vigebant diversi nominis Eremitarum Societates, quae, ut utar Innocentii Papae IV. ipsissimis verbis, sicut oves errantes post gregum vestigia evagabantur, communi scilicet capite destitutae ac singulae a singulis, distincto sub diversis Moderatoribus regimine, divisae, atque sejunctae, quin unum idemque corpus mutui foederis glutino connexum, atque compactum constituerent. Praecipuae hujusmodi Eremitarum Societates Ordinis erant Augustiniani, quatuor nempe intra Italiae fines, una scilicet in Insubria, ad quam pertinebant etiam Augustiniani Eremitae in Romandiolae solitudinibus degentes; et haec alia erat a Congregatione Joanbonitarum, de qua inferius sermonem instituemus. Altera vigebat in Thuscia, quam anno 1243. Innocentius Papa IV. adjunctis aliis diversi Instituti Eremitis per Emum Richardum. S. Angeli Diaconum Cardinalem, primum constitutum Ordinis Protectorem, *in unum regulare propositum* (sub eodem Priore Generali) *conformari voluit, mandans, ut Regulam B. Augustini, et Ordinem assumerent, ac secundum eum profiterentur de caetero se victuros, salvis observantiis, seu constitutionibus ab ipsis faciendis, dummodo ejusdem Ordinis non obvient institutis.* Notent interea verba, et videant Augustinianum Ordinem Innocentio IV. antiquiorem, qui nos ab hoc Pontifice primitus institutos fuisse putant, Innocentianos propterea nos appellantes. Tertia extabat in Piceno, de Turri Palmae nuncupata, quae cum Brictinensi confundi nullatenus debet. Quarta demum de Montefollio dicta passim

Digitized by Google

per Regnum Neapolitanum diffusa erat. His accedunt aliae Augustinianorum Societates extra Italiam constitutae, quae proprio Generali obtemperabant, cujusmodi, exempli gratia, certo constat ex indubiis monumentis a Torellio allatis, eas fuisse, quae per Hispaniam, Lusitaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, atque Hiberniam propagatae erant, quae saltem duo magna, suo unumquodque Capiti subiectum, nempe Hispano-Lusitanum, atque Gallo-Anglicanum Augustiniani Instituti corpora conflabant. Inter hasce proprie dictas Augustinianas Societates recenseri etiam debent aliae quinque ejusdem Instituti Congregationes (quidam putant fuisse Ordinis S. Benedicti) S. Guilelmi nuncupatae, eo quia S. Guilelmus Aquitaniae Dux strictiorem quamdam observantiam in eas invexerat. Harum prima, S. Guilelmi nomine, in Hetruria potissimum vigebat, ejusque praecipuum coenobium situm erat in Stabulo Rhodis (sic vocabatur horrens quidam recessus Senensis ditionis) in quo Sanctissimus Eremita prima jecerat suae Reformationis fundamenta, atque summam vitae austeritatem cum coelestibus deliciis, meritissimam animam efflando, commutaverat. Altera a loco, ubi ei sedes erat, vocabatur S. Guilelmi de Urbeveteri, quae tamen jam ab anno 1228. indulto Gregorii IX. relicta Augustiniana, S. Benedicti Regulam amplexata fuerat. Tertia dicebatur de Monte Fabali (prope Pisaurum) quae et a Brictinensium, et a B. Joannis Boni Congregationibus omnino differebat, ut patebit inferius ex afferendis verbis ipsius Alexandri IV. in Bulla unionis. Aliae duae extabant ultra montes, una nempe in Germania, et altera in Gallia. Istae sunt antiquiores Augustiniani Instituti a legittimo stipite procedentes Congregationes; se-

Digitized by Google

quuntur modo recentiores, quae eidem stipiti decursu temporis insertae fuerunt. Inter has primus debetur locus illi, quam anno 1204. B. Joannes Bonus Mantuanus, accepta postea indulto Innocentii III. Regula, et habitu S. P. Augustini, Budrioli prope Caesenam instituit, et quae praecipue floruit in Insubria, et Romandiola. Altera et postrema est Brictinensis, sic dicta ab eremo Brictini prope Fanum, exorta anno 1227. cui Gregorius IX. Regulam S. P. Augustini concessit. Hisce omnibus Eremitarum Augustinensium Congregationibus, si adjunxeris Pauperum Catholicorum, qui a Pauperibus de Lugduno Valdensium haeretica labe infectis omnino discrepabant, Societatem in Insubria potissimum tunc florentem, fere integrum censum confeceris omnium membrorum, quae ad conflandum magnum Augustinianae Religionis corpus Alexandri IV. opera simul coagmentata fuerunt. Dixi fere integrum, nam praeter recensitas Congregationes, plurima etiam sive Augustiniani, sive alterius nominis Eremitarum coenobia separatim constituta, nullaque inter se regiminis communione conjuncta, passim tam in praefatis regionibus, quam in Germania, Hungaria, Graecia, Polonia, Dania, Svetia, aliisque Europae provinciis, atque in ipsa quoque Asia, nempe in Palaestina reperiebantur, quae omnia generalis unionis decreto ab Alexandro IV. comprehensa fuerunt. Nam videns SS. Dominus tantam monachorum in Eremis habitantium multitudinem, sine communi pastore per totum terrarum Orbem dispersam, statuit eos in unum Corpus sub eodem Capite redigere, ac sic redactos, ex eremis ad oppida, et civitates vocare, ut non solum oratione, sicut antea, (plurimum enim religiosi viri etiamsi in silvis lateant,

Digitized by Google

populos juvant orando) verum etiam ministerio verbi, ac mysteriorum Dei dispensatione, Fidelibus prodesse possunt. Haec Pontificem cogitantem, ad propositum jam a Gregorio IX. excogitatum, et ab Innocentio IV. incoeptum magnae unionis opus perficiendum, magis magisque excitavit admirabilis quaedam S. P. Augustini apparitio, quam nostrates BB. Henricus de Urimaria, et Jordanus de Saxonia, quorum primus eodem unionis saeculo, alter vero sequenti florebat, ea, qua viri Sancti solent, animi sinceritate descripserunt. *Nam tempore Alexandri IV.* (verba sunt B. Henrici de Urimaria in lib. de Orig. FF. Erem. etc.) *ut ipsemet testatus est, Augustinus eidem in visione apparuit, grandis quidem capite, sed membris exilis. Ex qua visione tamquam divino oraculo Papa commotus, univit Fratribus Eremitis S. Augustini plures alios Ordines similiter in eremis habitantes . . . . . In qua quidem visione B. Augustinus aperte ostendit, se esse verum caput, et verum patrem hujus Ordinis, et per consequens ipsos Fratres esse veros filios, et vera membra ipsius.* Alter vero, nempe B. Jordanus in Vitis Fratrum lib. I. cap. 14. ait *B. Augustinus volens dispersiones suae Religionis congregari, succedente ei* (Innocentio IV.) *in Sede Apostolica Alexandro IV. in visione apparuit ei, grandis capite, sed membris exilis, ex qua visione, velut divino oraculo Papa commotus unionem per Praedecessorem suum Dominum Innocentium inchoatam consummavit.* Hanc autem visionem minime respuit, imo etiam admittit S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus Ord. Praedicatorum, adeo ut jure meritoque nobis hic nunc liceat exclamare: quis dubitet, quin hoc verum sit, in quo tres tanti Doctores uno ore concordant? Expertus itaque Pontifex tribus

Digitized by Google

continuis noctibus eamdem visionem, viros ad se vocavit divinis litteris eruditos, ac pietate spectabiles, ab eisque sciscitatus quorsumnam monstrum illud spectaret, responsum a singulis accepit, per caput magnum innui magnum utique Augustinianae Religionis fundamentum esse Augustinum; at per membra exilia, corpus suum, idest fundatam ab ipso Religionem, per totum Orbem terrarum membratim rescissam, et acephalam, tanti Capitis magnitudini minime respondere. Hisce auditis novit statim Pontifex nequaquam negligendum esse, quod mirabili illa apparitione portendebatur; ac proinde absque ulla cunctatione jam praeconceptam animo Augustiniani Ordinis unionem omnimode perurgere coepit. Propterea, (aptabo narrationi, quoad potero, verba Bullae unionem confirmantis) ab eodem Pontifice mandatum Apostolicum emanavit, ut de singulis domibus, quarum quaedam S. Guilelmi, quaedam S. Augustini Ordinum, nonnullae autem B. Joannis Boni, aliquae vero de Fabali, aliae vero de Brictinis censebantur, et apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato ad Suam mitterentur praesentiam, quod Ipsius cura salubriter ordinaret, recepturi. Cumque fratres hujusmodi ad Sedem Apostolicam accessissent, coram Richardo S. Angeli Diacono Cardinali, quem negotio unionis perficiendo Sua Sanctitas deputaverat, in Generali Capitulo, in Urbe (in coenobio S. Mariae de Populo) celebriter congregato, nomine omnium a quibus fuerant destinati, et de communi Capituli ejusdem assensu, se, et domos suas, in unam Ordinis observantiam et vivendi formulam uniformem redigi, unumque ex eis ovile fieri, Generalis Prioris praesidentia gubernandum,

Digitized by Google

unanimiter consenserunt. Porro idem Cardinalis, Pontificii auctoritate mandati, vivo ad eum sermone directi, ac praedicti Capituli consensione suffultus, universas domos, et Congregationes ipsorum Fratrum in unam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem, et regularem observantiam counivit sub Generalis cura Prioris, canonice constituendi pro tempore, et ut novam ovilis Domini unionem universalis Capitis unitas consummaret, Fratrem Lanfrancum (Joanbonitarum Antistitem) in Generalem Ordinis ejusdem Priorem, et Patrem, Spiritus Sancti gratia invocata, praefecit, ac etiam prout a Pontifice specialiter in mandatis acceperat, confirmavit. Pontifex igitur praemissa omnia grata habuit, et rata, ipsaque auctoritate Apostolica confirmavit, ac praesentis scripti (haec omnia sunt fere ipsissima verba Bullae) auctoritate communivit. Insuper autem personas, et domos ipsorum sub BB. Petri et Pauli protectione suscepit, simulque decrevit, ut omnes domus Ordinum suprascriptorum, quarum Fratres juxta mandati sui formam ad suam praesentiam non venerunt, ipsi unioni, tanquam corpori membra inhaereant, et ad observantiam praedictorum omnium teneantur; alioquin sententiam, quam Prior Generalis, et Successores ejus rite tulerint in rebelles, ratam habiturus, et facturus (Auctore Domino) usque ad satisfactionem, appellatione remota, inviolabiliter observari. Faustissimis itaque hujusmodi auspiciis unione completa, statim praefatus B. Lanfrancus Septala uniti Ordinis primus Moderator Generalis constitutus, omni ope, atque opere eniti coepit, ut decretum Pontificis adamussim executioni mandaret, ac proinde missis in Galliam FF. Marco Ventono, et B. Petro Eugubino,

Digitized by Google

in Hispaniam Joanne Lombardo, et Paschasio Dareta, in Angliam BB. Albertino de Verona, et Guilelmo Senghamo, in Germaniam Guidone Salano, et Andrea Senensi, et alio aliis his similibus, sanctitate, ac prudentia spectatissimis viris, dispersa ubique locorum Eremitanae Familiae membra, in unum magnum Augustinianae Religionis Corpus sub se Capite collegit, in plures tamen amplissimas Provincias propriis Provincialibus subiectas, distributum. Hic tamen obiter notandum venit, quod Guilelmitae, pristini status mutationem aegre nimium ferentes, cito, nempe post quatuor circiter menses, eodem Pontifice Alexandro IV. indulgente, unioni se subduxerunt, et antiquas S. Guilelmi institutiones iterum receperunt, quamvis praecipua ipsorum coenobia jam copulata, unito Ordini remanserint. Tunc itaque, ut utar scripturali schemate, altiores egit radices Africani Patrisfamilias fructifera vitis, quae post plurima jam edita florentissima germina majus exinde incrementum accipiens, *implevit terram, operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei, extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Arbusta ejus cedros altissimos operientia ii sunt praestantissimi viri, qui post novellam illam plantationem in Augustiniana Eremo, mira doctrina, ac sanctitate omni tempore affatim floruerunt, quique meritissimam parentem, aliis, atque aliis meritis adjunctis, supra modum cumularunt. Palmites ejus usque ad mare pertingentes, illae sunt innumerae nostratum familiae, quae per totum terrarum Orbem in coenobiis amplius bis mille constitutae, in excolenda Augustiniana vinea tantopere desudarunt, atque ingenitae ipsius feracitati, uberrimam bonarum frugum copiam addiderunt. Propagines demum illius usque

Digitized by Google

ad flumen extensae, sunt eximiae illae Eremitani Instituti Congregationes, quae ex una Augustinianae Religionis arbore, veluti quidam vegetiores surculi, potissimum saeculo Ecclesiae decimoquinto, et deinceps, exortae, nova excellentium filiorum sobole Magni Augustini Ordinem amplificarunt, novoque praeclarissimarum virtutum splendore, amplissimam illius gloriam magis magisque illustrarunt. Tales fuerunt, v. g. insignes Congregationes Illicetana in Thuscia, S. Mariae de Monte Ortono in territorio Patavino, de Observantia in Hispania prope Vallisoletum, Saxoniae, Lombardiae, Perusiae, S. Mariae Consolationis Genuae, S. Joannis de Carbonaria Neapoli, aliaeque alibi, quae jam tamen ut plurimum penitus evanuerunt, quippe quae in generalí Ordinum naufragio gallicis perturbationibus inlato, fere omnes submersae fuerunt. Hujusmodi tamen posteriores Congregationes, nequaquam, quemadmodum illae antiquiores, communis Matris integritati, atque amplitudini per avulsionem offecerunt, fuerunt enim, et adhuc sunt, quae hactenus extant, veluti quidam magnae terebinthi longius quidem protensi termites, attamen ex uno eodemque stipite pendentes, atque eumdem ex eadem radice, quamvis per diversos meatus diversimode elaboratum, vegetationis humorem participantes, idest, quamvis sub peculiaribus statutis propriis Vicariis obtemperarent, cum Supremo tamen totius Ordinis Capite regiminis unitate conjunctae. Inter praefatas autem Congregationes recenseri etiam debet valde conspicuus (adhuc vigens) Excalceatorum Augustinensium Ordo, qui pariter ex Eremo nostra, Ecclesiae saeculo decimosexto prodivit, vel, ut quidam putant, per V. Thomam a Jesu, aurei libri de cruciatibus Christi, celebratissi-

Digitized by Google

mum auctorem, vel per alios quosdam piissimos nostrates Hispanos, qui illum in Mexico, quo ad Evangelium disseminandum, appulerant, ut ajunt, instituerunt, unde postea mirifice per Hispaniam, Galliam, Italiam, atque Germaniam potissimum propagatus fuit. Insuper post illam magnam Ordinis unionem, impletum fuit, quod superiori saeculo Joachimus Abbas Florensis Monasterii, Ordinis Cisterciensis ex Calabria oriundus, qui teste Divo Thoma Aquinate, de futuris aliqua vera praedixit, de Augustiniano Instituto vaticinatus fuerat dicens: *Surget Ordo, qui videtur novus, et non est, indutus nigris vestibus, et desuper zona pellicea: hi crescent, et fama eorum divulgabitur, et praedicabunt Fidem, quam et defendent usque ad consummationem, in spiritu, et virtute Eliae. Qui erit Ordo Eremitarum, aemulantium vitam angelicam, quorum vita erit quasi ignis ardens in amore, et zelo Dei, ad comburendum spinas, et tribulos, hoc est, ad consumendum, et extinguendum perniciosam vitam pravorum.* Praeclarum hoc vaticinium, quod simul est etiam amplissimum Augustiniani Ordinis elogium, ad eumdem Ordinem pertinere, nisi forte vitiato aliquo humore, ei oculi lippiant, nemo profecto est qui non videat, adeo enim propriis, germanisque notis illum indigitat, ut nihil apertius, nihilque manifestius desiderari queat, quemadmodum unicuique vel etiam leviter allata verba contemplanti, perspicue patet. Quapropter nedum nostrates, verum etiam externi scriptores, inter quos Natalis Alexander, de origine Eremitarum S. P. Augustini verba faciens, de Ordine nostro illud accipiunt. Non abs re igitur me facturum puto, si eidem vaticinio per partes breviter expendendo, aliquantulum operae impendam. *Surget*, inquit, *Ordo, qui videtur no-*

Digitized by Google

vus, et non est, idest, novus, propter novam unionem, non novus, propter antiquissimam ab Augustino originem, et ejusdem S. Patris aureae Regulae professionem. *Hi crescent*: Augustiniana Religio post generalem unionem, ita longe lateque per totum Orbem terrarum propagata fuit, ut ad duo coenobiorum millia pertigerit, quae triginta Coenobitarum millia incolebant. *Et fama eorum divulgabitur*: quantam Augustinenses Eremitae apud omnes doctrina, atque sanctitate, gloriam sibi compararint, totus Mundus agnoscit, splendidissima excellentium Augustinianorum nomina, in omnium ore versantur. *Et praedicabunt Fidem*: sufficit oculos conjicere in Historiam Missionum Henrion, et *Americam Hispanicam* legere Emi Baluffi, ut luce meridiana liqueat, quantum Augustini discipuli, flagrantissimum magni Protoparentis apostolicum zelum aemulantes, ubique gentium ad regnum Dei praedicandum, Fideique spatia dilatanda, adlaborarint. Habet ipsa quoque Augustiniana Familia Apostolos suos, qui per multos labores, ac sanguinis effusionem, plurimas dispersas oves, ad ovile Dominicum adduxerunt. Nota sunt omnibus, praeclarissima nomina, V. Alphonsi a Vera-Cruce, qui post illustratam multo scientiarum splendore Mexicanam provinciam, simul cum aliis viginti quatuor Augustinianis, ad Orientales Indias, in insulas Philippinas navigavit, Fidemque primus omnium in illas invexit; B. Didaci Ortiz Peruanae provinciae Protomartyris, nec non, bis, ante, nempe, et post martyrium, uti notat laudatus Emus Baluffi, illius gentis Apostoli; B. Antonii de Roa, qui suavissimo bonorum operum exemplo, ac indefesso verbi Dei ministerio, magnum Mexicanorum numerum Ecclesiae aggregavit; V. Petri de Castillo, eadem

Digitized by Google

patria, eodem zelo, iisdem laboribus, iisdemque virtutibus, praefato B. Antonio de Roa, haud absimilis; Joannis Ramirer, qui quinquaginta, et septem evangelicae praedicationis, annis, miraculis etiam non semel comprobatae, innumeram Peruanorum multitudinem Christo lucrifecit, B. Hieronymi Ximenez, insignis pietate viri, multisque miraculis clari, qui terras fere omnes evangelica praedicatione peragravit, quemque Orientales Indi, Apostolum suum merito vocant; unus enim fuit ex primis, qui sublato idolorum cultu, signum Crucis in tam dissitis regionibus statuerunt; ac tandem, ne sim prolixior, V. Alexii Menesii Goensis Archiepiscopi, ac Indiarum Lusitaniae subjectarum, ipsiusque Lusitaniae Proregis, viri animarum zelo post Apostolos, nulli secundi, qui in sua Goensi Dioecesi quadraginta parochias erexit, multosque Catholici Nominis hostes, sive haereticos, sive mahumetanos, armis etiam debellavit. Omitto alios quamplurimos, quorum vita revera fuit quasi ignis ardens in amore, et zelo Dei, ad comburendum tribulos, et spinas infidelitatis, juxta praefati V. Joachimi vaticinium. Nec dum tamen hujusmodi vehemens propagandae Fidei ardor, in Augustinianorum pectore extinctus fuit; hodieque enim adhuc Eremi nostrae cultores passim per Orbem terrarum, multos evangelicae messis manipulos, in agro coelestis Patrisfamilias colligunt; hodieque adhuc tum in America sub Duce Fr. Patritio Moriarty, tum in insulis Philippinis sub Augustinianis Episcopis, tum in Australia sub nostrate Episcopo Fr. Alipio Goold, tum demum alibi, Eremitani Fratres, amplificando Regno Dei sedulo incumbunt. *Quam et defendent usque ad consummationem in spiritu, et virtute Eliae.* Ex his verbis conjici potest, Au-

Digitized by Google

gustinianam Familiam; usque ad consummationem saeculorum perventuram, ad defendendam, scilicet, Catholicam Fidem, in spiritu, et virtute Eliae, contra iniquissima machinamenta pseudochristi, et pseudoprophetarum ejus. Hoc autem nos futurum speramus, meritis potissimum Sanctorum omnium, quos ipsamet, omni tempore turmatim coelestibus sedibus intulit, inter quos ut ex iis tantum qui post magnam Ordinis unionem ad Superos evolarunt, quosdam memoria digniores recenseamus, praecipuam laudem merentur *S. Nicolaus Tolentinas, S. Thomas a Villanova, S. Joannes a S. Facundo, BB. Augustinus Novellus, Simon de Cascia, Antonius ab Amandula, Antonius de Patritiis, Clemens a S. Elpidio, Petrus Jacobus de Pisauro, Philippus de Placentia, Antonius Turrianus, Joannes de Reate, Petrus, atque Joannes Becchetti, Andreas de Monte Regali, Gundisalvus de Lagos, Gregorius de Veruculo, Petrus Eugubinus, Hieronymus de Recineto, Ugolinus Zephirinus,* ac tandem *Simon de Tuderto,* quibus addi possunt *Joannes Benus Mantuanus, et Evangelista, ac Peregrinus Veronenses,* qui tres postremi, etsi non post completam unionem, tamen eadem incoepta, aut saltem jam incoeptu proxima, in Eremo nostra floruerunt. Omitto alios innumeros, quorum cultus, quemadmodum istorum, publico Ecclesiae decreto nondum est confirmatus, quamquam vel a populo venerationem, vel a scriptoribus beatorum, aut venerabilium titulum obtineant. Hinc ut magis magisque Augustinianae pietatis splendor illucescat, animadvertere licet permultos nostrates scriptores, raram doctrinam cum singulari vitae integritate, atque sanctimonia conjunxisse ut vel ex eo, quo decorantur beatorum nomine liquido constat. Sic v. g. habentur *BB. Aegidius Romanus, Hen-*

Digitized by Google

ricus de Urimaria, *Bartholomaeus de Urbino*, *Jordanus de Saxonia*, *Joannes de Lana*, *Augustinus Triumphus*, *Gregorius de Arimino*, *Albertus Patavinus*, *Jacobus de Viterbio*, *Bonaventura de Padua Cardinalis*, itemque *Cardinales Alexander Oliva*, et *Aegidius Canisius Viterbiensis*, *Joannes Capgrave Anglus*, *Hermannus de Schildis Germanus*, *Jacobus Perez de Valentia*, *Augustinus de Favaronibus*, *Gerardus Bergomensis*, *Joannes Hofmaysterus*, *Alphonsus de Orosco*, aliique sexcenti, in quibus singulis admirabilem vastissimae eruditionis cum spectatissima vitae conversatione, societatem, nemo est, qui non miretur, non laudet, non commendet. Hi profecto omnes memores nunc Matris ipsorum, quae illos beatae perennitati parturiit, preces suas quotidie pro ea offerunt Deo, ut non extinguatur scintilla ejus, quam ipsi abeuntes, super Ecclesiae candelabrum, accensam reliquerunt, quamque procul dubio, fovent adhuc igne amoris sui, vivificant radiis claritatis suae, enutriunt pabulo exemplorum suorum, protegunt scuto fortitudinis suae, ut ardeat, ut invalescat, ut augeatur, ut fiat flamma ingens, ad consumendam, et extinguendam, juxta alia ejusdem prophetiae verba, perniciosam vitam pravorum, ut tandem non opprimatur repentino aliquo impetu adversantium ventorum, quos scelestissimi filii Belial, jugiter de infernis specubus, manibus, pedibusque suscitare pertentant, ad evertendas, si fieri possit, Ecclesiae columnas, Coenobitarum phalanges. At nos Sanctorum nostrorum praesidio muniti, non timemus quid faciat nobis potestas tenebrarum. Alios alias, vidimus ventos, aliis tempestatibus non cessimus, praeterita pericula evasimus, futura, usque ad omnimodam eversionem, minime formidamus. Pauciores quidem

Digitized by Google

nunc effecti sumus, at superamus tamen, plures forsitan in posterum futuri, nam antiquissimus is Religionis nostrae mos est, dejici, et post dejectionem erigi, affligi, et post afflictionem, recreari, jacturam, et post jacturam, lucrum facere, minui, et post imminutionem, augeri. *Mirum est*, inquiebat Sabellicus, *quantum Eremitanorum res toties afflicta, ad postremum crevit.* Si itaque modo supervenit tempus afflictionis, jure expectandum tempus incrementi. Supervenit, inquam, tempus afflictionis, nam praeter immensam coenobiorum jacturam, quam post exortum Protestantismum, atque schisma Anglicanum, in Angliae, et Germaniae, aliisque borealibus Regnis, fecimus, hac ipsa horum adhuc superstitum hominum aetate, ob notissimas omnibus politicas vicissitudines, quae prius in Gallia, totaque fere Europa, deinde in Lusitania, postea in Hispania, paulo serius in Helvetia, nuperrime autem in Pedemontio, contigerunt, quamplurimos conventus perdidimus. Verum quamvis multo quam antea rariores, adhuc tamen in Italia, Sicilia, Melita, Austria, Bavaria, Flandria, Hollandia, Polonia, Hibernia, in utraque America, in Australia, in insulis Philippinis, et alibi passim subsistimus, tempora meliora praestolantes. Quidni propter validissimum etiam, quo fruimur, Deiparae patrocinium? Habemus enim in castris nostris firmissimum propugnaculum, contra quod portae inferi numquam praevalebunt ad Religionis nostrae internecionem, firmissimum, inquam, propugnaculum, damnorum Reparatricem, Virginem Consolantem. Si igitur Deipara pro nobis, quis contra nos? Ipsa elegit nos famulos suos, assumpsit nos vigiles suos, posuit nos custodes in Sanctuariis suis, nobis tradidit splendidiora

Digitized by Google

templa sua, commisit insigniores imagines suas, concredidit illustriora simulacra sua, immo se ipsam commendavit officiis nostris, ipsa quaesivit famulatum nostrum, ipsa confugit ad ministerium nostrum, ipsa demum delectatur esse nobiscum, ipsa habitare cupit in tabernaculis nostris. Nosque singulari privilegio, summoque beneficio, tantae Reginae milites assumpti, albis ad honorem purissimae Matris, tunicis induti, quotidie ad sacras aedes ipsius excubias agimus, ibidem, unde ipsa uberiores in fideles, gratiarum fontes effundit, acceptissimum illi cultum praestamus, altaria exornamus, faces incendimus, thura adolemus, festa celebramus, laudum praeconia cum gratiarum actionibus, pro collatis nobis, aliisque beneficiis, exhibemus. Quapropter, si ipsimet terrestres Reges, militum, famulorumque suorum curam nequaquam negligunt, quanto nos magis coelorum Regina custodiet, proteget, atque defendet? Custodiet utique purissima Virgo, custodes suos, proteget benignissima Mater filios suos, defendet potentissima Domina, milites suos. Ipsa custodiente, tuti sumus, ipsa protegente, non trepidamus, ipsa defendente, inimicos nostros parvipendimus, despicimus, contemnimus. Porro unum hoc est nobis necessarium, ut scilicet Majorum nostrorum exempla sectantes, de immaculato corde, immaculatum ipsi obsequium praebeamus, ne si forte aliquid inveniat in actibus nostris, quod oculos suae puritatis offendat, per summam nostram perniciem incipiat illi displicere famulatus noster, quod Filius tantae Matris semper avertat a nobis. Quoniam autem superius de tunica alba mentionem feci, operae pretium puto, pauca hic de illius origine intexere. Itaque (ut scribit Elssius) *cum in quibusdam locis,*

Digitized by Google

atque in Hibernia maxime, venefici quidam nigri coloris vestibus uterentur, ad distinctionem illorum, Eremitae Augustiniani vestes albas ferre coeperunt: qua tamen occasione cessante, priorem habitum nigrum resumpserunt, alba tantum veste intra domesticos parietes utendo. Cum autem sub Ecclesiae saeculi XIV. initium, eo res devenisset, ut decretum instaret, *ne amplius Augustiniani* (illam) *ferrent, primarii Patres aliquot Perusiae, coram B. Virginis imagine votum fecere, ut si illius patrocinio, habitum retinerent, quem in honorem ejusdem deferrent, Ordo noster universus quasdam lectiones ex S. Augustino concinnatas cum psalmis aliquot, per hebdomadas singulas recitaret: qua re divinitus impetrata, etiamnum candida veste in honorem intemeratae Virginis amiciuntur. Atque ideo jam tum ex eo tempore, a quo hoc a Deo beneficium receperunt, Augustiniani quibusdam in locis dicti sunt Gratiani, sive Religiosi de Gratia. Quamquam et apte sic vocari queant, si ad ipsum magnum patremfamilias Augustinum respiciamus, qui Gratiae Dei, contra tot illius impugnatores, defensor singularis extitit, quique sui imitatores hunc salutandi modum* (*Deo gratias*) *primus edocuit. Vide* (ait Augustinus enarratione in Psal. 132. et libro 3. contra Crescon. cap. 37.) *si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident, qui habitant in Christo? et tamen vos* (*Donatistae*) *Deo gratias nostrum ridetis.* Istud autem data opera, ego hic innuere volui, ad mendaces ostendendos eos omnes, qui temere dictitare non dubitant, nos albarum vestium usum primitus Lutheri tempore induxisse, ut sic aliena veste, inustam, ut putant, Augustinianae tunicae ignominiam tegeremus, perinde ac si Apostoli

Digitized by Google

pariter, ipseque Apostolorum Magister Christus, ob scelestissimam Judae proditionem, vestimenta mutare debuissent. At purum est hoc, putumque mendacium, ineptumque fabulatorum commentum; nam praeter nuper allatum testimonium, certo certius omnino est, Gregorium IX. et Alexandrum IV. tribus circiter ante Lutheri apostasiam saeculis, de tunica alba Augustinianorum, in suis ad Ordinem datis Bullis, quae apud Empoli legi possunt, verba fecisse. Quod autem ajunt de ignominia tegenda, nesciunt hoc garrientes, haeresiarchas omnes unam superbiam matrem habuisse, superbiam vero non quidem a Religione humilitatis magistra, sed a superborum patre diabolo, bis apostatas didicisse, qui idcirco, dum a fratribus abscesserunt, facto ipso comprobarunt, se non fuisse ex illis; nam si fuissent, cum ipsis utique permansissent. Quamvis et illud hic esset notandum, hoc valde conferre ad majorem Ordinis gloriam, et ornamentum, ipsummet, videlicet, fr. Martinum, fatentibus cordatioribus historicis, ante apostasiam, et moribus, et doctrinis optime fuisse institutum, nec non validiora ad Lutheranam hydram confodiendam tela, ab Augustinianis arcibus, per strenuissimos Eremitanos milites, emissa fuisse, inter quos primas procul dubio obtinent Joannes Hofmaysterus Germanus, Antilutherus propterea merito appellatus, Ambrosius Flandinus Neapolitanus, et amplissimus Cardinalis Hieronymus Seripandus, Tridentini Concilii Legatus, a quibus vix dici potest, quot teterrimo monstro lethalia vulnera inflicta fuerint. At videor mihimetipsi, huc atque illuc evagando orationem plus aequo distraxisse, atque ab instituto allatae prophetiae evolvendae proposito longius aberasse; quapropter, ut illuc unde

Digitized by Google

discessi, tandem revertar, subdam adhuc ex praefato V. Joachimo, haec alia tantum verba postremo loco enucleanda: *Qui erit Ordo Eremitarum aemulantium vitam angelicam*. Hoc ipsum autem aperte testatur ingens Sanctorum numerus, quos etiam a peracta unione usque ad haec tempora, mira prorsus fecunditate protulit Augustiniana Religio, quam propterea ipsamet Sacrorum Rituum Congregatio, de S. Thomae a Villanova canonizatione pertractans anno 1659. decreto 19. Julii, appellandam censuit: *fecundam Sanctorum parentem*. Quorum profecto Sanctorum vita, saluberrimis Protoparentis morum praeceptis instituta, ac suavissimis ipsius coelestis sapientiae undis irrigata, per omnigenam bonorum operum patratiotionem, de virtutibus in virtutes quotidie proficiendo, mirum in modum crevit usque ad angelicam perfectionem. Quandoquidem Angelis revera quam hominibus similior fuit electissima illa Augustinianorum soboles, quae ubique locorum sanctitatis gloria inclita refulget. Ii enim adeo integerrimis moribus, ac praeclarissimis christianae pietatis exemplis, veluti lucidiores quidam Augustiniani Solis radii, coram Deo, et hominibus, suo quisque tempore emicuerunt, ut merito sanctissimae conversationis, atque nitidissimae, illibataeque puritatis, alii ipsum Angelorum Dominum, innocentiae amatorem palam contueri potuerint, ut D. Nicolaus Tolentinas, et Joannes a S. Facundo; alii jucundissimam gratissimi odoris fragrantiam e sepulcro exhalarint, ut B. Antonius de Monticiano; vel e sui ipsorum corporis latere alba lilia germinarint, ut B. Ugolinus Zephirinus; vel de ipsius Deiparae manu meracissimum libamen hauserint, ut B. Hermannus de Hallis; vel e porrecto sibi a Domino aureo poculo, arca-

nam propinationem degustarint, ut B. Simon de Cascia; vel tandem aliis hujusmodi peculiaribus privilegiis dignati fuerint, ut quidam tum ex superius allatis, tum ex iis qui fuerunt silentio praetermissi. Necdum tamen aruit hodiernis hisce temporibus, in Eremo nostra feracissima arbor sanctitatis, necdum defecerunt in Orbe Augustiniano fulgidissimi splendores Sanctorum, nam hoc ipso decurrente saeculo, ante, et post mortem miraculis clari ex hac vita decesserunt VV. FF. Josephus Bartholomaeus Menocchio Subalpinus, Episcopus Porphyriensis, ac penes Pium VII. Pontificii Sacrarii Praefectus, et Stephanus Bellesini Tridentinus, Parochus Genestanensis, de quibus Beatorum albo adscribendis jam rite pertractatur, et nuperrime anno scilicet 1856. Genestani sanctissimae vitae cursum complevit piissimus vir P. F. Seraphinus Francieri Savonensis, qui multa Genestanensibus heroica christianae perfectionis exempla et vivens praebuit, et moriens confirmavit. Anno vero superiori 1857. ingens sanctitatis nomen post se reliquerunt eximii FF. Michael Maria Quaranta, Neapolitanae S. Joannis de Carbonaria Congregationis Generalis Vicarius, et mihi valde necessitudine conjunctus Augustinus Magi Prior Lucensis, quorum primo post octo, et quadraginta ab obitu horas, ex incisis de industria venis, vividus tamquam viventi sanguis elicitus fuit, alterum vero in feretro jacentem, pii Lucenses pro reliquiis habendis et capillis, et tunica pene expoliarunt. Possem autem quoniam huc res advenit ut de Augustiniana sanctitate sermo habeatur, nonnulla etiam de Sanctimonialibus subtexere; at quia de solis viris verba facere animo deliberavi, idcirco omnes, et singulas ultro missas faciam, vel eas etiam, quarum Officium, Aposto-

Digitized by Google

licae Sedis approbatione recitamus, quae videlicet sunt *BB. Clara de Montefalco, Rita de Cascia, Veronica de Binasco, Christina de Aquila, Julia a Certaldo, Christina de Spoleto, Catharina Thomas, Lucia Amerina, Juliana a Busto Arsitio, Catharina de Pallantia, Limbania, Helena Utinensis, ac demum Christiana de S. Cruce*, quae omnes item post generalem Ordinis unionem, sanctitatis gloria Augustinianum Nomen illustrarunt. Dum autem hisce non utique ementitis, aut fucatis, sed veris, germanisque praeconiis in Ordinem nostrum congerendis, hanc lucubratiunculam nimium distineo, aliquem animadverto ex vobis, jam forsitan aequo longioris sermonis pertaesum, ad alterius aurem tetrico supercilio mussitantem: quousque tandem per incomptam rerum farraginem, molestissimamque verborum prolixitudinem, nobis iste caput obtundet? Novi ipse, spectatissimi adolescentes, justissimam quaerimoniam, quapropter illatae singulis molestiae ultro veniam peto, interea tamen, quoniam uti est in vulgari proloquio, si quis triginta sustinuit, parum est, si sustineat adhuc unum, etiam, atque etiam obsecro vos, atque obtestor, ut pro ea, qua praepolletis, animi benignitate, aliquantisper adhuc verbis meis, patientem aurem accommodare dignemini, siquidem quosdam nunc ex unoquoque saeculo, selectos Augustinianos praestantissimos in antecessum, nomine tantum tenus, in medium proferam, ut sic vel ipsa sola ipsorum nominum praelibatio, ad caetera eorumdem, aliorumque addiscenda, veluti sapidius quoddam dapibus aspersum embamma, vestram vehementius cupiditatem impellat. Exhibet itaque inter ceteros, saeculum primum, sapientissimum Aegidianae Scholae antesignanum S. R. E. Cardinalem B. Ae-

Digitized by Google

gidium Columnam, Bituricensem Archiepiscopum, Primatem Aquitaniae, atque Philippi Pulchri Galliarum Regis praeceptorem, virum sanctimonia aeque ac doctrina celebratissimum, innumerabilium librorum accuratissimum auctorem, ob amplissimam in sacris, profanisque litteris eruditionem, Doctorem Fundatissimum, ac theologorum principem, jure meritoque appellatum; B. Augustinum Triumphum de Ancona, praefato Aegidio doctrina, ac sanctitate parem, ob editam *Summam de Potestate Ecclesiastica*, aliaque plura inedita aurea volumina, omni commendatione dignissimum; B. Bartholomaeum de Urbino, ejusdem civitatis Episcopum, tanto magistro pietate, atque doctrina minime secundum, Augustini Triumphi discipulum, ob egregie elaborata valde perutilia D. Augustini, et Ambrosii *Milleloquia*, in quibus defaecatissimam horum SS. Patrum sapientiam, tamquam paratas epulas, in omnium, ut ita dicam, os immittit, aliaque haud minoris momenti opera exarata, de Ecclesiastica republica meritissimum; B. Henricum de Urimaria Germanum sanctitatis splendore, atque accurata multorum librorum editione clarissimum; B. Simonem Fidatum de Cascia, concionatorum exemplar, atque Evangelistarum interpretem vere singularem, quo nemo melius mirificentissima Christi gesta historice delineavit, nemoque ardentius Dominicae Passionis mysteria est contemplatus; S. Nicolaum Tolentinatem valde insignem Thaumaturgum, quo post Apostolos, nemo plura, nemo majora, nemo illustriora miracula perpetravit, fulgidissimum obedientiae speculum, nitidissimum virginitatis lilium, atque Ecclesiae Protectorem vigilantissimum; ac demum B. Matthaeum de Thermis, ob reconditae eruditionis amplitudinem, quam sub humilitatis mo-

Digitized by Google

licae Sedis approbatione recitamus, quae videlicet sunt *BB. Clara de Montefalco*, *Rita de Cascia*, *Veronica de Binasco*, *Christina de Aquila*, *Julia a Certaldo*, *Christina de Spoleto*, *Catharina Thomas*, *Lucia Amerina*, *Juliana a Busto Arsitio*, *Catharina de Pallantia*, *Limbania*, *Helena Utinensis*, ac demum *Christiana de S. Cruce*, quae omnes item post generalem Ordinis unionem, sanctitatis gloria Augustinianum Nomen illustrarunt. Dum autem hisce non utique ementitis, aut fucatis, sed veris, germanisque praeconiis in Ordinem nostrum congerendis, hanc lucubratiunculam nimium distineo, aliquem animadverto ex vobis, jam forsitan aequo longioris sermonis pertaesum, ad alterius aurem tetrico supercilio mussitantem: quousque tandem per incomptam rerum farraginem, molestissimamque verborum prolixitudinem, nobis iste caput obtundet? Novi ipse, spectatissimi adolescentes, justissimam quaerimoniam, quapropter illatae singulis molestiae ultro veniam peto, interea tamen, quoniam uti est in vulgari proloquio, si quis triginta sustinuit, parum est, si sustineat adhuc unum, etiam, atque etiam obsecro vos, atque obtestor, ut pro ea, qua praepolletis, animi benignitate, aliquantisper adhuc verbis meis, patientem aurem accommodare dignemini, siquidem quosdam nunc ex unoquoque saeculo, selectos Augustinianos praestantissimos in antecessum, nomine tantum tenus, in medium proferam, ut sic vel ipsa sola ipsorum nominum praelibatio, ad caetera eorumdem, aliorumque addiscenda, veluti sapidius quoddam dapibus aspersum embamma, vestram vehementius cupiditatem [illegible] itaque inter ceteros, saeculum [illegible] Aegidianae Scholae [illegible] B. Ae-

Digitized by Google

gidium Columnam, Bituricensem Archiepiscopum, Primatem Aquitaniae, atque Philippi Pulchri Galliarum Regis praeceptorem, virum sanctimonia aeque ac doctrina celebratissimum, innumerabilium librorum accuratissimum auctorem, ob amplissimam in sacris, profanisque litteris eruditionem, Doctorem Fundatissimum, ac theologorum principem, jure meritoque appellatum; B. Augustinum Triumphum de Ancona, praefato Aegidio doctrina, ac sanctitate parem, ob editam *Summam de Potestate Ecclesiastica*, aliaque plura inedita aurea volumina, omni commendatione dignissimum; B. Bartholomaeum de Urbino, ejusdem civitatis Episcopum, tanto magistro pietate, atque doctrina minime secundum, Augustini Triumphi discipulum, ob egregie elaborata valde perutilia D. Augustini, et Ambrosii *Milleloquia*, in quibus defaecatissimam horum SS. Patrum sapientiam, tamquam paratas epulas, in omnium, ut ita dicam, os immittit, aliaque haud minoris momenti opera exarata, de Ecclesiastica republica meritissimum; B. Henricum de Urimaria Germanum sanctitatis splendore, atque accurata multorum librorum editione clarissimum; B. Simonem Fidatum de Cascia, concionatorum exemplar, atque Evangelistarum interpretem vere singularem, quo nemo melius mirificentissima Christi gesta historice delineavit, nemoque ardentius Dominicae Passionis mysteria est contemplatus; S. Nicolaum Tolentinatem valde insignem Thaumaturgum, quo post Apostolos, nemo plura, nemo majora, nemo illustriora miracula perpetravit, fulgidissimum obedienti[illegible]culum, nitidissimum [illegible]tatis lilium, atque Ec[illegible]otectorem vigilan[illegible]; ac demum B. Matt[illegible]hermis, ob recon[illegible]uditio[illegible]tudin[illegible]ub humilitatis mo-

Digitized by Google

dio, perperam occultare omni studio sategit, Augustini Novelli titulum assecutum. Profert saeculum alterum B. Gregorium de Arimino, Scholasticorum sui temporis facile principem, vitae sanctimonia, atque profundissima eruditione numquam satis laudandum, quem propter uberrimam Philosophiae scientiam inter primarios Nominales cooptatum, penitissima insuper divinarum litterarum notitia Doctoris Authentici nomine decoravit; Thomam de Argentina Germanum, vitae integritate, doctrinae magnitudine, scriptorumque praestantia rite Gregorio comparandum, quos cum eadem sapientiae gloria, idemque Generalatus officium, pares fecisset, idem postea sepulcrum Viennae in Austria recepit; B. Bonaventuram Baduarium S. R. E. Card. virum piissimum, aeque ac doctissimum, ut ejus scripta testantur, Ecclesiasticae libertatis strenuissimum vindicem, pro qua Romae in Ponte S. Angeli, ex insidiis immaniter transfixus, martyr occubuit; B. Jordanum de Saxonia in sua Germania sua aetate theologorum jubar, atque multarum antiquitatum indagatorem solertissimum, qui Sanctorum vitas, aliosque permultos pietate refertos libros egregie conscripsit; Aloysium Marsilium, omnigena eruditione locupletissimum, suo aevo bonorum studiorum instauratorem egregium, quem tum ob insignem morum probitatem, tum ob ingenii admirandam excellentiam, doctissimi quique ad sidera usque extulerunt, et cui *Florentina Civitas, ob singularem ipsius eloquentiam, sepulcrum publico sumptu*, in suo majori Templo, *faciendum statuit.* His accedit Andreas Biglia Mediolanensis, vir religione, atque pietate valde conspicuus, cunctisque liberalibus disciplinis impense eruditus, de quo fertur, quod in arte oratoria alter Cicero,

Digitized by Google

in Philosophia secundus Aristotiles, in Theologia S. P. Augustini perfectus pedissequus fuerit, quique incipiens ab ipsa Grammatica, plurima de diversis rebus, ac praesertim historicis, auro cedroque dignissima opera posteris reliquit. Item peculiaris mentionis ex praefato saeculo digni habendi sunt Paulus Venetus, haereticorum tamquam alter Augustinus invictissimus debellator, *Doctor profundissimus, omniumque liberalium artium in Orbe Monarcha*, (sic sapientissimum Augustinianum Eremitam Patavina Accademia publico testimonio declaravit) qui nedum universos suae aetatis philosophos, et theologos longe superavit, verum etiam futuros omnes incredibilis sapientiae suae lacte enutrivit, quique egregia sua Philosophiae opera excudendo, primus omnium in Italia artis typographicae tirocinium exercuit; Guilelmus Amidanus de Cremona saeculi XIV. (quo, teste Tiraboschi, Augustinenses Theologiae primatum obtinebant) primae minervae theologus, qui hortante, atque jubente Joanne XXII. Marsilium de Padua, et Joannem de Jandun Gandavensem Pontificiae potestatis infensissimos hostes, validissime oppugnavit, atque oblatum propterea ab eodem Pontifice, remunerationis gratia, purpureum galerum ultro recusavit, petens potius Ordini Ecclesiam Papiensem S. Petri in Coelo Aureo, in qua S. P. Augustini reliquiae servantur; Dionysius a S. Sepulcro Hetruscus, vir vere encyclopedicus, Francisco Villani, et Petrarchae, a quibus praeclaris laudibus exornatus fuit, Roberto Regi Neapolitano, cunctisque illius aevi eruditis, ob admirabilem omnium scientiarum copiam acceptissimus, qui poetas, historicos, oratores, atque philosophos perquam scitissime explanando, plus quam alius quisquam Orbi litterario profuit; B. Albertus

Digitized by Google

Patavinus sui temporis *Studiorum Columna*, ac theologorum, et concionatorum dux, quo nemo unquam melius libros sanctos exposuit, et quem Patavina civitas tum marmorea statua, tum magnificentissimis elogiis honoravit; ac tandem Thomas Winterburnus Anglus, Oxoniensis Doctor praestantissimus, multa sacrarum, profanarumque scientiarum peritia admodum illustris, ob communionem institutionis, ac parem aetatem Wiclefi ante apostasiam amicus, et sodalis, deinde vero perquam amantissimus correptor, ac tandem post plurima frustrata hortamenta, lingua, et calamo acerrimus oppugnator. Prosiliunt in medium prae ceteris e saeculo tertio B. Alexander Oliva Picenus, S. R. E. Cardinalis, doctrina, atque pietate quam qui maxime praedicandus, inter Italos vero Angelus pacis, quippequi ignitis concionibus ferventissimam proximorum caritatem spirantibus, ac victrici quadam suaviloquentia cum mira prorsus indolis comitate conjuncta, civiles clades, cruentasque discordias in pluribus peninsulae urbibus non semel compescuit, tantam propterea omnium benevolentiam, atque existimationem adeptus, ut in ejus inopinata ad sacrum Purpuratorum Collegium assumptione, tota qua longe lateque patet Italia profusis gaudiis exultarit, atque omnes proceres, ad expensas agendas, magnificis muneribus illum cumularint, omnesque populi futurum Pontificem sperarent; Aegidius Canisius de Viterbio item Cardinalis, vir suae aetatis plane doctissimus, orator eximius, ac poeta praeclarus, Tullio, ac Maroni a Jovio, Sadoleto, et Bembo comparatus, vitae integritate, linguarum peritia, limatisque editis voluminibus celebratissimus; Marianus de Genestano concionatorum miraculum, atque portentum, quem Itali omnes stu-

Digitized by Google

pentes veluti alterum Demosthenem audierunt, omnique laudum copia exornarunt, a Pico Mirandulano, et Laurentio Mediceo summo in honore habitus, qui postremus adeo illum suspexit, ut in ejus gratiam, insigne S. Galli ceonobium, Florentiae Ordini extruxerit; B. Joannes Capgrave Anglus, Oxoniensis Doctor egregius, pietatis, atque eruditionis laude percelebris, in sacris, profanisque litteris summopere versatus, editorum librorum multitudine, atque excellentia maxime conspicuus, cui Anglia pares perpaucos, superiorem vero nullum fere unquam protulit; Joannes Zacharias Helvetius, Erfordiensis Athenaei lumen fulgidissimum, Catholicae Fidei contra Hussitas atlheta invictissimus, ob coram superatum, triumphatumque in Constantiensi Concilio, ipsummet Joannem Hussium, a Summo Pontifice, aurea rosa, quae solis Principibus mitti solet, honorificentissime donatus; Ambrosius Calepinus Bergomensis, de litteraria republica optime meritus ob notissimum exaratum *latinae linguae Dictionarium*, improbo labore, atque incredibili industria ex innumeris propemodum auctoribus collectum, opus omnium testimonio, caeterorum hujusmodi, quae antea prodierunt in lucem, accuratissimum, quare ab ipsius nomine, vocabularia omnia, vulgo deinceps *Calepini* appellari coeperunt; Jacobus Philippus Forestus, item Bergomensis, divinis, humanisque litteris admodum eruditus, qui inter caetera, insigne opus historiarum ab initio Mundi usque ad ann. 1503. egregie elaboravit, B. Joannes Hofmaysterus, pietate, ac doctrina praestantissimus, Catholicorum adversus haereticos verbis, et scriptis praesidium validissimum, ob sedulam lutheranis erroribus, ac Confessioni Augustanae refutandis, navatam operam, Antiluthe-

Digitized by Google

rus appellatus, vir mirabili eloquentia praeditus, multorumque excellentium librorum scriptione nunquam satis celebrandus, quem execranda haereticorum perfidia, veneni propinatione immature de medio sustulit; Bartholomaeus Arnoldus Germanus Lutheri magister, in divinis litteris, Sanctorumque Patrum lectione admodum versatus, qui primus omnium apostatae discipuli deliramenta detexit, atque verbo, et calamo fortiter oppugnavit; Pater pauperum, atque Antistitum exemplar. S. Thomas a Villanova, vir eximiae sanctitatis, ac piorum sermonum scriptor devotissimus, quo nemo dulcius, nemo suavius, nemo intensiori amoris affectu admirabiles B. Virginis virtutes praedicavit; ac demum Lippus Aurelius Brandolinus Florentinus, rarissimum ingenii, atque memoriae portentum, uberrima omnium scientiarum copia cumulatus, Poesi potissimum, atque oratoria arte sui aevi miraculum, quo nemo antea, nemo postea, plures e suggestu triumphorum palmas collegit, quemque certatim coaevi scriptores, immensis laudibus super astra evexerunt, vere ineffabilis vir, de quo vix credi potest, quomodo licet pene a nativitate caecus, tantum discere, tantum scire, tantaque tam recte scribere potuerit. Adest nobis e seculo quarto Hieronimus Seripandus Neapolitanus S. R. E. incomparabilis Cardinalis, vir procul dubio, suo tempore inter omnes, humanis, divinisque litteris eruditissimus, aureis voluminibus exaratis, multisque curis impensis, de re Catholica optime meritus, Concilii Tridentini non modo Legatus, verum etiam doctrina, prudentia, atque auctoritate, lingua, mens, oraculum; Gregorius Petrochinus Picenus de Montelparo item Cardinalis admodum insignis, divinarum rerum scientia, vitae innocentia, mo-

Digitized by Google

rumque suavitate toti Aulae Romanae acceptissimus; tanti meriti; tantaeque penes omnes existimationis, ut cunctis universorum votis ad Summum Pontificatum peroptaretur, atque de illo Petramellaria dixerit: *suis admirabilibus virtutibus efficiet aliquando, ut Cardinalis nomen parvum momentum ad illum commendandum habeat*; Angelus Rocca item Picenus, Episcopus Tagastensis, ac Sacrarii Pontificii Praefectus, a quo fundatore nostra Bibliotheca Angelica nomen accepit, vir amplissimae eruditionis, linguarum haebraicae, chaldaicae, et latinae peritissimus, atque antiquitatum pernavus investigator, qui sacris Bibliis, Conciliis, Patribusque restituendis, et illustrandis, egregiam navavit operam, totque volumina omnigena doctrina referta de sua penu praelo mandavit, quae integrae bibliothecae instruendae sufficere possent; Onufrius Panvinius Veronensis, vere monstrum absque vitio, jure meritoque helluo antiquitatum, Ecclesiasticae, Romanaeque historiae pater, Fastorumque conditor uno ore ab omnibus proclamatus, de quo incredibile videtur, qua ratione potuerit admodum juvenis tam multa, tam recte, et quod majus est, tam nova in lucem emittere, quemque si solum Augustiniana Religio, et Veronensis civitas protulissent, jam satis superque de litteris benemeritae fuissent; B. Alphonsus de Orosco Hispanus, quem piorum librorum, quos edidit, multitudine, praestantia, ac varietate, et potissimum ob intextam Deiparae, ex virgineis floribus, coruscam laudum coronam, rite Ligorium Hispanum dixeris; Basilius Pontius pariter Hispanus, sapientissimus Salmanticensis Doctor, in cathedra non minus, quam in suggestu admirabilis, qui inter caetera immortalitate digna ingenii sui monumenta,

Digitized by Google

discessi, tandem revertar, subdam adhuc ex praefato V. Joachimo, haec alia tantum verba postremo loco enucleanda: *Qui erit Ordo Eremitarum aemulantium vitam angelicam.* Hoc ipsum autem aperte testatur ingens Sanctorum numerus, quos etiam a peracta unione usque ad haec tempora, mira prorsus fecunditate protulit Augustiniana Religio, quam propterea ipsamet Sacrorum Rituum Congregatio, de S. Thomae a Villanova canonizatione pertractans anno 1659. decreto 19. Julii, appellandam censuit: *fecundam Sanctorum parentem.* Quorum profecto Sanctorum vita, saluberrimis Protoparentis morum praeceptis instituta, ac suavissimis ipsius coelestis sapientiae undis irrigata, per omnigenam bonorum operum patratiotionem, de virtutibus in virtutes quotidie proficiendo, mirum in modum crevit usque ad angelicam perfectionem. Quandoquidem Angelis revera quam hominibus similior fuit electissima illa Augustinianorum soboles, quae ubique locorum sanctitatis gloria inclita refulget. Ii enim adeo integerrimis moribus, ac praeclarissimis christianae pietatis exemplis, velati lucidiores quidam Augustiniani Solis radii, coram Deo, et hominibus, suo quisque tempore emicuerunt, ut merito sanctissimae conversationis, atque nitidissimae, illibataeque puritatis, alii ipsum Angelorum Dominum, innocentiae amatorem palam contueri potuerint, ut D. Nicolaus Tolentinas, et Joannes a S. Facundo; alii jucundissimam gratissimi odoris fragrantiam e sepulcro exhalarint, ut B. Antonius de Monticiano; vel e sui ipsorum corporis latere alba lilia germinarint, ut B. Ugolinus Zephirinus; vel de ipsius Deiparae manu meracissimum libamen hauserint, ut B. Hermannus de Hallis; vel e porrecto sibi a Domino aureo poculo, acca-

Digitized by Google

nam propinationem degustarint, ut B. Simon de Cascia; vel tandem aliis hujusmodi peculiaribus privilegiis dignati fuerint, ut quidam tum ex superius allatis, tum ex iis qui fuerunt silentio praetermissi. Necdum tamen aruit hodiernis hisce temporibus, in Eremo nostra feracissima arbor sanctitatis, necdum defecerunt in Orbe Augustiniano fulgidissimi splendores Sanctorum, nam hoc ipso decurrente saeculo, ante, et post mortem miraculis clari ex hac vita decesserunt VV. FF. Josephus Bartholomaeus Menocchio Subalpinus, Episcopus Porphyriensis, ac penes Pium VII. Pontificii Sacrarii Praefectus, et Stephanus Bellesini Tridentinus, Parochus Genestanensis, de quibus Beatorum albo adscribendis jam rite pertractatur, et nuperrime anno scilicet 1856. Genestani sanctissimae vitae cursum complevit piissimus vir P. F. Seraphinus Francieri Savonensis, qui multa Genestanensibus heroica christianae perfectionis exempla et vivens praebuit, et moriens confirmavit. Anno vero superiori 1857. ingens sanctitatis nomen post se reliquerunt eximii FF. Michael Maria Quaranta, Neapolitanae S. Joannis de Carbonaria Congregationis Generalis Vicarius, et mihi valde necessitudine conjunctus Augustinus Magi Prior Lucensis, quorum primo post octo, et quadraginta ab obitu horas, ex incisis de industria venis, vividus tamquam viventi sanguis elicitus fuit, alterum vero in feretro jacentem, pii Lucenses pro reliquiis habendis et capillis, et tunica pene expoliarunt. Possem autem quoniam hue res advenit ut de Augustiniana sanctitate sermo habeatur, nonnulla etiam de Sanctimonialibus subtexere; at quia de solis viris verba facere animo deliberavi, idcirco omnes, et singulas ultro missas faciam, vel eas etiam, quarum Officium, Aposto-

Digitized by Google

licae Sedis approbatione recitamus, quae videlicet sunt *BB. Clara de Montefalco, Rita de Cascia, Veronica de Binasco, Christina de Aquila, Julia a Certaldo, Christina de Spoleto, Catharina Thomas, Lucia Amerina, Juliana a Busto Arsitio, Catharina de Pallantia, Limbania, Helena Utinensis, ac demum Christiana de S. Cruce,* quae omnes item post generalem Ordinis unionem, sanctitatis gloria Augustinianum Nomen illustrarunt. Dum autem hisce non utique ementitis, aut fucatis, sed veris, germanisque praeconiis in Ordinem nostrum congerendis, hanc lucubratiunculam nimium distineo, aliquem animadverto ex vobis, jam forsitan aequo longioris sermonis pertaesum, ad alterius aurem tetrico supercilio mussitantem: quousque tandem per incomptam rerum farraginem, molestissimamque verborum prolixitudinem, nobis iste caput obtundet? Novi ipse, spectatissimi adolescentes, justissimam quaerimoniam, quapropter illatae singulis molestiae ultro veniam peto, interea tamen, quoniam uti est in vulgari proloquio, si quis triginta sustinuit, parum est, si sustineat adhuc unum, etiam, atque etiam obsecro vos, atque obtestor, ut pro ea, qua praepolletis, animi benignitate, aliquantisper adhuc verbis meis, patientem aurem accommodare dignemini, siquidem quosdam nunc ex unoquoque saeculo, selectos Augustinianos praestantissimos in antecessum, nomine tantum tenus, in medium proferam, ut sic vel ipsa sola ipsorum nominum praelibatio, ad caetera eorumdem, aliorumque addiscenda, veluti sapidius quoddam dapibus aspersum embamma, vestram vehementius cupiditatem impellat. Exhibet itaque inter ceteros, saeculum primum, sapientissimum Aegidianae Scholae antesignanum S. R. E. Cardinalem B. Ae-

Digitized by Google

gidium Columnam, Bituricensem Archiepiscopum, Primatem Aquitaniae, atque Philippi Pulchri Galliarum Regis praeceptorem, virum sanctimonia aeque ac doctrina celebratissimum, innumerabilium librorum accuratissimum auctorem, ob amplissimam in sacris, profanisque litteris eruditionem, Doctorem Fundatissimum, ac theologorum principem, jure meritoque appellatum; B. Augustinum Triumphum de Ancona, praefato Aegidio doctrina, ac sanctitate parem, ob editam *Summam de Potestate Ecclesiastica*, aliaque plura inedita aurea volumina, omni commendatione dignissimum; B. Bartholomaeum de Urbino, ejusdem civitatis Episcopum, tanto magistro pietate, atque doctrina minime secundum, Augustini Triumphi discipulum, ob egregie elaborata valde perutilia D. Augustini, et Ambrosii *Milleloquia*, in quibus defaecatissimam horum SS. Patrum sapientiam, tamquam paratas epulas, in omnium, ut ita dicam, os immittit, aliaque haud minoris momenti opera exarata, de Ecclesiastica republica meritissimum; B. Henricum de Urimaria Germanum sanctitatis splendore, atque accurata multorum librorum editione clarissimum; B. Simonem Fidatum de Cascia, concionatorum exemplar, atque Evangelistarum interpretem vere singularem, quo nemo melius mirificentissima Christi gesta historice delineavit, nemoque ardentius Dominicae Passionis mysteria est contemplatus; S. Nicolaum Tolentinatem valde insignem Thaumaturgum, quo post Apostolos, nemo plura, nemo majora, nemo illustriora miracula perpetravit, fulgidissimum obedientiae speculum, nitidissimum virginitatis lilium, atque Ecclesiae Protectorem vigilantissimum; ac demum B. Matthaeum de Thermis, ob reconditae eruditionis amplitudinem, quam sub humilitatis mo-

Digitized by Google

licae Sedis approbatione recitamus, quae videlicet sunt *BB. Clara de Montefalco, Rita de Cascia, Veronica de Binasco, Christina de Aquila, Julia a Certaldo, Christina de Spoleto, Catharina Thomas, Lucia Amerina, Juliana a Busto Arsitio, Catharina de Pallantia, Limbania, Helena Utinensis, ac demum Christiana de S. Cruce,* quae omnes item post generalem Ordinis unionem, sanctitatis gloria Augustinianum Nomen illustrarunt. Dum autem hisce non utique ementitis, aut fucatis, sed veris, germanisque praeconiis in Ordinem nostrum congerendis, hanc lucubratiunculam nimium distineo, aliquem animadverto ex vobis, jam forsitan aequo longioris sermonis pertaesum, ad alterius aurem tetrico supercilio mussitantem: quousque tandem per incomptam rerum farraginem, molestissimamque verborum prolixitudinem, nobis iste caput obtundet? Novi ipse, spectatissimi adolescentes, justissimam quaerimoniam, quapropter illatae singulis molestiae ultro veniam peto, interea tamen, quoniam uti est in vulgari proloquio, si quis triginta sustinuit, parum est, si sustineat adhuc unum, etiam, atque etiam obsecro vos, atque obtestor, ut pro ea, qua praepolletis, animi benignitate, aliquantisper adhuc verbis meis, patientem aurem accommodare dignemini, siquidem quosdam nunc ex unoquoque saeculo, selectos Augustinianos praestantissimos in antecessum, nomine tantum tenus, in medium proferam, ut sic vel ipsa sola ipsorum nominum praelibatio, ad caetera eorumdem, aliorumque addiscenda, veluti sapidius quoddam dapibus aspersum embamma, vestram vehementius cupiditatem impellat. Exhibet itaque inter ceteros, saeculum primum, sapientissimum Aegidianae Scholae antesignanum S. R. E. Cardinalem B. Ae-

Digitized by Google

gidium Columnam, Bituricensem Archiepiscopum, Primatem Aquitaniae, atque Philippi Pulchri Galliarum Regis praeceptorem, virum sanctimonia aeque ac doctrina celebratissimum, innumerabilium librorum accuratissimum auctorem, ob amplissimam in sacris, profanisque litteris eruditionem, Doctorem Fundatissimum, ac theologorum principem, jure meritoque appellatum; B. Augustinum Triumphum de Ancona, praefato Aegidio doctrina, ac sanctitate parem, ob editam *Summam de Potestate Ecclesiastica*, aliaque plura inedita aurea volumina, omni commendatione dignissimum; B. Bartholomaeum de Urbino, ejusdem civitatis Episcopum, tanto magistro pietate, atque doctrina minime secundum, Augustini Triumphi discipulum, ob egregie elaborata valde perutilia D. Augustini, et Ambrosii *Milleloquia*, in quibus defaecatissimam horum SS. Patrum sapientiam, tamquam paratas epulas, in omnium, ut ita dicam, os immittit, aliaque haud minoris momenti opera exarata, de Ecclesiastica republica meritissimum; B. Henricum de Urimaria Germanum sanctitatis splendore, atque accurata multorum librorum editione clarissimum; B. Simonem Fidatum de Cascia, concionatorum exemplar, atque Evangelistarum interpretem vere singularem, quo nemo melius mirificentissima Christi gesta historice delineavit, nemoque ardentius Dominicae Passionis mysteria est contemplatus; S. Nicolaum Tolentinatem valde insignem Thaumaturgum, quo post Apostolos, nemo plura, nemo majora, nemo illustriora miracula perpetravit, fulgidissimum obedientiae speculum, nitidissimum virginitatis lilium, atque Ecclesiae Protectorem vigilantissimum; ac demum B. Matthaeum de Thermis, ob reconditae eruditionis amplitudinem, quam sub humilitatis mo-

Digitized by Google

dio, perperam occultare omni studio sategit, Augustini Novelli titulum assecutum. Profert saeculum alterum B. Gregorium de Arimino, Scholasticorum sui temporis facile principem, vitae sanctimonia, atque profundissima eruditione numquam satis laudandum, quem propter uberrimam Philosophiae scientiam inter primarios Nominales cooptatum, penitissima insuper divinarum litterarum notitia Doctoris Authentici nomine decoravit; Thomam de Argentina Germanum, vitae integritate, doctrinae magnitudine, scriptorumque praestantia rite Gregorio comparandum, quos cum eadem sapientiae gloria, idemque Generalatus officium, pares fecisset, idem postea sepulcrum Viennae in Austria recepit; B. Bonaventuram Baduarium S. R. E. Card. virum piissimum, aeque ac doctissimum, ut ejus scripta testantur, Ecclesiasticae libertatis strenuissimum vindicem, pro qua Romae in Ponte S. Angeli, ex insidiis immaniter transfixus, martyr occubuit; B. Jordanum de Saxonia in sua Germania sua aetate theologorum jubar, atque multarum antiquitatum indagatorem solertissimum, qui Sanctorum vitas, aliosque permultos pietate refertos libros egregie conscripsit; Aloysium Marsilium, omnigena eruditione locupletissimum, suo aevo bonorum studiorum instauratorem egregium, quem tum ob insignem morum probitatem, tum ob ingenii admirandam excellentiam, doctissimi quique ad sidera usque extulerunt, et cui *Florentina Civitas, ob singularem ipsius eloquentiam, sepulcrum publico sumptu*, in suo majori Templo, *faciendum statuit.* His accedit Andreas Biglia Mediolanensis, vir religione, atque pietate valde conspicuus, cunctisque liberalibus disciplinis impense eruditus, de quo fertur, quod in arte oratoria alter Cicero,

Digitized by Google

in Philosophia secundus Aristotiles, in Theologia S. P. Augustini perfectus pedissequus fuerit, quique incipiens ab ipsa Grammatica, plurima de diversis rebus, ac praesertim historicis, auro cedroque dignissima opera posteris reliquit. Item peculiaris mentionis ex praefato saeculo digni habendi sunt Paulus Venetus, haereticorum tamquam alter Augustinus invictissimus debellator, *Doctor profundissimus, omniumqne liberalium artium in Orbe Monarcha*, (sic sapientissimum Augustinianum Eremitam Patavina Accademia publico testimonio declaravit) qui nedum universos suae aetatis philosophos, et theologos longe superavit, verum etiam futuros omnes incredibilis sapientiae suae lacte enutrivit, quique egregia sua Philosophiae opera excudendo, primus omnium in Italia artis typographicae tirocinium exercuit; Guilelmus Amidanus de Cremona saeculi XIV. (quo, teste Tiraboschi, Augustinenses Theologiae primatum obtinebant) primae minervae theologus, qui hortante, atque jubente Joanne XXII. Marsilium de Padua, et Joannem de Jandun Gandavensem Pontificiae potestalis infensissimos hostes, validissime oppugnavit, atque oblatum propterea ab eodem Pontifice, remunerationis gratia, purpureum galerum ultro recusavit, petens potius Ordini Ecclesiam Papiensem S. Petri in Coelo Aureo, in qua S. P. Augustini reliquiae servantur; Dionysius a S. Sepulcro Hetruscus, vir vere encyclopedicus, Francisco Villani, et Petrarchae, a quibus praeclaris laudibus exornatus fuit, Roberto Regi Neapolitano, cunctisque illius aevi eruditis, ob admirabilem omnium scientiarum copiam acceptissimus, qui poetas, historicos, oratores, atque philosophos perquam scitissime explanando, plus quam alius quisquam Orbi litterario profuit; B. Albertus

Patavinus sui temporis *Studiorum Columna*, ac theologorum, et concionatorum dux, quo nemo unquam melius libros sanctos exposuit, et quem Patavina civitas tum marmorea statua, tum magnificentissimis elogiis honoravit; ac tandem Thomas Winterburnus Anglus, Oxoniensis Doctor praestantissimus, multa sacrarum, profanarumque scientiarum peritia admodum illustris, ob communionem institutionis, ac parem aetatem Wiclefi ante apostasiam amicus, et sodalis, deinde vero perquam amantissimus correptor, ac tandem post plurima frustrata hortamenta, lingua, et calamo acerrimus oppugnator. Prosiliunt in medium prae ceteris e saeculo tertio B. Alexander Oliva Picenus, S. R. E. Cardinalis, doctrina, atque pietate quam qui maxime praedicandus, inter Italos vero Angelus pacis, quippequi ignitis concionibus ferventissimam proximorum caritatem spirantibus, ac victrici quadam suaviloquentia cum mira prorsus indolis comitate conjuncta, civiles clades, cruentasque discordias in pluribus peninsulae urbibus non semel compescuit, tantam propterea omnium benevolentiam, atque existimationem adeptus, ut in ejus inopinata ad sacrum Purpuratorum Collegium assumptione, tota qua longe lateque patet Italia profusis gaudiis exultarit, atque omnes proceres, ad expensas agendas, magnificis muneribus illum cumularint, omnesque populi futurum Pontificem sperarent; Aegidius Canisius de Viterbio item Cardinalis, vir suae aetatis plane doctissimus, orator eximius, ac poeta praeclarus, Tullio, ac Maroni a Jovio, Sadoleto, et Bembo comparatus, vitae integritate, linguarum peritia, limatisque editis voluminibus celebratissimus; Marianus de Genestano concionatorum miraculum, atque portentum, quem Itali omnes stu-

Digitized by Google

pentes veluti alterum Demosthenem audierunt, omnique laudum copia exornarunt, a Pico Mirandulano, et Laurentio Mediceo summo in honore habitus, qui postremus adeo illum suspexit, ut in ejus gratiam, insigne S. Galli ceonobium, Florentiae Ordini extruxerit; B. Joannes Capgrave Anglus, Oxoniensis Doctor egregius, pietatis, atque eruditionis laude percelebris, in sacris, profanisque litteris summopere versatus, editorum librorum multitudine, atque excellentia maxime conspicuus, cui Anglia pares perpaucos, superiorem vero nullum fere unquam protulit; Joannes Zacharias Helvetius, Erfordiensis Athenaei lumen fulgidissimum, Catholicae Fidei contra Hussitas athleta invictissimus, ob coram superatum, triumphatumque in Constantiensi Concilio, ipsummet Joannem Hussium, a Summo Pontifice, aurea rosa, quae solis Principibus mitti solet, honorificentissime donatus; Ambrosius Calepinus Bergomensis, de litteraria republica optime meritus ob notissimum exaratum *latinae linguae Dictionarium*, improbo labore, atque incredibili industria ex innumeris propemodum auctoribus collectum, opus omnium testimonio, caeterorum hujusmodi, quae antea prodierunt in lucem, accuratissimum, quare ab ipsius nomine, vocabularia omnia, vulgo deinceps *Calepini* appellari coeperunt; Jacobus Philippus Forestus, item Bergomensis, divinis, humanisque litteris admodum eruditus, qui inter caetera, insigne opus historiarum ab initio Mundi usque ad ann. 1503. egregie elaboravit, B. Joannes Hofmaysterus, pietate, ac doctrina praestantissimus, Catholicorum adversus haereticos verbis, et scriptis praesidium validissimum, ob sedulam lutheranis erroribus, ac Confessioni Augustanae refutandis, navatam operam, Antiluthe-

Digitized by Google

rus appellatus, vir mirabili eloquentia praeditus, multorumque excellentium librorum scriptione nunquam satis celebrandus, quem execranda haereticorum perfidia, veneni propinatione immature de medio sustulit; Bartholomaeus Arnoldus Germanus Lutheri magister, in divinis litteris, Sanctorumque Patrum lectione admodum versatus, qui primus omnium apostatae discipuli deliramenta detexit, atque verbo, et calamo fortiter oppugnavit; Pater pauperum, atque Antistitum exemplar. S. Thomas a Villanova, vir eximiae sanctitatis, ac piorum sermonum scriptor devotissimus, quo nemo dulcius, nemo suavius, nemo intensiori amoris affectu admirabiles B. Virginis virtutes praedicavit; ac demum Lippus Aurelius Brandolinus Florentinus, rarissimum ingenii, atque memoriae portentum, uberrima omnium scientiarum copia cumulatus, Poesi potissimum, atque oratoria arte sui aevi miraculum, quo nemo antea, nemo postea, plures e suggestu triumphorum palmas collegit, quemque certatim coaevi scriptores, immensis laudibus super astra evexerunt, vere ineffabilis vir, de quo vix credi potest, quomodo licet pene a nativitate caecus, tantum discere, tantum scire, tantaque tam recte scribere potuerit. Adest nobis e seculo quarto Hieronimus Seripandus Neapolitanus S. R. E. incomparabilis Cardinalis, vir procul dubio, suo tempore inter omnes, humanis, divinisque litteris eruditissimus, aureis voluminibus exaratis, multisque curis impensis, de re Catholica optime meritus, Concilii Tridentini non modo Legatus, verum etiam doctrina, prudentia, atque auctoritate, lingua, mens, oraculum; Gregorius Petrochinus Picenus de Montelparo item Cardinalis admodum insignis, divinarum rerum scientia, vitae innocentia, mo-

Digitized by Google

rumque suavitate toti Aulae Romanae acceptissimus; tanti meriti; tantaeque penes omnes existimationis, ut cunctis universorum votis ad Summum Pontificatum peroptaretur, atque de illo Petramellaria dixerit: *suis admirabilibus virtutibus efficiet aliquando, ut Cardinalis nomen parvum momentum ad illum commendandum habeat*; Angelus Rocca item Picenus, Episcopus Tagastensis, ac Sacrarii Pontificii Praefectus, a quo fundatore nostra Bibliotheca Angelica nomen accepit, vir amplissimae eruditionis, linguarum haebraicae, chaldaicae, et latinae peritissimus, atque antiquitatum pernavus investigator, qui sacris Bibliis, Conciliis, Patribusque restituendis, et illustrandis, egregiam navavit operam, totque volumina omnigena doctrina referta de sua penu praelo mandavit, quae integrae bibliothecae instruendae sufficere possent; Onufrius Panvinius Veronensis, vere monstrum absque vitio, jure meritoque helluo antiquitatum, Ecclesiasticae, Romanaeque historiae pater, Fastorumque conditor uno ore ab omnibus proclamatus, de quo incredibile videtur, qua ratione potuerit admodum juvenis tam multa, tam recte, et quod majus est, tam nova in lucem emittere, quemque si solum Augustiniana Religio, et Veronensis civitas protulissent, jam satis superque de litteris benemeritae fuissent; B. Alphonsus de Orosco Hispanus, quem piorum librorum, quos edidit, multitudine, praestantia, ac varietate, et potissimum ob intextam Deiparae, ex virgineis floribus, coruscam laudum coronam, rite Ligorium Hispanum dixeris; Basilius Pontius pariter Hispanus, sapientissimus Salmanticensis Doctor, in cathedra non minus, quam in suggestu admirabilis, qui inter caetera immortalitate digna ingenii sui monumenta,

Digitized by Google

omnibus probatissimum de Matrimonio opus reliquit, quo tanta dexteritate, tantaque gravitate quanta nemo unquam salebris consitam hujus Sacramenti materiam pertractavit; ac postremo Angelicus Aprosius Ligur de Vintimilio, multa omnium litterarum suppellectile exornatus, laudatissimae *Bibliothecae Aprosianae* celebratissimus auctor, vir ob singularem morum comitatem, ac miram eruditionem, omni nationi acceptissimus. Ostentat quintum prae caeteris Christianum Lupum Hypreasem, virum plane inter eruditos optimum, ac inter optimos eruditissimum, quo saeculum ipsius nullum procul dubio doctiorem habuit, quique sapientissimis in omnia Ecclesiastica Concilia commentariis, aliarumque tum historicarum, tum moralium lucubrationum multitudine, atque sublimitate, omnium in se admirationem convertit. Amplissima hujus fama, nomenque splendidissimum, immensis omnium laudibus, honoribusque celebratum, stimulo fuerunt alteri hujus saeculi eminentissimae Augustinianae Columnae, nimirum Henrico Norisio Veronensi, ut nervos omnes intenderet, ad summae illius gloriae fastigium pertingendum. Utrum vero praeclarissimum Purpuratorum decus, *Romanae Ecclesiae* (ut illum Benedictus XIV. appellavit) *splendidissimum lumen*, Augustinianae doctrinae strenuissimus vindex, Pelagianae, aliarumque reconditarum historiarum scriptor accuratissimus, suorum obtrectatorum debellator invictus, omniumque posteriorum chronologorum dux, ac princeps, aequarit nec ne, vel etiam superarit eximium sacrorum Canonum explanatorem, judicent eruditiores, quibus in omnibus bibliothecis, nullo unquam aevo peritura utriusque opera patent. His adjungi possunt ex aliis multis, Augustinus Lubinus Gallus, universalis famae

Digitized by Google

geographus, qui inter caetera suae peritiae monumenta, notitiam geographicam omnium locorum, quae in Scripturis nominantur, Mundo donavit; Gaspar Molina Hispanus, Emus S. R. E. Card. doctrina, liberalitate in pauperes, innumerisque pro Hispania rebus bene gestis clarissimus, qui inter alia suae dexteritatis egregia facinora, gravia etiam inter Hispanicum Regnum, et Curiam Romanam exorta dissidia sua prudentia de medio eliminavit; atque Joannes Baptista Cotta a Tenda, poeta sacer valde famosus, qui in suis de Deo, ejusque attributis, electis carminibus, ad tantam se altitudinem erexit, ut perpauci illum hactenus secuti fuerint, nullus vero unquam superarit, vel ideo etiam multo magis commendandus, quia cum caeteri ut plurimum poetae, nonnisi amatoria per summam morum jacturam, canere soleant, ipse e contra divina, divine cecinit. O utinam ejus exemplo cuncti discerent luto altiora petere Musarum cultores! Nec praetermittendus Jacobus Philippus Gatti Januensis, artis rethoricae, ac poeticae valde peritus, eximius theologus, atque admirabilis in primis concionator, quem propterea tota Italia, et praesertim Neapolitana civitas, ac ipsemet Summus Pontifex Benedictus XIII. amplissimis honoribus decorarunt. In hujus praestantissimi Augustinensis laudem adhuc extant ab eruditis totius Italiae conflata plena elogiorum volumina. Tandem inter alios permultos ad saeculum sextum pertinent Joannes Laurentius Berti Hetruscus universalis famae theologus, atque Ecclesiasticae historiae scriptor admodum expolitus, qui dum theologica, atque historica scientia nulli est secundus, latinae dictionis venustate, longe praestat omnibus; Augustinus Giorgi a S. Mauro prope Ariminum, *Alpha-*

Digitized by Google

beti Tibetani auctor toti Mundo notissimus, vir omnigena eruditione supramodum imbutus; quem propterea doctissimi quique ex omnibus terrae plagis de abstrusioribus quaestionibus consulebant, undecim linguarum peritia, atque occultarum antiquitatum investigatione percelebris; Patritius Silva Ulyssiponensis Patriarcha, *S. R. E.* meritissimus Cardinalis, qui, quidquid aliqui de ipso tradiderint, difficillimis temporibus, ut ipsemet Gregorius XVI. testatus est, totam Lusitaniam, consilio, et auctoritate in communione Romana continuit; ac postremo Josephus Macedo item Lusitanus, hujus saeculi vir plane doctissimus, cujus nomen toti patet Europae, insignis theologus, philosophus, orator, ac poeta, qui multos libros, atque historico-politicas ephemerides egregie conscripsit, nec non D. Michaelis jura acriter propugnavit. Possem autem nisi nimiae prolixitudinis notam pertimescerem, hisce quatuor binos alios insuper adjicere ejusdem saeculi Augustinianos Hibernos praestantissimos, quorum primus nimirum est insignis Kildarae Episcopus Jacobus Doyle, unus procul dubio ex praecipuis recentioribus Hiberniae scriptoribus, qui in suis celeberrimis epistolis titulo *J. K. L.* evulgatis, aliisque aureo stilo exaratis valde pretiosis lucubrationibus Religionem, ac patriam egregie est tutatus; alter vero est vir eximius Guilelmus Gahan, cujus summa laus habetur in suis praeclarissimis concionibus, aliisque editis ad pietatem allicientibus longe optimis scriptis, quae singula, doctrinae soliditate, atque devotionis oblectamento istud obtinent, ut cunctorum Hibernorum manibus diu noctuque assidue terantur, quare juge ipsorum spirituale pabulum jure meritoque appellari queunt. Ex praefatis concionibus veluti e quibusdam nectare refertis uberibus cum-

Digitized by Google

cti Hiberni praecones sermonum suorum succum quotidie eliciunt.

Omnes isti, spectatissimae indolis adolescentes, quos ego, non quidem magis, sed multo procul dubio minus quam par est, modo laudavi, non sunt quidem omnes, sed aliquot duntaxat ex illustrioribus viris, quos florentissimorum germinum feracissima nostra Augustiniana Eremus quovis saeculo affatim Mundo edidit. Sunt, inquam, aliquot duntaxat, non omnes, innumeros enim alios silentio praeterivi, qui propter eamdem vel doctrinae, vel sanctitatis gloriam, in eodem cum iis honoris subsellio jure collocari merentur. Hos autem quoque ego vobis deinceps singulatim ostendam, si opusculum meum, quod vobis potissimum praelo paraturus sum, penes vos habere minime renuetis. Interea tamen dum in praesentiarum caeteros praetermitto, unum aliquem memini, a cujus saltem nomine afferendo, me abstinere non posse reor, eo quia egregium ipsius opus pretio, atque utilitate maximum, per summam Eremitano Ordini illatam injuriam, expuncta Augustiniana professione, ubique locorum quotidie evulgatur. Is nimirum est inclitus Regis Christianissimi concionator Hyacinthus Montargon Parisiensis, quem commune omnibus praedicatoribus *Dictionarium Apostolicum* tantopere commendat; cujus operis quo plures factae sunt, et fiunt editiones, eo majora evadunt praeconia Augustiniani auctoris.

Jam nunc tandem videtis, juvenes ornatissimi, atque Augustinianae Religionis spes amplissima, quales viros vobis hactenus enumerarim, quam magnos, quam famosos, et quantopere ab omnibus commendatos. In eos igitur oculos vestros convertite, atque intenta mente contemplamini, quam ob illustria ipsorum merita, praeclari

Digitized by Google

nominis apud omnes sint, quam ingentis famae, quantaeque existimationis. Iidem ipsimet summi viri fratres nostri sunt, filiique Matris nostrae, qui eidem cui nos Eremitanae Familiae nomen dederunt, qui eamdem quam nos albam nigramve tunicam induerunt, qui eadem quae nos coenobia incoluerunt, ac in iisdem forsitan in quibus nos cubiculis jugi studio, piisque operibus addictissimam vitam degerunt, ea ibidem vel pretiosa volumina lucubrantes, vel heroicas virtutes exercentes, quae toti Mundo stupori sunt, atque admirationi. En itaque, optimi adolescentes, quot praeclarissimorum virorum, per Augustinianam professionem, consortium nacti sumus. Quid ergo? Numquidnam nos tantorum hominum genus, nos heroum progenies, nos Augustinianae Familiae soboles, nosque Augustinensium amplitudinis haeredes, in medio gigantum, pumiliones videri patiemur? Dum fratres nostri aquilarum volatu sursum super astra sese extulerunt, nos trochilorum more humum pedibus radentes, illorum celsitudinem, vacua contemplatione spectabimus? Quid non potius aemulari, quid non potius aequare, quid non potius saltem cominus, eminusve sequi contendimus? Utrumne desidiosas illas apes imitantes, quae congestum ab aliis mel ingloriae comedunt, parta a Majoribus nostris Augustiniano Nomini gloria otiose frui malumus, quam aliquid pro suo quisque modulo, ad ipsam augendam, atque amplificandam, utcumque conferre? Absit a nobis, quaeso, fratres, hujusmodi tam stulta, tam humilis, tamque, ut melius dicam, perniciosa cogitatio. Non erit enim nostra laus, Majorum nostrorum excellentia, sed ingens e contra dedecus, atque ignominiosior vituperatio, si ipsorum magnitudine inveniemur indigni. Talis

Digitized by Google

est enim rerum natura, ut si una alteri conferatur, deterior magis ex comparatione vilescat. Sic si Lunae splendor solus aspiciatur, minime despectui habetur; ast ubi fulgentissimis Solis radiis comparatur, omnino contemnitur. Eodem modo si tanta ubique locorum nostratum gloria minime eluceret, posset forsitan, nisi totis viribus ad magna nitamur, humilitas nostra neglectu latere, ast tanto illorum splendore undique coruscante, facile omnium contemptui patebit. Eja igitur, optimae spei adolescentes, siquis est vobis Augustiniani Nominis amor, siqua vobis animo insidet vestri ipsorum honoris cupiditas, siqua demum vos allicit verae felicitatis oblectatio, torporem omnem extemplo a vobis excutite, ignaviam exuite, procul segnitiem, procul depellite socordiam, iter ad laudem, ad gloriam, vestrique ingenii lumen alacriter arripite, ac vestigia Majorum nostrorum sequentes, quaerite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, ac deinde diurna, nocturnaque manu libris versandis sedulam operam navate. Mementote nullam honestam esse avaritiam nisi temporis, nullamque utiliorem temporis usuram, quam quae ad veram virtutem adipiscendam impenditur. Veram, inquam, virtutem, quae profecto non in sublimitate honorum, non in dignitatum splendore, non demum in officiorum muneribus, sed in sola mentis, animique perfectione consistit. Porro animum, ac mentem rite perfibietis, si hanc bonis disciplinis locupletare, illum autem honestis moribus imbuere satagetis. Quod ut majori contentione peragatis, splendidissima habetis nostratum exempla. Vultis illorum imitari doctrinam? Ne vos, quaeso, tristissimus iste remoretur error, quo nimirum dicatis: illa Majorum nostrorum alia fuerunt ingenia, aliud ipso-

rum mentis acumen, alia memoriae felicitas, alia demum intelligentiae perspicacia. Nolite errare, fratres, tempora mutata sunt, non homines, non ingenia, non mentes, non demum rationalis natura. Nam profecto illi Majores nostri non praestantioris utique naturae fuerunt, sed studiosioris, qui idcirco ad summum gloriae, honorisque apicem, atque fastigium pervenerunt, quia accepta a Domino talenta, ne districtissimae reddendae rationi fierent obnoxii, nequaquam pigritia, atque inertia in sudario reposita tenuerunt, sed omni studio, omnique industria negotianda, atque multiplicanda curarunt. Ipsi etenim non quidem longiores deambulationes conficiendo, non otiosas confabulationes frequentando, non crebra solatia quaeritando, non nugas, non quisquilias, ineptiasque lectitando, non demum somno plus aequo indulgendo, sed e contra Scripturae, Patrumque libros jugiter pervolutando, peregrina idiomata addiscendo, recondita monumenta e tenebris eruendo, bibliothecas rimando, antiquitates, rudera, confractos lapides, numismata, hieroglyphica, vetustasque inscriptiones inspiciendo, amoenas artes exornando, uno verbo, scientias omnes excolendo, atque omnigenae eruditionis volumina exarando, totius vitae tempus perpetuo traduxerunt. Legimus Norisium nostrum, atque Lupum, aliosque ejusdem supercilii nostrates, quatuordecim quotidie continenter horas litteris vacasse; quod si a quibusdam ex vobis, quos ipsemet novi, pariter fiat, haud dubito ipsos Norisium, Lupumque superaturos. Verumtamen esto quod aliquibus ex vobis, rarum, quod magnum, quodve etiam mediocre desit ingenium, dicam his qui sunt hujusmodi, Apostoli verbis: numquid omnes doctores? Immo celebriores nostrates, qui maxime om-

Digitized by Google

nium Eremitanum Ordinem illustrarunt, hoc nomine caruerunt. Quis enim inter nostrates praestantior, quis magis laudandus, quis ampliori veneratione dignus Nicolao Tolentinate, et Joanne a S. Facundo? Hi tamen quamvis ad sua munia rite obeunda satis instructi, doctrinae tamen magnitudine minime claruerunt. Binae patent cunctis ad gloriam coenobitis semitae, una nobilis, nobilior altera, illa doctrinae est, haec vero sanctitatis. Illa facilior, sed quibusdam natura impervia, haec difficilior, sed gratia cunctis obnoxia. Si primam vobis forsitan imperviam minime calcare valetis, ab altera tamen cunctis obnoxia persequenda, quidnam tandem vos prohibere poterit? Immo quid ad illam omni alacritate capessendam vos potius non invitat? Invitat ipsum quod amplexati estis monasticae vitae institutum, invitat ipsum quod habetis coenobitarum nomen, invitat is quem gestatis Augustinianus habitus, invitant ea in quibus degitis religiosa claustra, invitat ipsa votorum professio, invitat etiam jam recepta, aut mox recipienda Sacerdotalis unctio, invitat tandem ipsius vestri honoris tutamentum, ne scilicet videamini per summam ignominiam, frugum amore, Religioni nomen dedisse. Hoc profecto valde probrosam fronti vestrae labem aspergeret, sciunt enim omnes, qui nos circumstant homines, quod iste tantummodo debeat esse instituti nostri finis, nempe sanctificatio nostra; ac proinde justissimae execrationi devovent eos, quos haud congruenter suae professioni vitam instituere vident.

Ast dum ego, juvenes praestantissimi, vel ad doctrinam, vel ad sanctitatem captandam hac mea oratione vos adhortor, nollem sane ita verba mea a vobis intelligi, quasi optem ad utram tantum singulatim persequen-

Digitized by Google

dam vos excitare, nam e contra etiam, atque etiam vos monitos volo, utramque simul quoad fieri potest, esse amplectendam, quoniam excellens quidem doctrina est, at excellentior tamen sanctitas; si vero uni simul conjungatur altera, excellentissimum. Quod si quispiam ex vobis sciscitetur utra alteri praeferenda sit, continuo dabo dignum tanto viro, nostri B. Alexandri Oliva Cardinalis responsum, nempe: *laudabilius esse hominem fieri bonum, quam doctum, utilioremque sibi, et aliis esse moribus praestantem, quam doctrina excellentem.* Addendum tamen, Sacerdotem quemlibet haudquaquam posse fieri bonum, nisi etiam nitatur saltem ecclesiasticam doctrinam adipisci, nam valde formidandum est illud Oseae Prophetae: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quod autem spectat ad gloriam appetendam, absit a me, ut ausim vos efficere inanis gloriae cupidos, illam enim gloriam intelligo, de qua scriptum est: *fratres qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ille autem recte in Domino gloriatur, qui, quidquid est, quidquid habet, quidquid praestat, sine ulla inflatione, omnium munerum largitori Deo, sincero corde refert acceptum. Haec est gloria quam loquor vobis, haec est, quam totis viribus sectari debetis, hanc enim jugiter sectantes, percipietis aliquando immarcescibilem gloriae coronam, quam repromisit Deus iis qui ambulant digne vocatione, qua vocati sunt. Sic ergo fratres omnes simul quotidie ambulemus, ut tandem ad hanc coronam percipiendam feliciter perveniamus. Fiat.

Digitized by Google

SAECULUM PRIMUM

Ab anno MCCLVI. usque ad MCCCLVI.

B. Aegidius Columna Cardinalis

Beatus Aegidius Columna, Doctor Fundatissimus appellatus, ortum habuit Romae anno 1247. ex nobilissima Columnensium familia. Sortitus a natura animam bonam, atque a parentibus pie sancteque institutus, evasit adolescens mirae spectataeque probitatis, adeo ut ad Augustinianum S. Mariae de Populo coenobium, frequenter adiret, cum ut sacratissimam Deiparae imaginem veneraretur, tum ut ex assidua cum ferventibus illis coenobitis conversatione, in suscepta praemature pietatis semita, magis magisque confirmaretur. Hinc factum est ut postquam religiosus juvenis, qui divitias omnes domus suae nihil esse ducebat in comparatione christianae perfectionis, enixe postulasset a Patre luminum, ut sibi ostenderet viam tutam,

Digitized by Google

per quam ambularet ad capessendam januam Regni coelorum, divino instinctu vocatum se senserit, ad vitam monasticam amplectendam in Ordine Eremitarum S. P. Augustini, in quo permulti sanctitate celebres viri tunc temporis maxime florebant. Adversabantur divinae Aegidii vocationi vota parentum, atque blandimenta amicorum, qui pluribus saeculi voluptatibus illi ob oculos positis, ab inito cucullum induendi consilio, eum deterrere conabantur. At adolescens Mundi contemptor, suique propositi tenax, maluit Deo magis obedire quam hominibus, ac propterea carnem, ac sanguinem viriliter conculcans, jam antea incoeptum divinae vocationis opus, tandem plenus gaudio perficere potuit, dum ad habitum suscipitur a B. Clemente Auximano totius Ordinis Praeposito Generali. Emissa solemni votorum nuncupatione, philosophicis disciplinis in Italia sedulam operam dedit, in quibus vix dici potest quam multum profectum fecerit, erat enim maximum praestantissimi ingenii portentum. Hanc palaestram mirum in modum edoctus, mittitur Lutetiam Parisiorum, ut in illa tunc temporis caeterarum omnium celeberrima Accademia, ad sacras litteras addiscendas incumberet. Nactus praeceptorem Angelicum Doctorem D. Thomam Aquinatem, tanta fuit, eo magistro, divinarum scientiarum copia locupletatus, ut si illum non superarit, parum tamen abfuerit quin saltem aequarit. Tantam et ingenii praestantia, et virtutum splendore apud scholarum Principem gratiam iniit, atque existimationem, ut iste, si forte cum cathedram conscenderet, casu aliquo abesset Columna, licet plurima caeteroquin auditorum frequentia stipatus, uno tamen Aegidio non audiente, perperam sibi videretur aurea eloquiorum suorum flumina

Digitized by Google

ex angelicis labiis effundere. Ipse autem vicissim amantissimum praeceptorem summa reverentia prosequebatur, eique adeo amoris, gratique animi glutino devinctus erat, ut cum Guilelmus de Mara Oxoniensis theologus libellum evulgasset, in quo aliqua Aquinatis Doctoris placita maledico dente carpebat, statim adversus magistri censorem ignitum stilum acuerit, atque in lucem emiserit praeclare elaboratum *Defensorium* contra impugnantes D. Thomam Aquinatem, ex quo Angelici Solis radii luculentius deinceps coruscare coeperunt. Infula doctorali Sorbonicae Scholae insignitus, caeteros omnes sapientissimae illius Accademiae professores longe superavit, ac talia praebuit solidissimae doctrinae argumenta, ut *Doctoris Fundatissimi* nomen merito apud omnes sibi comparaverit. Omnis aevi scriptores illum summis laudibus celebrarunt, inter quos Sabellicus affirmavit, neminem post Augustinum plura quam ipsum, neminemque accuratius scripsisse. Penes nostrates autem tantae fuit auctoritatis, ut illum adhuc inter vivos degentem, generalia comitia Florentiae habita, raro exemplo, Studiorum nostrorum Principem constituerint, ejusque doctrinam in toto Ordine amplectendam declararint; quare Augustiniana Schola etiam Aegidianae nomine deinceps nuncupari coepit. Nec minus aequitate quam doctrina se omnibus in omnibus spectandum exhibuit, Exorta enim, uti narrat Crevier in sua historia Parisiensis Universitatis, Parisiis acri contentione inter saeculares Antistites, et Mendicantes de istorum exemptionibus, ipse quamvis esset Augustinianus, ac propterea ex Mendicantibus, tamen Antistitum partes defendendas suscepit, eo quia vir veritatis quam utilitatis amicior, ipsis jus suffragari animadvertebat. Anno 1286, cum Phi-

Digitized by Google

lippus Pulcher nuper Rhemis Galliarum Rex inauguratus Lutetiam accessurus esset, unanimi Sorbonae decreto, quamvis in illa florentissima Accademia multi extarent non solum doctrina, atque eloquentia, verum etiam officiose excipiendi, congruisque Regem honoribus prosequendi dexteritate viri praeclarissimi, unus Aegidius dignus habitus fuit qui advenienti Principi publica verba faceret, qua occasione celebratissimam de justitia orationem composuit. Hujus Philippi adhuc adolescentis magister fuit, ac institutor, ejusque gratia excellentissimum opus de *Regimine Principum* exaravit. Anno 1292. in comitiis generalibus Romae in coenobio, S. Mariae de Populo habitis, cunctis faventibus suffragiis, ac universali omnium gratulatione B. Clementi Auximano, qui paulo ante Urbeveteri totius Ordinis clavum cum Regni coelestis gloria commutaverat, successor eligitur, rexitque naviter Religionis habenas tribus annis, amplius utique recturus, nisi a Summo Pontifice Bonifacio VIII, qui eximiam illius doctrinam, atque sanctitatem optime perspectam habebat, maxime ob egregium evulgatum de *Renuntiatione Papae* volumen, ad Archiepiscopatum Bituricensem, totiusque Aquitaniae Primatum evectus fuisset; ab eodem Pontifice purpureo galero, ut quidam scripserunt, proxime donandus, nisi sub idem tempus inter ipsum, ac Columnensium domum exitiosa illa dissidia exorta fuissent, quae postea in dirum bellum exarserunt. Nihilo tamen minus anno 1313. a Clemente V. revera creatus fuit S. R. E. Cardinalis, sed obnitente, ut quidam ajunt, praefato Philippo Pulchro, eo quod in libro de *Renuntiatione Papae* magis Pontifici, quam Regi patrocinari videbatur, illa creatio publicae luci nunquam patuit. Alii

Digitized by Google

vero putant, ideo Aegidii nostri Sacro Purpuratorum Collegio adnumerationem promulgatam non fuisse, quia invida mors praecurrens hanc ei dignitatem cum vita praeripuit. Sanctitatis ipsius hoc inter alia extat insigne monumentum a B. Jordano de Saxonia allatum, quod nempe cum mulier quaedam gravi morbo vexata ad eum accessisset petens ut suis precibus illam sanaret, ipse reputans se indignissimum cui hujusmodi petitio fieret, perhumaniter dimisit eam dicens: *vade bona mulier, fiat tibi secundum fidem tuam.* Nec mora, extemplo mulier pristinae incolumitati restituta fuit. Inter caetera autem praeclarissima virtutum suarum specimina, atque ornamenta, quae illum tantopere condecorabant, Deiparae quammaxime colendae addictissimus erat, ac ferventissimo flagrabat desiderio Augustinianae Religionis amplificandae. Quapropter cum anno 1311. Sub Clemente V. Viennensi Generali Concilio, in quo Templariorum Equitum Ordo extinctus fuit, interfuisset, Bituricensem ipsorum domum Ordini nostro obtinuit, eamque postea perpulchre exornavit. Plures inter nostrates instituit alumnos praestantissimos, qui tum doctrina, tum pietate, magnum sibi nomen compararunt, quos inter praecipuam laudem merentur B. Albertus Patavinus, B. Angelus de Furcio, Alexander a S. Elpidio, Gerardus Senensis, nec non juxta aliquos B. Jacobus Viterbiensis. Vita cessit vir numquam satis laudandus Avenione an. 1316. aetatis suae 69. postquam suam Ecclesiam annos 22. sanctissime administrasset. Corpus ejus Lutetiam translatum, ibidem apud Augustinianos sepultum fuit, apposito ad tumulum hoc epitaphio:

Digitized by Google

HIC JACET
AULA MORUM VITAE MUNDITIA
ARCHIPHILOSOPHIAE ARISTOTELIS PERSPICACISSIMUS COMMENTATOR
CLAVIS ET DOCTOR SACRAE THEOLOGIAE
LUX IN LUCEM REDUCENS DUBIA
FR. AEGIDIUS DE ROMA ORDINIS FRATRUM
EREMITARUM S. AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPUS BITURICENSIS QUI OBIIT
ANNO DOMINI MCCCXVI. XXII. MENSIS DECEMBRIS.

Immensam omnium laudum copiam in Aegidium nostrum congerunt omnes nostrates scriptores, atque externi prope innumeri. Illum tamen multo magis commendant valde pretiosa omnigenae eruditionis ab ipso exarata volumina, ex quibus ea quae subjiciuntur, quemadmodum et alia quaedam, typis habentur excusa. Haec nimirum sunt: *Philosophica* 1. *In tres libros Rhetoricorum Aristotelis*. 2. *Comment. in libros Priorum ejusdem*. 3. *Comment. in libros Posteriorum*. 4. *In artem veterem, videlicet de universalibus etc.* 5. *Expositio in libros Elenchorum, addita quaestione de medio demonstrationis*. 6. *In libros* 8. *Phisicorum*. 7. *De bona fortuna, ac de morte, et vita*. 8. *Comment. in libros Aristotelis de generatione*. 9. *Comment. in tres libros ejusdem de anima*. 10. *De gradibus formarum accidentalium lib. I.* 11. *De materia coeli contra Averroem lib.* 1. 12. *Quaestiones aureae metaphysicales*. 13. *De formatione humani corporis in utero lib. I.* 14. *Comment. in librum de causis*. 15. *De Regimine Principum lib. tres, et alia*. *Theologica* 1. *Hexameron, sive de Mundo sex diebus condito lib.* 11. 2. *Comment. in librum Canticorum*. 3. *In epistolam ad Romanos*. 4. *De defectu*,

Digitized by Google

et deviatione malorum culpae, et peccatorum a Verbo lib. 1. 5. *De Corpore Christi theoremata* 50. 6. *De Charactere lib.* 1. 7. *De Corpore Christi tractatus* 1. 8. *De Paradiso, Purgatorio, et Inferno.* 9. *De articulis Fidei.* 10. *De Arca Noe.* 11. *De peccato originali.* 12. *De praedestinatione, et praescientia.* 13. *In Cap. Firmiter de Summa Trinitate, et Fide Catholica, et in Cap. Cum Marthae, de celebratione Missarum.* 14. *Expositio super Orationem Dominicalem, et Salutationem Angelicam.* 15. *De concessionibus rerum immobilium, quae a Regibus Ecclesiae fieri solent.* 16. *De Renuntiatione Papae.* 17. *Liber unus contra exemptos.* 18. *Quodlibeta sex.* 19. *In primum, secundum, et tertium Sententiarum.* 20. *Defensorium contra impugnantes D. Thomam Aquinatem.* 21. *Tractatus de divina influentia in beatos.* 22. *De laudibus divinae Sapientiae.* 23. *Determinatio quomodo Reges circa bona ad Coronam pertinentia possint liberalitatis opera exercere.* 24. *Elucubrationes in quatuor libros Sententiarum cum annotationibus B. Henrici de Urimaria.* 25. *Quaestiones* 13. *de esse, et essentia, seu de primo principio.* 26. *Quaestiones* 14. *de cognitione Angelorum.* 27. *De subjecto Theologiae lib.* 1. 28. *Quaestiones septem de resurrectione mortuorum.* 29. *Compendium theologicae veritatis in septem libros digestum.* 30. *De gradibus formarum in ordine ad Christi opera, et alia plura, quae notantur a Torrellio, Elssio, Gandolpho, et aliis.*

Digitized by Google

B. Albertinus de Verona.

Beatus Albertinus de Verona vir fuit eximius doctrina, ac sanctitate, quarum virtutum suavissimum odorem longe lateque per totam Italiam jam diffuderat, cum a B. Lanfranco Septala Mediolanensi Supremo Ordinis Antistite, anno 1256. in Angliam missus fuit, ut ea quae tam ibidem, quam etiam apud Scotos, et Hibernos adhuc sejuncta extabant Augustiniani Instituti coenobia, Romani Pontificis auctoritate universae Religioni nuper ab Alexandro IV. ex variis Congregationibus in unum conflatae aggregaret, atque ad exactiorem regularis disciplinae normam redigeret. Hac provincia fauste, feliciterque magno Ordinis emolumento expleta, ac pluribus etiam in illis regionibus monasteriis exaedificatis, Italiam repetiit, ac in patriam reversus reliquos, quos vixit dies ibidem sanctissime transegit, jugi praesertim corporis castigationi, assiduaeque verbi Dei praedicationi apprime intentus, quibus piis exercitationibus, et sibi plenissimam meritorum segetem collegit, et in proximis protulit uberrimos bonorum operum fructus. Postremo tot benefactorum gloria cumulatus, religiosissimae peregrinationis suae cursum in patria consummavit, eumque beatorum Ordinis nostri numerum auxisse satis probarunt edita divinitus miracula, quibus ante, et post obitum coruscavit, uti refert doctissimus Franciscus Pona Veronensis in vita BB. concivium Evangelistae, et Peregrini item Augustinensium. Statim a funere beati nomine a Fidelibus nun-

Digitized by Google

cupari coepit, ejusque effigies anno 1406. in tabula depicta fuit, titulo radioque beatitatis insignita. Haec effigies posita fuerat ad altare S. Nicolai de Tolentino in templo S. Euphemiae. Latet ipsius sepulturae locus, licet compertum sit humatum fuisse in eodem templo juxta chorum ad dexteram, teste praefato Pona. Loquuntur de hoc B. Albertino ex nostris Pamphilus, Herrera, Torrellius, et Elssius, ex aliis autem praeter laudatum Pona, Raphael Bugata agens de Sanctis Episcopis Veronensibus; qui omnes licet sileant omnino de die, deque anno ipsius transitionis, tamen extra omnem dubitationem ponunt, illum post magnam Ordinis unionem ex hac vita migrasse.

B. Albertus Patavinus.

Beatus Albertus Patavinus anno 1283. aetatis suae 16. Patavii nostrae Eremitanae Familiae nomen dedit. Missus Lutetiam Parisiorum, ut sublimioribus disciplinis imbueretur, adeo penitissima sub Angelico, ac Fundatissimo Doctoribus Philosophiae, ac Theologiae arcana perspicacissimi ingenii acumine pertentavit, tantaque animi alacritate iis addiscendis sedulam, enixamque operam navavit, ut brevi amplissimam harum scientiarum penum in mentis suae receptaculo reposuerit, atque unus evaserit ex primoribus illius aevi philosophis, atque theologis, inter quos nulli fere superiores, perpauci autem illi pares recensebantur. Quapropter jure meritoque *Stu-*

Digitized by Google

diorum columna, ac summus Reipublicae Christianae splendor fuit appellatus. Sorbonici Doctoris laurea decoratus in patriam rediit, totumque se dedit divinis eloquiis e suggestu enunciandis, quo in munere adeo se praestantem exhibebat, ut universam Italiam in sui admirationem converteret, atque in ore omnium versaretur tamquam incomparabilis verbi Dei praeco, fulgidissimum concionatorum exemplar, summum vas scientiae, atque novissimum post Apostolos evangelicae praedicationis oraculum. Talis, ac tantus hujusmodi praeclarissimorum praeconiorum rumor cito pervenit usque ad aures Supremi Ecclesiae Hierarchae Bonifacii VIII. qui vehementer incensus cupiditate audiendi hunc Italiae Chrysostomum, illum Romam ad concionandum arcessivit, quem cum pluries ipse suis auribus audiisset, reipsa expertus est merito minora esse encomia, quae de illo ubique divulgabantur. Refert Curtius, hunc Albertum aptorum gestuum usum, ex quo tantum roboris pronuntiationi accedit, atque Petrus de Alva, valde laudabilem consuetudinem salutandi Deiparam Salutatione Angelica ante concionum exordium, primum omnium in Ecclesiarum pergama invexisse. Demum postquam praecipuas Italiae urbes aureo divinae eloquentiae flumine irrigasset, plurimamque conversorum hominum messem in horreum coelestis Patrisfamilias congregasset, iterum in Galliam remeavit, ibique dum Parisiis mira prorsus industria ingenti discipulorum multitudini Sententiarum Magistrum explanaret, ac praeter jam editos novis summae eruditionis libris edendis naviter incumberet, debitum naturae persolvit anno 1323. aetatis suae 56. ejusque corpus ibidem penes Augustinianos humatum fuit. Vir fuit non solum mirae eruditionis, verum etiam

Digitized by Google

sanctimoniae singularis, quare a nonnullis scriptoribus beati nomine decoratur. Patavina civitas ad tanti concivis memoriam immortalitate donandam, marmoream illi statuam supra januam sui nobilissimi Pactorii erexit, hisce honorificentissimis inscriptionibus exornatam:

ALBERTO EREMITARUM PATRI SINGULARISSIMO VITAE
CONTINENTISSIMAE PATRIA PATAVINO STUDIORUM
COLUMNAE ET REIPUBLICAE CHRISTIANAE
SUMMO SPLENDORI.

ALBERTUS LIBERALIUM ARTIUM
AC URBIS NOSTRAE SPLENDOR
IN ORDINE EREMIT. REGULAM PROFESSUS
CONTINENTISSIMAE VITAE FUIT.
IS CLARUIT INGENIO SUB CELEBERRIMO
AEGIDIO ROMANO EJUSDEM ORDINIS
SACRIS LITTERIS APPRIME IMBUTUS
SUMPTA PARISIIS INFULA MAGISTRALI
TAM CLARUS EVASIT UT PAULUM APOSTOLUM
MOYSEM EVANGELIA AC LIBRUM SENTENTIARUM
EXPOSITIONE SPLENDIDISSIMA RESERAVERIT
IDEMQUE ANTE OMNES SUAE AETATIS VIROS
FACUNDISSIMUS PRAEDICATOR
IMMORTALI MEMORIAE HIC OPTIMO JURE DATUR.

Videantur ex nostratibus Pamphilus, Romanus, Seripandus, Crusenius, Herrera, Curtius, Panvinius etc.

Digitized by Google

Ex aliis autem Ciacconius, Bzovius, Raynaldus, Trithemius, Possevinus, Bellarminus, Sixtus Senensis, Tiraboschius etc. Opera ejus sunt: 1. *Expositio Evangeliorum Dominicalium, et Festorum, pluries impressa.* 2. *Expositio Evangeliorum Quadragesimalium, ac etiam aliquot Epistolarum, item pluries imp.* 3. *Expositio super Pentatheucum.* 4. *Collationes Biblicae.* 5. *Postilla super Evangelia Quadragesimae.* 6. *Libri* 14. *in omnes Epistolas D. Pauli.* 7. *In quatuor Evangelistas lib.* 4. 8. *Sermones de tempore lib.* 1. 9. *Sermones ad Clerum, lib.* 1. *et alia.*



Fr. Alexander a S. Elpidio.

Alexander a S. Elpidio nuncupatus eo quod in ejusdem nominis Piceni oppido primam lucem aspexit, anno 1269. tunicam Augustinianam induit. Studiorum causa missus in Galliam, in Parisiensi Universitate praeceptorem habuit Fundatissimum Doctorem nostrum Aegidium Romanum. Postea magistralem lauream adeptus ibidem magna cum laude, ingentique auditorum plausu sacram Theologiam est interpretatus. Vir rari ingenii non solum divinis, humanisque litteris mirum in modum eruditus erat, verum etiam summa prudentia, amplissimaque rerum agendarum dexteritate praepollebat. Testantur hoc quinque generalia comitia, in quibus huic Alexandro tamquam peritissimo nauclero totius Eremitanae Familiae

Digitized by Google

gubernaculum commissum fuit. Diuturno 14. annorum sui regiminis intervallo rem Augustinianam consilio, et opere plurimum adjuvit. Ordinem instauravit, regularem observantiam promovit, studia in Italia ampliavit, accitis propterea ex Athenaeo Parisiensi ad Augustinianam juventutem in patria edocendam, Alberto Patavino, ac Gerardo Senensi, aliisque ejusdem fastigii nostratibus. Meritissimus Antistes editis *de Ecclesiae potestate*, atque *de Summi Pontificis auctoritate*, aliisque summae eruditionis voluminibus, multam iniit apud Romanum Pontificem Joannem XXII. gratiam, atque clientelam; quapropter ab eodem Pontifice ad varios Principes pro tuendis Ecclesiae juribus legatus missus fuit, in quarum legationum perfunctione spem Pontificis minime frustratus, ab eo Melphetanus Episcopus eligitur. Ex hoc nomine *Melphetanus* controversia exorta est inter scriptores, utrum Melphis in Lucania, an potius Molficti in Apulia pastorale pedum obtinuerit. Verum sive Melphis, sive Molficti, seu ut alii secus volunt, Ravennae, vel Amalphis, aut etiam tandem Cretae, extra omnem dubitationem est, ipsum Episcopum creatum fuisse. Monastici silentii custos solertissimus, tamquam validissimum religiosae perfectionis munimen illud observandum monebat, juxta propheticum sermonem dicere solitus: *cultus justitiae silentium*. Tandem ingens sui desiderium, praeclaramque sui nominis memoriam superstitibus, posterisque relinquens ineluctabili omnium fato concessit anno 1325. Extat Firmi in Piceno apud nostrates perinsigne reliquium, spina nempe pretiosissima Dominicae Coronae, quam uti refert Elssius, Alexander noster ex Parisiensi Urbe in patriam deportaverat, unde postea ob illius oppidi vastationem Firmum tran-

Digitized by Google

slata fuit, ibique etiamnunc magna veneratione asservatur. Laudant Praesulem amplissimum B. Jordanus de Saxonia, Herrera, Seripandus, Elssius, Torellius, Possevinus, Tiraboschius, et alii. Volumina ab ipso exarata, sunt: 1. *De jurisdictione Imperii, et auctoritate Summi Pontificis, impres.* 2. *De Ecclesiae potestate ad Joannem XXII. lib.* 2.*impres.* 3. *De cessione, Sedium fundatione, et mutatione.* 4. *Quaestiones ordinariae theologicae.* 5. *De paupertate Evangelica, lib.* 1. 6. *De Ecclesiastica unitate, lib.* 1. 7. *Comment. in libros Priorum Aristotelis.* 8. *Comment. in lib. Topicorum ejusdem, et alia multa.*



B. Angelus a Burgo S. Sepulcri.

Beatus Angelus a Burgo S. Sepulcri, ibidem in Hetruria ex illustri de Scarpettis familia natus, in ipso juventutis flore Ordinem Augustinianum, Deo vocante, est amplexatus. Quamvis caeteris virtutibus praeluceret, praecipue tamen, teste Coriolano, puritate, humilitate, et paupertate eminebat. Virginitatem sedula sensuum custodia usque ad extremum vitae spiritum illibatam servavit, cujus rei monumentum prope coaevum extabat, uti notat Torellius, Perusiae apud nostrates, perantiqua videlicet statua illius imaginem referens hoc Beati elogio insignita: *B. Angelus a Burgo S. Sepulcri floruit tempore S. Nicolai de Tolentino, et virgo moritur.* Ex hoc praeclaro testimo-

Digitized by Google

nio istud etiam aperte eruitur, nempe Angelum nostrum usque ab obitus sui tempore beati honorem, ac titulum obtinuisse. Eximiam ipsius humilitatem, atque accuratissimum paupertatis studium summis laudibus praedicarunt praeter laudatum Coriolanum, B. Alphonsus de Orosco, Herrera, aliique passim. Hominum autem contubernium reliquit Angelus noster, ut in Angelorum consortium assumeretur, anno Domini 1306. juxta praefatum Torellium. Vide hunc, et alios scriptores Ordinis.



Fr. Angelus de Camerino.

Angelus de Camerino sacrae Theologiae Doctor, ac Professor valde celebris inter primarios sui temporis theologos jure meritoque recensetur. Qui quantum divinarum litterarum scientia valuerit, vel ex eo patet, quod anno 1295. in Capitulo generali Senis in Thuscia celebrato, aemulus fuerit B. Aegidii Columnae in publicis concertationibus, quae in Theologiam universam ibidem habitae fuerunt, nam unus post alium, Aegidius nempe dum Fr. Petrus de Roma, Angelus vero dum Fr. Gregorius de Luca defendebat, Cathedrae moderator adstitit. Fuit etiam philosophus admodum clarus, atque uti notat Gandolphus ex Crescimbenio, poeta tuscus insignis, qui ut ait clarissimus Perticari, sive exacta structura verborum, sive terminorum proprietate nemini ex coaevis est posthaben-

Digitized by Google

dus. Praestantissimos alumnos, eosque inter, Alexandrum de S. Elpidio in Ordine instituit. Praefato anno 1295. a Bonifacio VIII. ad Episcopalem Calliensem in Umbria Sedem evectus fuit, unde tamen binos post annos ad Fesulanam in Hetruria transfertur. Anno vero 1300. pastorale pedum dimisit; atque Fesulanam infulam Pontifici resignavit, qui tamen ne dignitas Episcopalis suo splendore orbata vilesceret, Ecclesiam Larinensem apud Samnites illi administrandam dedit. Mentionem faciunt de nostro Camerte omnes nostrates scriptores, atque externi quamplurimi, inter quos nimirum sunt Ughellus, Villanus, Jacobillus, Possevinus, Scipio Ammiratus, ect. Scripta ejus sunt: 1. *Expositiones in Evangelia lib.* 2. *Lectura in Magistrum Sententiarum Senis, et Bononiae habita.* 3. *In Epistolas D. Pauli lib.* 14. 4. *In utramque Philosophiam.* 5. *Sermones ad populum.* 6. *In Dialecticam.* 7. *In Praedicamenta Aristotelis, et plura alia.*

B. Angelus de Fulginio.

Beatus Angelus de Fulginio, ibidem ex nobilibus parentibus Comitibus Turris, et Vignolae in territorio Fulginate, nec non S. Angeli in Pontano apud Picenos, uti refert Jacobillus, anno 1226. ortus, cum ad vigesimum aetatis annum pervenisset, fama permotus, quae de insigni nostri B. Jaannis Boni vitae sanctitate percrebuerat,

Digitized by Google

Eremitano Ordini in Augustiniana ab illo instituta Congregatione nomen dedit. Religiosae perfectionis percupidus, brevi illius apicem attigisse visus fuit. Nam nemo fuit illo in choro frequentior, nemo magis in orando assiduus, nemo humilior in abiectissimis quibusque coenobii muniis obeundis, nemo diligentior in claustrali silentio observando, nemo in Dei, proximique amore ferventior, nemo tandem qui majori alacritate per omnium christianarum virtutum semitam progrederetur, adeo ut brevi evaserit, ut scribit Elssius, inexplicabilis sanctitatis vir, puritatis, patientiae, atque innocentiae singulare exemplar. Potissimum autem peculiari commendatione digna censenda est ineffabilis ipsius patientia, quae nimirum virtus, ut ait noster B. Alphonsus de Orosco, in illo potius admiranda, quam imitanda fuit. Exciti Fulginates tanti concivis claritate, eum in patriam arcesserunt, ut ibidem Augustinianum S. Augustini coenobium aedificaret, quod reipsa et inchoavit, et perfecit, rexitque sanctissime annos octo, et triginta. Tandem meritorum plenus anno 1296. ex hac vita migravit ante, et post obitum, teste nostro Hieronymo Romano, miraculis clarus. Sepultus fuit Fulginii in templo S. Augustini. Verba faciunt de illo, praeter laudatos, Pamphilus, Herrera, Torrellius, Elssius, aliique.

Digitized by Google

B. Angelus de Furcio.

Beatum Angelum de Furcio, quod est Aprutii oppidum prope Teatem, parentes cum diu prole caruissent ad Garganum montem voti causa profecti, S. Michaelis precibus anno 1246. a Domino impetrarunt. Apparens enim in somnis triumphator Archangelus piis conjugibus, annunciavit eis, exauditam fuisse a Deo deprecationem ipsorum, ac propterea brevi filium suscepturos, cumque magnum doctrina, ac sanctitate in Augustiniana Religione futurum. Oritur itaque suo tempore Angelus, nativitate, et nomine ab Archangelo donatus, ac statim in ipsa angelica vultus venustate futuram sanctimoniam portendit. Ubi adolevit cuidam Ordinis S. Benedicti Abbati, matris ipsius uterino fratri instituendus traditur, sub quo magistro egregie litteris, ac pietate eruditus, splendidissimum evasit patriae, familiaeque ornamentum; quamobrem nobiliores oppidi, ac finitimorum locorum domus eum sibi affinitate conjungere cupiebant. At ipse a patre, Archangeli praedictionem admonitus, cunctorum expectationem elusit. Nam post mortem patris, relicta matre, ac omnibus, quae possidebat, ad Augustinianum Vasti coenobium non ita procul a patria se recepit, ibique ad tirocinium admissus, post annum, juxta morem, solemnia vota nuncupavit. Postquam quinque annos in Italia studiis operam navaverat, a B. Clemente Auximano Generali Lutetiam Parisiorum mittitur, quo nonnisi melioris spei adolescentes mitti solebant. Ibidem prius studiorum comitem, deinde etiam praeceptorem habuit Doctorem Funda-

Digitized by Google

tissimum Aegidium Columnam, sub cujus magisterio sacrae Theologiae Lectoris gradum obtinuit. Reversus in Italiam, non ita multo post ab eodem B. Clemente Auximano Moderator Studiorum conventus nostri S. Augustini Majoris Neapolis eligitur, quod munus cum ingenti tum in pietate, tum in doctrina adolescentium profectu semper quoad vixit laudabiliter exercuit. Adeo fuit humilitatis studiosus, ut Provincialis officium nonnisi obedientia coactus admiserit, ac binos Episcopatus Acerrarum nempe in Campania, ac Melphis in Lucania sibi ultro oblatos constantissime recusaverit. In sacris literis impense eruditus valde utilem, ac doctissimam elucubravit Evangelii S. Matthaei expositionem, quam urgente Clero Neapolitano publicae luci commisit. Tandem meritis plenus, pretiosa Sanctorum morte, octogenario major, hanc mortalem vitam finivit in terris, ut aeternam inchoaret in coelis. Ante, et post obitum miraculis coruscavit, quare ab illis usque temporibus beati nomine nuncupari, ac beatorum cultu honorari coepit, ejusque festum cum Furcii, tum Vasti, hymnis, ac orationibus propriis celebratur. Neapoli in templo S. Augustini sepultus fuit. Videantur Philippus Ferrarius, Enschenius, Papebrochius, Caesar Engenius Caracciolus, atque ex nostratibus Herrera, Crusenius, Torellius, Elssius, Gandolphus etc.



Digitized by Google

B. Antonius de Monticiano.

Beatus Antonius ob diuturnum incolatum, de Monticiano (Hetruriae oppido) appellatus, ortum habuit Senis ex nobilissima, ac perantiqua Patritiorum progenie, quae etiamnunc maxime floret, et cui majorem adhuc splendorem addit, atque ornamentum, Emus Cardinalis Patritius nostri Eremitani Ordinis valde benemeritus Protector. Adolescens christianae perfectionis amator odorem sequens bonorum operum, quem tunc maxime Augustiniani Eremitae, ac praesertim. B. Augustinus Novellus per totam Hetruriam longe lateque diffundebant, eorum societati adscribi postulavit. Factus itaque consors sanctorum virorum, et ipse sanctitate clarere coepit. Auditis postea quae ubique praedicabantur de insigni poenitentia nostri B. Petri de Camerata, qui de superiorum licentia in Cameratense Ordinis Eremitorium solus vitam Angelorum ducere secesserat, ad eum invisendum tamquam novellus Antonius ad alterum Paulum, spiritualis lucri cupiditate properavit, atque cum illo aliquandiu inter pias, sanctasque exercitationes commoratus, eodem, quo ille plenus erat, pietatis spiritu imbutus fuit. Monticianum redire volens, a B. Petro commeatum accipit, qui illum usque ad locum *Saxum Crucis* nuncupatum, unde Monticianum conspicitur comitatus, indidem prius oppido, ac deinde Antonio benedictionem impertiens, beatus beatum dimisit. Fama est tunc B. Petrum nudum super praefatum saxum pedem posuisse, atque ibidem veluti in molli cera impressum vestigium reliquisse. Itaque Antonius ubi Monticianum re-

Digitized by Google

diit, morbo quo jampridem, cum Cameratam peteret, in itinere correptus fuerat, ingravescente, terminum dierum suorum appropinquasse praesentiens, atque de proxima pro tot meritis suis retributionis gloria hilarescens, Ecclesiae Sacramenta petivit, iisque devotissime susceptis, purissimam animam Deo reddidit circa annum 1330, eamque statim post obitum in Coelum ab Angelis efferri quidam piissimus vir Monticiani incola nomine Majolus aspexit. Quamvis ceteris quoque virtutibus abunde fuerit cumulatus, singulari tamen praerogativa puritatis commendabatur; in cujus angelicae ipsius virtutis signum, e sepulcro ejus alba lilia sua sponte germinasse, memoriae proditum est. Ejus corpus in coemeterio, sed prope Ecclesiam sepultum, post binos annos ob gratissimi odoris fragrantiam, liliorumque nativitatem exhumatur, ac integrum, vegetumque repertum in Ecclesia supra altare honorifice collocatur, ibique etiamnunc magna veneratione colitur. Cultum hunc ab immemorabili ei praestitum Pius VII. apostolica auctoritate confirmavit, atque Antonium beatorum albo adscripsit. Vide Herreram, Torrellium, Elssium, atque Ordinis Breviarium.



Fr. Augustinus de Asculo.

Augustinum de Asculo fere omnes scriptores Ordinis anno 1385. assignant; at videtur praeferendus Gan-

Digitized by Google

dolphus, qui caeterorum errorem corrigens, illum anno 1297. floruisse affirmat. Hunc laudat etiam Moronius titulo *Agostino d' Arcoli*, in quo patet errasse typographum ponendo *r.* pro *s.* Fuit itaque Asculanus noster unus ex praecipuis suae aetatis theologis, atque egregius in primis concionator. De illo haec scribit noster Herrera: *Augustinus de Asculo anno 1297. a Bonifacio VIII. constituitur Apostolicus in toto terrarum Orbe confessarius.* Joannes autem Schiphowerus de Meppis in Chronicis Archicomitum Oldemburgensium de nostro Augustino haec habet: *Circa illa tempora claruerunt quatuor doctores excellentissimi. Primus fuit fr. Augustinus de Esculo doctor quidem in omni dicendi genere clarus. Edidit super Sententiis commentum dignissimum, in moralibus, et in Sacra Scriptura multa quidem digna opuscula.* Laudatur etiam a Possevino, Frisio, Bellarmino, et ab aliis. Scripta ejus sunt: 1. *Sermones Fr. Augustini Esculani Ord. Erem. ad instantiam Scholarium ejusdem Ord. in Studio Patavino.* 2. *Postilla Fr. Augustini de Esculo Ord. Eremitarum S. Augustini.* 3. *Augustini de Esculo Ord. Eremitarum sermones quatuor.* 4. *Expositio Evangeliorum totius anni.* 5. *Super quatuor libros Sententiarum libri quatuor.* 6. *Super libros Phisicorum Aristotelis.* 7. *Super Genesim quaedam moralia, lib.* 1. 8. *Lectiones plures super Scripturam Sacram, lib.* 1.

Digitized by Google

B. Augustinus Novellus.

Beatus Augustinus Novellus, antea Matthaeus Thermes, ob insignem quamdam ingenii, doctrinaeque praestantiam eximio Ecclesiae Doctori comparatus, Augustini Novelli nomine propterea meruit appellari. Ortum habuit Thermis in Sicilia ex nobilibus parentibus, qui ex antiqua, clarissimaque Catalauniae Comitum progenie genus suum ducebant. Bononiae summa cum scientiae, atque probitatis laude, juris utriusque lauream adeptus, in patriam regreditur, ubi haud multo post a Rege Manfredo qui singularem ipsius peritiam, atque dexteritatem cum pari vitae integritate conjunctam optime perspectam habebat totius Regni Cancellariae praeficitur. Regem ad bellum comitatus, pugnavit cum eo contra Carolum Andegavensem prope Beneventum, in quo certamine, Manfredo interfecto, et ipse in occisorum numero reputatus fuit. At Deo sospitante incolumis servatus, in gravem postea morbum incidit, ex quo cum in vitae discrimen venisset, emisso voto, si pristinae sanitati restitueretur, se monasticam vitam sectaturum, repente convaluit. Quamobrem ter nuncios ad Dominicanos misit, ut apud inclitam Praedicatorum Familiam reciperetur. Verum Deo sic disponente, qui gloriosos viros per singulos Ordines sine personarum acceptione distribuere studet, toties nuncii errato ad Augustinianos deflexerunt. Semel, et iterum famulorum imperitiae factum attribuit; tertio tamen in eo Dei voluntatem agnovit, ipsum ad Augustinianam Eremum vocantis. Itaque mutata sententia, cum Augustinia-

Digitized by Google

nis rem agit, atque componit, Ordinemque Eremitanum ingreditur, data opera, scientiae suae splendorem sub modio humilitatis occultans, ut inter fratres laicos cooptaretur. Ut autem lateret securius, atque facilius absconditam in Christo vitam duceret, procul a patria ire statuit; quapropter relictis Siculis oris ad solitaria Senensis ditionis coenobia transmigravit. Ibidem in humili fratrum famulantium ministerio tandiu ingenti animi alacritate inservivit, quamdiu placuit Domino qui dat opprobrium superbis, humilibus autem exaltationem, absconditum in illo magnae scientiae, atque eruditionis thesaurum hominibus aperire. Itaque cum quidam vir potens, Jacobus Pagliaresius nomine, Rosiae nostri Ordinis coenobio, in quo tunc Augustinus degebat, praedium satis amplum, quod religiosam familiam alebat, per litem eripere conaretur, ac propterea fratres extremis angustiis premerentur, ipsorum dejectos, turbatosque animos ipse animadvertens, quidnam tanta Patres moestitia afficiat, requirit, et addiscit. Quare occulte monasterii procuratorem adit, chartam, et atramentum ad scripto jura coenobii tuenda postulans. Ridet ille primum viri simplicis, atque idiotae, (talis enim ab omnibus reputabatur) insperatam petitionem. Serio tamen eadem postulare perseveranti, tandem subridens postulata concedit. Continuo igitur Augustinus sine ullo librorum praesidio, ac solo, quas in mentis penu reconditas habebat, notionum adjumento utens, perquam validissimam, numerisque omnibus absolutam lucubrationem elaboravit, in qua breviter tanto rationum pondere, tantaque argumentorum vi coenobii jura defendit, ut ipsemet Pàgliaresius, ad quem perlata fuerat, ea perlecta se causa excidisse ingenue contestans dixerit: *Aut hoc scrip-*

Digitized by Google

tum a diabolo exaratum est, aut ab Angelo, aut a Matthaeo de Thermis, quocum Bononiae jurisprudentiae operam navavi, quique postea in bello Caroli contra Manfredum interfectus occubuit. Affirmanti autem latori scripturam illam a quodam viro imperito conflatam fuisse: *Non est ita*, respondit, *hic quisquis est, juris est scientissimus; veniam ipse, et videbo eum.* Hisce dictis Rosiae viam arripit, quo ut pervenit, Matthaeum reperit vilioribus monasterii officiis intentum, agnitumque praeclarissimum sodalem sub rudi tunica latitantem, eum peramanter complectitur, se ab ipso victum, superatumque apertis verbis declarans, ac deinde ad coenobitas conversus ait: *Custodite hunc sapientiae, virtutisque thesaurum, quo praestantiorem non habet Orbis, teneatis ergo eum, ut decet.* Porro autem doluit quammaxime humillimus famulus Dei, se fuisse detectum, praereptamque sibi jucundissimam absconditae vitae beatitatem; probe enim statim intellexit, non amplius fore sibi deinceps liciturum inter fratres laicos, uti peroptabat, delitescere. Et revera cum paulo post Senas B. Clemens ab Auximo tunc temporis Eremitanae Familiae Praepositus Generalis advenisset, atque eximii viri amplissimam eruditionem, ceterasque egregias virtutes comperisset, illum secum Romam perduxit, eumque quamvis invitum, ad sacros tamen Ordines statim promotum, adjutorem postea adhibuit in revisendis, instaurandis, atque reformandis Ordinis constitutionibus. Deinde cum magis magisque in dies pietatis, atque prudentiae laude praefulgeret, a Nicolao IV. Poenitentiarius Apostolicus assumitur, quod officium decem annos partim sub eodem Pontifice, partim autem sub successoribus ejus Coelestino V. ac Bonifacio VIII. egre-

Digitized by Google

gie gessit. Hujus postremi Pontificis fuit etiam Legatus ad Senenses. Anno 1298. Mediolani in comitiis generalibus universae Augustinianae Familiae regendae praeficitur, quod tamen munus, non aliter quam jubente Pontifice susceptum, post biennium, pristinae solitudinis desiderio, recusato etiam non semel Episcopatu, ultro dimisit, atque ideo negotiis omnibus expeditus, ad S. Leonardi Eremum prope Senensem urbem liberius Deo vacare se recepit. Ibidem piis religionis operibus jugiter intentus, caritatis erga proximum munia minime neglexit. Nam in eadem Senensi civitate celebre valetudinarium inventis praeter opinionem redditibus amplificavit, atque sodalitio fratrum S. Mariae infirmis ministrantium instituto, valido ad aegrotantium solatium praesidio communivit. Tandem tot, tantisque praeclaris virtutibus, meritisque gloriosis cumulatus, anno 1310. ex eodem S. Leonardi Eremitorio ad Superos evolavit, ejusque sacrae exuviae Senis in templo S. Augustini repositae, etiamnunc ibidem servantur, et coluntur. A Clemente XIII. beatorum fastis adscriptus fuit. Scripserunt de illo ex nostris, B. Henricus de Urimaria, B. Jordanus de Saxonia, Ambrosius Coriolanus, Emi Aegidius Viterbiensis, et Hieronymus Seripandus, Josephus Pamphilus, Nicolaus Crusenius, B. Alphonsus de Orosco, Thomas Herrera, Torellius, Elssius, aliique; de externis autem, Bzovius Dominicanus, Jacobus Locasius Thermitanus, Ottavius Gaetani Siracusanus Jesuita, et alii.



Digitized by Google

Fr. Augustinus Seneca.

Augustinus Seneca Romanus vir fuit plane doctus, ac sacrarum Scripturarum studiosissimus perscrutator. Eo quia in suis locutionibus valde sententiosum, atque gravem morum magistrum se ostendebat, ideo ut putat Torellius, moralis Philosophi nomen accepit. Nullus ex nostratibus historicis, ante Gandolphum, Senecam istum recensuit inter scriptores; at nostratum vices gessit eruditissimus Petrus de Alva Minorita, qui in Append. ad Bibliot. Conceptionis, illius scripta valde commendat, in hoc tamen hallucinatus, ut eum Germanum putet, propterea quod ipsius scripta in Germania, nempe Coloniae penes nostrates invenerit. Verum Alvae hallucinationem correxit Marraccius in Append, ad Marianam Bibl. Coloniae editam anno 1683. Fuit itaque Seneca Romanus, non autem Germanus, quamvis in Germania viginti circiter annos commoratus fuerit. Florebat anno 1295. Opera ejus haec sunt juxta Alvam: 1. *Tractatus super Ave Maria.* 2. *Tractatus de Beata Maria, qui incipit: Ancilla Dei est Virgo Beata.* De hoc ait Alva: *Est tractatus egregius, utinam lucem videat.* 3. *Tractatus super Missus est Angelus etc. Utrum autem sit ejusdem incognitum est. Hoc affirmare possum characterem esse eumdem.* Ita praefatus Alva.

B. Augustinus Triumphus de Ancona.

Beatus Augustinus Triumphus ex praeclarissima Triumphorum familia anno 1243. Anconae ortus, opera patrui V. P. Guilelmi Triumphi Augustiniani, qui nepotis optimam indolem, ingeniumque praestantissimum probe noverat, duodeviginti annos natus Ordinem Eremitanum est amplexatus. Post laudabiliter transactum tirocinium, sub eruditissimo P. M. Leonardo de Viterbio in philosophicis disciplinis profecit supra quam cuique credibile est. Missus postea Lutetiam Parisiorum, ut divinis litteris addiscendis operam daret, nactus est magistrum D. Thomam Aquinatem, ac condiscipulum nostratem Fundatissimum Doctorem Aegidium Columnam. Tali magistro, ac aemulo tanto, fieri non poterat quin vastissimae mentis juvenis in theologicis disciplinis immensum profectum faceret; quare non ita multo post ibidem doctoralem lauream est consecutus. Postea Sorbonae cathedram adeptus, summa omnium admiratione Theologiam publice explanavit. In hoc publico docendi munere tantum sibi doctissimi viri nomen comparavit, ut D. Thomae Aquinatis ad Concilium Lugdunense II. ituri in coenobio Fossae-Novae vita functi, a Gregorio X. vicem praestare ad idem Concilium vocatus fuerit, licet esset tunc annorum unius duntaxat et triginta. Deinde cum post complures doctissimas evulgatas lucubrationes, amplissimae ipsius eruditionis fama per totam Europam percrebuisset, Carolus II. Neapolitanus Rex, tanti viri desiderio, legatos suos, summa Triumphi gloria cum classe Anconam mittit, ut illum jam tunc in patriam reversum, ubi novis molien-

Digitized by Google

dis reconditae sapientiae voluminibus naviter tempus impendebat, perhumaniter excipiant, atque penes se ad regalem Aulam Neapolim honorificentissime pervehant. Ibidem perquam maximam doctrina, atque sanctitate apud praefatum Regem Carolum, filiumque Robertum sibi gratiam, atque benevolentiam conciliavit, adeoque utrique acceptus evasit, ut a patre primum, deinde hoc mortuo a filio quoque intimus consiliarius, atque ad varios Principes intra et extra Italiam, pro gravissimis negotiis expediendis, legatus, et orator adhibitus fuerit. Augustinianae Religionis dilatandae percupidus, datam ex favore Regum istud perficiendi percommodam occasionem minime neglexit, nec sinuit vacuam sibi e manibus elabi, sed ea aequo animo arrepta, ad majus Eremitanae Familiae incrementum perquam solertissime usus fuit. Nam tum a Carolo, tum a Roberto tot conventuum in Calabriae provincia aedificationem obtinuit, ut quae antea domorum paucitate ultimo provinciarum loco habebatur, multitudine postea per unum Triumphum inter primas recenseretur. Adeo fuit litteris excolendis addictus, ut quamvis multis, iisque valde momentosis aulicis negotiis a Rege sibi commissis jugiter distineretur, numquam tamen finem faceret pretiosa volumina elucubrandi, inter quae praeclarissimum illud de *Ecclesiastica Potestate*, Joanni XXII. nuncupatum, quod idcirco jussus a Pontifice exaravit, ut schismaticorum Petri de Corbaria sectatorum petulantiam retunderet. Nec solum scientia, verum etiam sanctimonia clarissimus fuit, atque ut notat Elssius, *totus catholicus, totus in amore Dei succensus*. Tandem amplissimus vir, de Ecclesia, de litteraria republica, deque Augustiniano Instituto optime meritus,

Digitized by Google

non minus vitae integritate, quam doctrinae praestantia celebris Neapoli fatis concessit anno 1328. aetatis suae 85. nullo unquam tempore perituram sanctitatis suae, doctrinaeque famam coaevis, posterisque relinquens. Sepultus fuit apud nostrates, a scriptoribus tum nostratibus, tum externis, qui amplissimam ipsius sapientiam collaudarunt, beati titulo decoratus, atque ab Eminentissimo, et doctissimo Cardinali Coelestino Sfondrato, in sua *Gallia vindicata* etiam sanctus appellatus. Anconitana civitas tanto concivi statuam erexit, ac ejus opera, ingenti sumptu, ex archetypis in magnis, et pulcherrimis voluminibus exscribi praecepit.

Accipe nunc de magno Augustino sepulcralem inscriptionem:

ANNO DOMINI MCCCXXVIII.
DIE SECUNDA APRILIS
INDICTIONE XI.
OBIIT B. AUGUSTINUS TRIUMPHUS
DE ANCONA
MAGISTER IN SACRA PAGINA
ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI
QUI VIXIT ANNOS LXXXV. EDIDITQUE SUO ANGELICO INGENIO
XXXVI VOLUMINA LIBRORUM
SANCTUS IN VITA ET CLARUS IN SCIENTIA
UNDE OMNES DEBENT SEQUI
TALEM VIRUM QUI FUIT RELIGIONIS SPECULUM.

Sapientissimi viri egregia opera sunt: 1. *Summa de Potestate Ecclesiastica ad Joannem XXII.* 2. *Super Missus est, in Salutationem Angelicam, et Canticum Magnificat.* 3. *In Orationem Dominicam.* 4. *De cognitione ani-*

Digitized by Google

mae e lib. Metaph. ejusdem. 5. *De praedicatione generis, et speciei.* 6. *Destructio Arboris Porphirianae.* 7. *Expositio Decretalis* Firmiter, *scilicet de duabus naturis in persona Christi etc. quae omnia habentur typis excusa.* 8. *Comment. in quatuor Evangelistas, in Ezechielem, in Acta Apostolorum, in omnes Epist. Pauli, et in Apocalypsim.* 9. *Catena Patrum in Acta Apost.* 10. *Item in omnes Epist. Pauli.* 11. *Quodlibeta, quae Parisiis publice defendit.* 12. *In quatuor libros Sententiarum.* 13. *Contra divinatores, et somniatores.* 14. *Super facto Templariorum.* 15. *De cantico spirituali, sive de decem chordis.* 16. *De introitu terrae promissionis.* 17. *De consolatione animarum beatarum.* 18. *De potestate S. Collegii mortuo Papa.* 19. *De potestate Praelatorum.* 20. *De thesauro Ecclesiae.* 21. *De Sacerdotio, et Regno, ac de donatione Constantini.* 22. *De ortu Romani Imperii.* 23. *Sermones Dominicales, et sermones de Sanctis ad Clerum.* 24. *De amore Spiritus Sancti.* 25. *De Spiritu Sancto contra Graecos.* 26. *De praedestinatione, et praescientia.* 27. *De libero arbitrio.* 28. *De resurrectione mortuorum.* 29. *Comment. in lib. Priorum, et Posteriorum Arist.* 30. *Comment. super duodecim libros Metaphysicorum, et alia. Milleloquium Augustini incepit, sed morte praeventus perficere non potuit; perfecit autem discipulus ejus noster Bartholomaeus de Urbino.*

B. Augustinus de Vicentia.

Beatus Augustinus de Vicentia, ibidem honeste natus, ex medico, ut videtur innuere B. Jordanus de Sa-

Digitized by Google

xonia, factus Augustinianus, vir fuit magnae doctrinae, at multo majoris sanctitatis. Haud communi ingenio praeditus brevi in divinis litteris tantum profecit, ut insignis earum professor evaserit, easque cum Patavii in Italia, tum Ratisbonae in Bavaria penes nostrates laudabiliter docuerit. Quamvis autem ceteris quoque virtutibus egregie praeluceret, eminebat tamen in primis nitidissima quadam morum munditia, illibataeque virginitatis honore, quam pulcherrimam atque pretiosissimam margaritam ad extremum usque spiritum angelica conversatione, atque vigili sensuum custodia integram, inviolatamque in suo nitore servavit. Nam ut candidissimum lilium nulla posset, ne levissima quidem, labe obnubilare, demissis semper ad terram oculis incedebat, nec permisit unquam a mulieribus quamvis aetate decrepitis, sibi manum tangi. Quadam die cum Ratisbonae ad invisendam quamdam matronam valde annis provectam graviter decumbentem simul cum socio perrexisset, ae brachium illa extendisset, ut sibi venarum pulsum attingeret, noluit ipse aliter quam tegumento interposito aegrotantis mulieris manum attrectare; quare cum objurgasset illum socius, ac dixisset: *Venerande Pater non perdes virginitatem, si nuda manu hujus vetulae brachium tangas*, respondit vir castissimus: *ut ad ignem stuppa, sic viri contactus, o fili, se ad foeminam habet.* Erat aspectu venerabilis, vultu decorus, ac modestia ornatissimus, disciplinae regularis, atque Religionis zelo admirabilis, carnis maceratione, ac vitae austeritate percelebris, inter libros assiduus, et in orationibus, ac horis canonicis recitandis devotus, in Missa celebranda seraphico ardore succensus. Anno 1280. pretiosa Sanctorum morte immaculatam vitam finivit. Ita B. Jordanus de Saxonia, Elssius, Torellius, aliique.

Digitized by Google

B. Bartholomaeus de Urbino.

Beatus Bartholomaeus Carusius de Urbino, patriae Episcopus, praeceptores habuit in Ordine piissimos aeque ac doctissimos viros B. Augustinum Triumphum, ac V. F. Dionysium de Mutina Ordinis Generalem. Sub hisce praeclarissimis institutoribus tantum pietate, atque doctrina profecit, quantum peculiaris ipsius vitae integritas, atque excellentissima, quae in lucem emisit, volumina declararunt. Vir plane doctus, ac singulari memoria praeditus, in Parisiensi Academia Doctoris gradum assecutus, postquam ibidem primum, postea vero Bononiae publice sacram Theologiam ex Augustinianis auctoribus perquam scientissime explanasset, totum se dedit libris SS. Patrum diurna, nocturnaque manu versandis, ut defaecatissimam ex aureis hisce christianae sapientiae thesauris doctrinam expiscaretur, eamque aliis, ut ita loquar, veluti quasdam paratas epulas mensae appositas, facilius gustandam praeberet; quare celebratissimum B. Augustini *Milleloquium* a magistro suo Augustino Triumpho inchoatum egregie complevit; quod opus utilitate maximum, ac diligentia accuratissimum adeo placuit Pontifici Clementi VI. ut meritissimum auctorem infula Urbinate remuneratus fuerit, majora insuper illi promittens teste Petrarcha, eique aliud ejusdem generis opus ex D. Ambrosio conficiendum commiserit, quod item indefessus librorum helluo pari felicitate absolvit. Pontificiae auctoritatis validissimus propugnator ad illam defendendam, atque tutandam, contra Marsilium de Padua, et Guilelmum Ocha- mum, doctissimum calamum naviter exercuit. Magna frue-

Digitized by Google

batur amicitia Francisci Petrarchae, qui illum multis laudibus celebravit, atque amplissimam obtinebat existimationem penes celeberrimum jurisconsultum Joannem Andream, qui illum appellavit *virum devotione sincerum, caritate fervidum, scientia grandem, nec minorem facundia.* Obiit in suo Episcopatu anno 1350. Praeter omnes scriptores Ordinis, illum commendant Ughellus, Possevinus, Sixtus Senensis, Gesnerus, Frisius, Archmanus Schedel, Henricus Warton, aliique. Egregia opera ab eximio viro exarata sunt: 1. *Milleloquium Augustini.* 2. *Milleloquium D. Ambrosii.* 3. *Commentarii tam in vetus quam in novum Testamentum ex omnibus D. Augustini lucubrationibus collecti.* Hoc opus, ut scribit Sixtus Senensis, Joannes quidam Gastius, deleto veri auctoris nomine in voluminis fronte praeposito, sibi satis impudenter usurpavit, et quod gravius est, transpositis, detruncatis, ac detortis quibusdam ejusdem operis locis ad Lutheranam haeresim, utilissimum, ac piissimum Catholici auctoris laborem contaminavit. Singula praefata opera nostri Urbinatis extant typis impressa. 4. *Tractatus contra errores qui inventi fuerunt tempore Ludovici Ducis Bavariae.* 5. *Comment. alii in vetus, et novum Testamentum.* 6. *Evangeliorum Quadragesimae interpretatio.* 7. *Tractatus de quatuor novissimis.* 8. *Tractatus de bello spirituali.* 9. *Memoriale militiae spiritualis.* 10. *In compendium redegit libros Aegidii Romani de regimine principum.*

Digitized by Google

Fr. Benedictus Icenus.

Benedictus Icenus in Norfolcia Angliae provincia natus, Augustinianum Ordinem plurimum suo aevo vitae sanctimonia, ac doctrinae splendore illustravit. Erat in illo pietas in Deum singularis, prudentia summa, eloquentiae, atque eruditionis laus amplissima. Potissimum autem theologicarum disciplinarum scientia excellebat, adeo ut cum primis suae aetatis theologis merito sit comparandus. Illustria tanti viri merita Eduardum III. Angliae Regem minime latuerunt, quare illum sibi in consilium assumpsit. Ob egregiam, atque incomparabilem concionandi peritiam, miramque persuadendi dexteritatem tantam iniit apud Antonium Nordovicensem Antistitem gratiam, atque existimationem, ut hic Episcopum sibi adjutorem illum eligendum curarit. Quo anno ex hac vita migrarit variant scriptores; quorum alii anno 1340. alii vero 1342. alii tandem 1354. illum decessisse tradunt. Praeter nostrates omnes de ipso loquuntur Balaeus, et Joannes Pitsaeus, Frisius, Possevinus, aliique. Opera quae reliquit sunt: 1. *Alphabetum Aristotelicum, lib.* 1. *incip: Homo nosce tuam vitam.* 2. *Sermones per annum, lib.* 1. 3. *Epistolae hortatoriae, lib.* 1. *et alia.*

Fr. Bernardus Oliverius.

Bernardus Oliverius Hispanus de Valentia celeberrimus fuit sacrae Theologiae in Parisiensi Universitate

Digitized by Google

Doctor, atque Professor. Is non solum doctrina, verum etiam morum probitate, rerumque agendarum dexteritate quammaxime emicuit. Tam eximiae ipsius virtutes illum anno 1336. ad Episcopatum Oscensem evexerunt. Ipsemet Petrus IV. Aragoniae Rex Bernardum nostrum adeo suspexit, ut illum tamquam virum sui aevi doctissimum habuerit, suumque sibi consiliarium elegerit, atque pro difficillimis negotiis expediendis legatum adhibuerit. Itaque anno 1341. regia legatione ad Reges Galliarum et Majoricarum perfunctus fuit. Unde reversus a Clemente VI. alia honorificentissima ad Hispaniarum Reges legatione una cum Bernardo titulo S. Ciriaci Card. condecoratur. Anno 1344. ab Oscensi ad Barchinonensem, et ab hac anno 1346. ad Dertusensem in Catalaunia Episcopalem Sedem translatus fuit. Anno 1348. ad praefatum Aragoniae Regem pro Catalauniae Principatu orator accessit, qua provincia completa, eodem anno Dertusae pia dormitione requievit a laboribus suis. Quidam putant illum fuisse S. R. E. Card. tit. S. Marci; at probabilius videtur, eum fuisse quidem Cardinalem, ut inquiunt, in pectore servatum, numquam tamen in lucem editum. Nam testatur Zurita rerum Aragonensium exactissimus indagator, Regem Aragoniae purpureum galerum pro Episcopo Barchinonensi anno 1345. a Pontifice postulasse, (eodem autem anno Bernardus noster erat Episcopus Barchinonae) ac Summum Pontificem regiae postulationi perhumaniter annuisse, promittendo galerum praefato Antistiti se daturum. At morae inimica mors praestolari noluit promissi solutionem, ac proinde Bernardus noster levior sine galero discessit. Celebrant meritissimum Praesulem omnes scriptores Ordinis, atque

Digitized by Google

inter externos Magister Franciscus Didaeus in lib. 3. Comitum Barchinonensium, Possevinus, Verderius, aliique. Opera ejus sunt: 1. *Super lib. Mag. Sententiarum lib. quatuor.* 2. *In Caput* Cum Marthae *de celebratione Missarum.* 3. *De Divinis Officiis liber singularis.* 4. *De inquisitione Antichristi.* 5. *Quaestiones quodlibetales, et alia.*

B. Brunectus Pratensis.

Beatus Brunectus Prati prope Florentiam anno 1221. ex nobili familia Rossi ortus, post acceptam a piis parentibus optimam vitae institutionem, Romam se contulit, ibique ad Ecclesiam S. Mariae de Populo, quam nostrates jam tunc una cum coenobio possidebant, frequenter accedens, Augustinianum Institutum adamare coepit. Quamobrem anno 1251. in eodem coenobio, nostri Eremitani Ordinis habitum summo cum gaudio suscepit. Postquam autem provectae admodum, probataeque virtutis, Religionis Praesulibus luculenta testimonia praebuisset, dignus habitus fuit, qui in patriam mitteretur, ut ibidem aliquod Ordinis coenobium extrueret. Pratum itaque reversus simul cum duobus ejusdem Instituti sodalibus, tantam praeclarissimis suae sanctitatis exemplis concivium suorum gratiam, atque benevolentiam sibi comparavit, ut ipsis opitulantibus duo Augustiniani Instituti coenobia titulo S. Annae, unum nempe procul, alterum prope civitatem aedificare potuerit. Illud quindecim annos fulgidissimis sanctitatis radiis jugiter illustravit, in isto autem anno 1296. aetatis suae 75. immaculatam vitam finivit, sacras-

Digitized by Google

que sui corporis exuvias reliquit. Vide Herreram, Torellium, Elssium, et alios.

B. Clemens ab Auximo.

Beatus Clemens ab Auximo, non quidem nativitate, sed diuturno incolatu nuncupatus, in Oppido S. Elpidii Picenae provinciae ex honestis, piisque parentibus ortum habuit. Admodum juvenis in Augustiniano Auximi coenobio monachum induit, atque statim exinde coepit adeo clarere virtutibus, ut ipsis provectioribus admirationi esset, atque exemplo. Sacerdotio auctus, magno spiritus ardore, uberrimoque animarum lucro verbum Dei praedicandi munus suscepit, atque uti referunt nonnulli, ipse est, cujus auditis concionibus Divus Nicolaus Tolentinas ad nostrum Institutum amplectendum illectus fuit. Cum multam apud omnes nostrates sanctimoniae, atque prudentiae famam sibi comparasset, in Comitiis generalibus anno 1270. Urbeveteri habitis, universi Ordinis Moderator plenis suffragiis eligitur. Ipsius regimen summa aequitate, nec minori sollicitudine gestum plurima in Eremitanum Ordinem bona contulit; inter quae illud potissimum, quod complures fratres ejus sanctitatis exempla sectantes, ipsi quoque sanctitate celebres evaserunt. Constitutiones Ordinis, B. Augustino Novello adjutore, ad aequiorem trutinam revocatas, ita correxit, et auxit, ut alter illarum conditor merito reputari possit. Erga defunctorum animas, quae piacularibus flammis expiantur, caritate flagrans, duo anniver-

Digitized by Google

saria ad illas sublevandas in toto Ordine instituit, ad hoc coelesti visione excitatus. Anno 1274. a Gregorio X. invitatus, ad Lugdunense Concilium una cum pluribus aliis Augustinianis accessit. In Italiam reversus convocat statim Patres Molariam in agro Tusculano, ibique quod Lugduni penes Pontificem perficere non valuit, tandem frustra Patribus obsistentibus, immota animi firmitate perfecit, dum Generalatus officium sponte dimisit, mallens in humili tutius salvari, quam in sublimi periclitari. Itaque ad desertum locum prope Firmum se recepit, peroptata frui solitudinis tranquillitate, ut liberius sibi, Deoque vacaret. Verum non licuit Clementi usque ad obitum, uti optabat, in illo recessu absconditam ducere vitam, nam anno 1284. Urbeveteri cunctis faventibus votis iterum Generalis renuntiatur, quare licet totis viribus humillimus vir obniteretur, e suis tamen latebris exire cogitur, universi Ordinis habenas iterum gubernaturus. Nec tam cito valde sibi exosum onus deponere valuit, nam Florentiae anno 1287. quamvis omnem lapidem movisset, ut adeo gravi pondere exoneraretur, in officio confirmatus, diutius illud sustinere compellitur. Eodem anno a Summo Pontifice Nicolao IV. jubetur eximius Eremitarum Antistes per totam Italiam bellum contra Saracenos Terrae Sanctae praedicare, quod munus cum aliis viginti Augustinianis mirifice est executus. Interea anno 1290. Ratisbonam aliud generale Capitulum convocatur, in quo una cum Clemente interfuerunt B. Aegidius Columna, B. Augustinus Novellus, nec non B. Henricus de Urimaria, aliique insignes doctrina, atque sanctitate viri. In hoc Capitulo B. Clemens multa miracula perpetravit, ut narrant B. Jordanus de Saxonia, Coriolanus, Pam-

Digitized by Google

philus, ac prae ceteris B. Henricus, cujus haec sunt verba: *Per quem Deus multa miracula ostendit in Capitulo Generali Ratisbonae celebrato, me praesente:* atque rursus quamvis invitissimus in officio confirmatur. Tandem sanctissimus senex e Germania Urbeveterem, ubi tunc Romanus Pontifex Nicolaus IV. degebat, iturus proficiscitur, quo ut pervenit, longi itineris incommodis fractus, senioque confectus, dignissimam animam in osculo Domini exhalavit anno 1291. die 8. Aprilis. Demortui corpus jussu praefati Pontificis Nicolai IV. per plures hebdomadas inhumatum permansit ad piam explendam invisentium devotionem, qui tanta frequentia, miraculorum fama, quae ad ejus contactum quotidie patrabantur, excitati illuc undique confluebant, ut inaudito exemplo, necesse fuerit, etiam pluribus aedibus solo aequatis, compita civitatis ampliora reddere ad stipatissimam multitudinem continendam. Ipsemet Summus Pontifex solemnem exequiarum celebrationem sua praesentia cohonestare voluit, atque quod magis mirandum est, suis se manibus, uti refert Emus noster Aegidius Viterbiensis, Sanctissimi viri sacras exuvias in sepulcro reponentibus adjutorem praebuit. Haec nimirum sunt genuina Aegidii verba in quadam epistola quam ad Municipium S. Elpidii misit cum esset Ordinis Generalis: *Jacet sanctissimi hominis corpus in templo meo apud Urbevetanam civitatem, Pontificiis manibus tumulatum.* Repositum autem fuit super altare more Sanctorum, ibique etiamnunc magna veneratione colitur. A Clemente XII. Beatorum numero adscriptus fuit. Vide B. Jordanum de Saxonia, Crusenium, Pamphilum, Torellium, Elssium, aliosque nostrates; inter externos autem Bzovium ad annum 1290.

Fr. Conradus de Monte Puellarum.

Conradus de Monte Puellarum Teutonicus antequam Ordinem nostrum ingrederetur, erat Ecclesiae Ratisbonensis Canonicus. Is in Erphordiensi gymnasio liberalibus disciplinis jam satis eruditus, Parisios se contulit, ibique lauream magistralem adeptus, octo onnos laudabiliter docuit. Vir erat eximia virtute, indefesso labore, summaque industria. Reversus in patriam, cum jam provectae esset aetatis, superpelliceum cum Augustiniano cucullo commutavit. Fuit etiam Rector Studiorum Viennae in Austria, ut ipsemet testatur cap. 3. vitae S. Erhardi Episcopi, ubi inter caetera ad seipsum spectantia haec habet: *Nec silentio praeterire debeo illud miraculum, quod beatissimus Dei Praesul Erhardus mecum operari dignatus est quamvis indigno . . . . . . peccatore. Cum enim ante annos sexdecim, et ultra, Studium regerem Viennense in Austria, accidit mihi divina correctione, ut post gravem colicam . . . . . . incurrerem gravem paralysim, adeo ut nec de loco ad locum progredi valerem, nec manibus meis ori meo buccellam panis porrigere . . . . Feceram me ergo deferri Ratisbonam in Danubio flumine, et cum quadam die Missam solemnem super altare B. Erhardi . . . . sociorum, et amicorum praesidio comparassem, prostratus in modum Crucis coram eodem altari, dum cantaretur* Alleluja, o gemma pastoralis lucida, *et Sequentia* Salve splendor Firmamenti, *quas laudes, Deo donante, ad honorem Praesulis infirmus feceram, mox totum meum corpus, cum omnibus membris meis in melius est alteratum, et convalui ex toto.* Clarebat anno 1340. juxta Gandolphum contra

Digitized by Google

Pamphilum, qui illum ponit sub anno 1395. Laudatur a Trithemio, Frisio, Colgano Minorita Hiberno, atque a nostratibus Stellartio, Herrera, Elssio, Gandolpho, aliisque. Opera quae exaravit, sunt: 1. *Grande, et nobile opus D. Lupoldo Episcopo Bambergensi inscriptum, quod Oeconomicam nuncupavit.* 2. *Super Magistrum Sententiarum lib.* 4. 3. *Quaestiones variae, lib.* 1. 4. *Monastica, lib.* 1. 5. *Politica, lib.* 1. 6. *De erroribus Beghardorum.* 7. *Vita S. Erhardi Episcopi Ratisbonensis edita in primo tomo Januarii apud Bollandum, et alia.*

Fr. Dimalducius Foroliviensis.

Dimalducius de Foro Livii vir fuit tam in divinis, quam in saecularibus litteris valde eruditus, nec non in Theologia morali, ac contemplatione mysteriorum Dei excellens, prout piissima opuscula ab ipso exarata testantur. Affirmat Pamphilus illum floruisse anno 1336. sed cum librum *de resurrectione mortuorum* dedicaverit Bartholomaeo de Capua Prothonotario, et Logothetae Caroli II. Regis Neapolitani qui obiit anno 1309; atque eumdem librum Herrera testetur se vidisse scriptum anno 1305. manu F. Joannis de Austria, tenendum est Dimalducium nostrum praefatis annis floruisse, et forsan anno 1236. ex hac vita migrasse, ut opinatur Torellius. Praeter nostrates loquuntur de illo Possevinus, Verderius, et Marraccius. Scripta ipsius sunt: 1. *De resurrectione mortuorum volumen insigne incipiens:* Nolumus vos ignorare de dormientibus. 2. *Sermones Quadragesimales super Epi-*

Digitized by Google

stolas, *et Evangelia*. 3. *Sermones Dominicales totius anni. Incipiunt:* Virga virtutis tuae. 4. *Sermones super Epistolas Dominicales totius anni. Incipiunt:* Fili suscipe sententiam patris. 5. *Sermones de Festis totius anni*: Corde creditur ad justitiam. 6. *Sermones ad Clerum:* Ille arguet Mundum de peccato. 7. *Tractatus de septem Sacramentis.*

Fr. Dionysius a Burgo S. Sepulcri.

Dionysius de Robertis a Burgo S. Sepulcri Hetruscus, Doctor Parisiensis, vir fuit procul dubio omnigena scientia ornatissimus, insignis theologus, egregius concionator, summus philosophus, eximius orator, poeta clarus, mathematicus celeberrimus, atque historicus praestantissimus, immo Historiae, Poesis, Philosophiae, Artisque Oratoriae praeceptor, atque explanator scientissimus, ut ipsius fama, et scripta testantur. Ob tantam scientiarum copiam omnibus sui aevi viris eruditis summopere acceptus fuit, ac praesertim Joanni Villani, et Francisco Petrarchae, qui illius amicitiam studiosissime foverunt, cumque in suis scriptis, plurimis laudibus cumularunt. Aliquandiu apud Pontificem Benedictum XII. Avenione commoratus fuit, a quo ob cognitam vastissimam ipsius eruditionem cum pari pietate conjunctam, Monopolis in Apulia Episcopus creatur. In Italiam itaque reversus a Roberto Rege Neapolitano honorificentissime exceptus fuit, ab eoque secum in Aula regia honoris gratia semper quoad vixit detentus. Obiit autem ibidem anno 1342. In ejus obitu Petrarcha ad eumdem Robertum Regem, qui Dionysium

Digitized by Google

amplissima benevolentia, summaque existimatione prosequebatur, consolatorias epistolas misit, quibus etiam adjecit hoc epitaphium demortui sepulcro apponendum:

Qui fuit Hesperiae decus, et nova gloria gentis,
Cultor amicitiae fidus, charisque benignus.
Convictu placidus, vultuque, animoque serenus,
Religione pius, factisque, habituque modestus.
Altus et ingenio, facundo splendidus ore,
Flos vatum, Coeli scrutator, cognitus astris,
Rarus apud veteres, nostro rarissimus aevo,
Unicus ex mille jacet hic Dionysius ille.

Celebrant quoque magnum Dionysium praeter nostrates scriptores, atque laudatos Villani, et Petrarcham, Volaterranus, Trithemius, Possevinus, Jacobillus, Ughellus, Tiraboschi, aliique.

Scripta, quae posteris reliquit, sunt: 1. *Postillae in Epistolas D. Pauli ad Romanos.* 2. *Super Magistrum Sententiarum.* 3. *Fabulas omnes ad tam praecellentem sensum tropologicum reduxit, ut in admonendis populis, nihil vehementius, nihil jucundius, nihil denique utilius possit afferri, ut affirmat noster Coriolanus.* 4. *Cemment. in lib. Metamorph. Ovidii lib.* 1. 5. *In libros Rhetoricorum lib.* 1. 6. *In Poeticam Aristotelis lib.* 1. 7. *Comment. in Valerium Maximum lib.* 1. 8. *Comment. in Virgilium lib.* 1. 9. *In lib. Politicorum lib.* 1. 10. *In tragoedias Senecae lib.* 1. *et alia.*

Digitized by Google

V. *Dionysius de Mutina.*

Dionysius Mutinae in Insubria natus, adhuc adolescens in patrio coenobio Augustinianae militiae se aggregavit. Optimo ingenio praeditus in Italiae generalibus Ordinis Studiis antea impense eruditus, postmodum Lutetiam missus fuit, ut in celebratissima illa Academia Sententiarum Magistrum explanaret. Praeclarissimos ibidem, atque universalis famae alumnos instituit, eosque inter doctissimum virum nostrum Bartholomaeum de Urbino *Milleloquiorum* Augustini, et Ambrosii notissimum auctorem. In illo splendor doctrinae cum fulgore sanctitatis decertavit, atque in hoc glorioso certamine semper tamen triumphavit humilitas. Doctorum hominum, ac praesertim Francisci Petrarchae amicitia, atque necessitudine cohonestabatur, ab iisque in ipsorum scriptis haud infrequenter celebratur. Potissimam vero laudem sibi promeruit propter exactissimam regularis disciplinae observantiam, qua fuit vere singularis. Quamobrem prius Insubriae Provincialis, ac deinde anno scilicet 1343. totius Ordinis Generalis eligitur. Factus itaque universae Eremitanae Familiae Moderator, cum ut commissi sibi muneris partes sedulo adimpleret, singulas Ordinis provincias, magno utique earumdem emolumento peragraret, seque propterea ex Belgio Coloniam Agrippinam contulisset, ibidem gravi morbo corripitur, quem extremum fore praesentiens, quippe qui vehementer cupiebat dissolvi, et esse cum Christo, peringenti gaudio exultare coepit, eo quod tandem resolutionis suae tempus instaret, quo solutus nexu carnis, ad perpetuam Domini beatificam visionem sursum evolaret. Quapropter Sacramentis

Digitized by Google

Ecclesiae effusissima cordis devotione susceptis, anno sui Generalatus secundo debitum naturae persolvit. Eodem quo accidit temporis momento B. Sibillina Ord. S. Dominici, quacum Papiae suavissimas spiritualis conversationis delicias pluries degustaverat, beatum illius transitum divinitus agnovit, eumque Augustinianis Patribus protinus nuntiavit, ac paulo post sanctissimam ipsius animam coelestibus splendoribus amictam in coelum ab Angelis efferri conspexit. Vide Hist. Dominicanam P. M. F. Ferdinandi de Castillo, Torellium, Elssium, aliosque.

B. Elias Melioratus de Prato.

Beatus Elias Pratensis ex nobilissima, et antiquissima de Melioratis progenie Prati in Hetruria ortus, cum maturo tempore labentis saeculi fallacissimam vanitatem serio animo pertentasset, satius consilium iniit captiosis Mundi illecebris nuntium mittendi, seque relictis omnibus, in Augustiniana Eremo, Christi sequelae totum mancipandi. Itaque perfectioris vitae desiderio flagrans ad celeberrimum, et regularis disciplinae observantissimum SS. Salvatoris Augustinianum coenobium haud procul a Senensi civitate intra Ilicitanam silvam se recepit, ibique Eremitanae Familiaé sui nominis, suarumque virtutum ornamentum adjecit. Post solemnem votorum nuncupationem, scholastici stadii cursum cum ingenti profectu emensus, aliquot annos alios docendi munus in Ordine laudabiliter exercuit, atque insuper concionandi provinciam uberrimo audientium fructu aliquandiu mirifice

Digitized by Google

gessit. Cum teterrima lue Pratensis civitas afflictaretur, ipse tunc in patria degens, ad Aram B. Virginis in Coelum Assumptae, ad quam Sacrum facturus accesserat, plena cordis devotione votum Deiparae nuncupavit, si lethiferum morbum e patriae moenibus arceret, se Jerosolymam iturum loca cruore Filii sacrata venerari. Annuit voto clementissima Virgo, virgineasque manus, quae antea junctae erant, coram adstantibus extendendo suae se parti minime defuturam promisit, atque extemplo pestis Prato exulavit. Ivit itaque Jerosolymam Elias, uti fama refert, Angelorum ministerio sublatus; atque inde brevi domum reversus invenit virum quemdam nobilem Florentinum S. Annae-Pratense coenobium per nefas sibi usurpasse. Itane coenobitarum bonis semper inhias auri sacra fames! At Elias, ut erat ob magnam sanctitatis opinionem cum populo, tum proceribus acceptissimus, facile potuit usurpatum monasterium recuperare. Tandem levis diebus, sed meritis onustus, ad immarcescibilem aeternae gloriae coronam evolavit anno 1348. Loquuntur de hoc Elia nostrates Herrera, Crusenius, Torellius, Elssius, aliique.

B. Erthinodus de Gotha.

Beatus Erthinodus Gothae in Thuringia ex honestis, ac divitibus parentibus natus ab ineunte aetate misericordia in pauperes omnibus se spectandum exhibuit. Nam cum adhuc puerilem aetatem in saeculo ageret, quidquid esculentorum domi arripere poterat, perquam

Digitized by Google

libentissimè egenis erogabat. Aliquando etiam visus fuit humeros sarcinae submittere, ut bajulatores deoneraret. Tantam eximii juvenis virtutem in procelloso huius Mundi salo diutius periclitari non decebat, ac propterea Deus mature illum vocavit ad tutiorem claustri stationem. Itaque divinae vocationi obtemperans in Augustinianam Eremum se recepit, ut ibidem a rerum mundanarum strepitu semotus liberius sibi, Deoque vacaret. Votis emissis majora quotidie incrementa virtutum suscipiebat, atque singula religiosae perfectionis munia admirabili prorsus sedulitate exercebat. Potissimum autem humilitatis, patientiae, ac devotionis fuit singulare exemplar. Ut autem ardens ab ipsamet natura sibi inditum pauperibus subveniendi studium expleret, venia a Priore petita, fragmenta, ac crustulas panis, quae fratribus supererant, quotidie colligebat, easque esurientibus summa hilaritate distribuebat. Christi vulnera assidue meditari in deliciis habens, ut se altius in hoc suavissimum amaritudinum balneum ingurgitaret, memor Dominici eloquii: *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, pollicentis fidelitati innixus Deum exoravit, ut sibi liceret Christum Jesum, qualis in Cruce patiens fuerit, oculis intueri. Voti compos factus ita vehementi doloris sensu affectus fuit, ut nisi benignissimus Jesus opportunum solamen praebuisset, veluti quodam praecordibus infixo peracuto mucrone transverberatus animam exhalasset. Aliquando etiam videre promeruit Deiparae, quam summa veneratione prosequebatur, ad coelum Assumptae gloriosum triumphum, et ita, videndo, nimio gaudio delicuit, ut parum abfuerit, quin e corpore exulando sursum cum Virgine ad astra evolaret. Ast licet tunc minime ex hac

Digitized by Google

vita migrarit, commeatum tamen accepit. Nam ex recenti deliquio debilitatus, viribus paulatim deficere coepit adeo ut post aliquot dies placidissime in Domino expirarit. Obiit autem anno 1300. ac post obitum, teste B. Jordano, miraculis claruit. Commendant hunc Erthinodum B. Henricus de Urimaria, B. Jordanus de Saxonia, Pamphilus, Herrera, Torellius, Elssius, Bzovius, aliique.

BB. Evangelista, et Peregrinus Veronenses.

Si qua est nobilissima Italiae urbs, quae splendidiorem excellentium virorum delectum Eremitano Ordini suppeditarit, ea procul dubio est perinsignis Veronensis civitas, cui profecto ad immortalem gloriam soli sufficerent, quos ipsa protulit, Augustiniani praestantissimi, qui tantam honoris amplitudinem merito consecuti sunt, quantam universalis ipsorum fama ubique locorum quotidie praedicat. Hi nimirum sunt in primis sanctissimi viri Benignus, et Carus, quorum nomina in Beatorum album fuerunt relata, quique ante generalem Ordinis unionem eximia sanctitate floruerunt; deinde Onuphrius Panvinius historiae pater, Henricus Noris Purpuratorum decus, Josephus Pamphilus omnigenae eruditionis scriptor egregius, ac demum BB. Evangelista, et Peregrinus, quorum idcirco nunc hoc loco mentionem facimus, eo quia licet non constet ipsorum emortualis dies, certum tamen est hunc aut nihil aut parum a praefata unione distare. Itaque lectissimos juvenes, quos eadem patria prius fecerat concives, eadem postea indoles, idem ingenium, eadem religio, eadem pietas,

Digitized by Google

idem tandem monasticae vitae propositum fecit etiam in Augustiniana Eremo sodales, ac postremo in coelesti Regno consortes. Nam ubi primum sese invicem agnoverunt, ita naturae, morumque conformitas utrumque inter se arctissimis amicitiae, atque necessitudinis vinculis conjunxit, ut numquam in posterum alter ab altero separari potuerint. Erat revera ipsis, quod monet S. P. Augustinus, cor unum, et anima una in Deo. Etenim ambo simul eadem spiritualia opera exercebant, eamdemque de casto corde affectuum suorum oblationem mundam Deo exhibebant, ambo simul juvenilia desideria devitabant, atque a noxiis Mundi illecebris sibi praecavebant, ambo simul innocentem vitam ducere satagebant, mutuoque exemplo sese ad majores in Deum ascensiones provocabant, ambo simul tandem Augustinianorum Ecclesiam extra urbis moenia frequentabant, atque ad Eremitanum Institutum capessendum divinitus vocati fuerunt. Nam cum quadam nocte utrique domi suae separatim fessa membra lectulo reposuissent, dulcique sopore devicti angelici juvenes placidam quietem sub Angelorum custodia ambo captarent, apparuit illis benignissima Virgo Infantem Jesum virgineis ulnis complexum tenens, divamque matrem Annam comitem habens, qui omnes, ut porrecto eis ab Anna nigri coloris cingulo lumbos sibi praecingerent, tum verbis, tum nutibus illos hortabantur. Post arcanam visionem expergefactus uterque se coelesti dulcedine undique perfusum sentiebat; et quoniam ingenuae amicitiae glutino bina corda devincta cuncta bona sua sibi invicem communicare praegestiunt, ita singuli prae nimia sese invisendi cupiditate, horas noctis, ut ita dicam, vorare studuissent, ut statim ac prima dies illuxisset, cito socio

Digitized by Google

jucundam apparitionem narrarent. Tandem fugatis tenebris lux peroptata refulsit, surgentesque illico e cubitu amantissimi sodales vicissim sese quaerere coeperunt ut alter alteri laetissimum nuncium deferret. Ubi autem primum agnoverunt unam eamdemque visionem ambobus ipsis contigisse, una simul Deo utrumque illo signo ad Augustinianum Ordinem vocanti obtemperare statuerunt. Quare sine ulla mora interposita ad nostrates accesserunt, qui ipsorum spectatissimae probitatis bene conscii, illos statim ad habitum perquam libentissime admiserunt. Itaque Augustinianam tunicam induti toto tirocinii decursu ita per inceptam omnium virtutum semitam alacriori quotidie gradu processerunt, ut jam inde ab ipsis monasticae vitae primordiis admodum provectae, consummataeque perfectionis luculentissima cunctis fratribus exempla jugiter praebuerint. Quapropter emissa deinde solemni votorum professione, multo clariori bonorum operum luce coram Deo, et hominibus coruscare coeperunt. Flagrantissima erat in ipsis erga Deum caritas, impensa proximorum dilectio, summa humilitas, poenitentiae amor mirificus, ac supra omnia orandi studium ferventissimum, ex quo coelestes supernae patriae delicias raro exemplo adhuc in terris degentes non semel praegustare meruerunt. Nam ipsi saepe saepius, quaecumque aeris inclementia saeviret, e suis cellulis egressi coenobii viridarium adibant, ibique in genua sub dio provoluti, fixis oculis coelum speculantes, atque prae nimia ineffabilis gaudii fruitione veluti extra sensus rapti diutius immoti in oratione Dei permanebant, a divina quadam vultus ipsorum claritate fulgidissimi splendoris radios interim emittentes. Quamobrem rogati a Priore quidnam tum illos tanta ecstasi afficeret, vi obedientiae

Digitized by Google

coacti, praeclaram sui ipsorum dignationem patefacere debuerunt, ingenue confitentes, quod tunc ipsi coelos apertos videbant, ibidem intra beatissimam supernorum civium mansionem Virginem Matrem Infantem Jesum gestantem, Divamque Annam sicut in pristina apparitione contemplantes, quodque ex hac tam sublimi visione, ineffabili gaudio perfusi, sibi ipsis coelorum Regnum jam possidere videbantur. Quibus auditis P. Prior eximiam famulorum Dei sanctitatem miratus, illos exinde majori veneratione prosequi coepit. Ipsi vero quotidie magis de virtute in virtutem progredientes, adeo miraculis clari evaserunt, ut longe lateque ipsorum fama evulgata, undique ad eos ex ipsis remotioribus Italiae partibus aegroti adducerentur sanitatem meritis ipsorum a Domino impetraturi; quare multi per eos a multis languoribus liberati fuerunt, ope praesertim cujusdam imaginis Beatissimae Virginis, ad quam omnes infirmos sibi commendatos ipsi ducebant salutem quaesitam utique recuperaturos. Postremo cum amborum vitae terminus appropinquasset, Evangelista prius futurae mortis nuncium a Domino accepit; quare postquam ferventius se ad optatissimum transitum per aliquot hebdomadas praeparasset, tandem quadam die in choro cum fratribus psallens ad illa verba pluries repetita: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, sanctissimam animam in Domino exhalavit. Post mortem Evangelistae Peregrinus quammaxime cupiebat illi conjungi in coelo, a quo in terris numquam fuerat separatus; quamobrem quotidie enixis precibus Dominum exorabat, ut illum ad amici complexum quamprimum evocaret. Exaudivit Dominus orationem servi sui, atque ad illum statim Evan-

Digitized by Google

gelistam misit, qui ei praenuntiaret, ipsum brevi secum in Paradiso futurum. Et revera aliquot diebus post Evangelistae praemonitum, Peregrinus socium in superna patria revisit, et sic perpetuo simul esse coeperunt in coelis, qui in terris positi numquam usque ad mortem fuerant ab invicem separati. Ut nihil omnino mirabili utrorumque perfectaeque societati deesset, ipsa quoque ipsorum corpora in eodem sepulcro honorifice condita fuerunt penes nostrates in coenobio Montonii extra urbem, unde paulo post, nempe anno 1262. opera nostri B. Fini de Pisis in templum S. Euphemiae intra moenia fuerunt translata. Vide Franciscum Ponam, et Raphaelem Bugatam Veronenses scriptores, nec non nostrates auctores.

B. Franciscbinus de Ravenna.

Beatus Francischinus de Ravenna ibidem ex illustri Sassoli familia natus, in patrio coenobio adhuc adolescens Eremitanum Ordinem est ingressus. In nova palaestra naviter se exercens, brevi religiosae perfectionis apicem attigisse visus fuit. Sacerdotali dignitate auctus omnium virtutum se nitidissimum speculum exhibebat; potissimum autem inviolabili claustralis silentii observantia commendabatur. Nam quamvis coenobii ostiarium ageret, nulla tamen unquam ratione adduci potuit, ut in locis silentio designatis vel unum tantum verbum proferret, sed siquis ibidem ei aliquid loqui volebat, antequam verba facere inciperet, illum, silentium manu ori admota indicens, ad alium locum, in quo loqui liceret,

Digitized by Google

continuino ducebat, ibique alloquenti opportuna responsa dabat. Quam Deo gratum, acceptumque fuerit rigidissimum hoc Francischini silentium, vel ex eo patet, quod aliquando Deus tum suo, tum Angelorum colloquio illum recreare dignatus fuerit. Quoniam autem tam pretiosa margarita dignus non erat Mundus, ideo benignissimus Dominus, ne haud bene olenti hujus saeculi situ fulgor illius obnubilaretur, fulminis ictu, inopinato sibi rapuit illam, ut eam insereret uni e coronis capitis sui, ad lucendum in perpetuas aeternitates. Post transitum statim coepit innumeris coruscare miraculis, testibus BB. Henrico de Urimaria, et Jordano de Saxonia, qui eo tempore adhuc mortalem vitam agebant. Inter haec miracula hoc potissimum recensetur, quod quidam vir nobilis Ravennas, qui manibus, pedibusque, ac toto corpore ita obriguerat, ut se nullimode movere posset, cum voto B. Francischino spopondisset se ad ipsius sepulcrum sanationis gratiam impetratum iturum, vix impleta sponsione, extemplo sanus, ac liber, cunctis mirantibus, domum suam revertitur, vehiculo, quo gestatus fuerat, penes sepulcrum relicto. Jam inde ab obitu beati cultum, nomenque obtinuit, illiusque exuviae anno 1579. in nostra S. Nicolai Ravennae Ecclesia repertae, ibidem adhuc asservantur. Obiit autem anno 1343. Extabat olim in praefato templo tabula picta Francischinum referens ante Crucifixum reverenter, ac devote in genua provolutum specie accipientis gloriae coronam ab Angelo suo capiti imponendam. Loquuntur de hoc Beato praeter allatos, ex nostris Pamphilus, B. Alphonsus de Orosco, Romanus, Crusenius, Marquesius, Torellius, Elssius etc. Ex aliis autem Hieronymus Rossi, atque item Hieronymus Fabri in suis historiis Ravennatibus.

Digitized by Google

B. Franciscus de Regio.

Beatus Franciscus de Regio eximius fuit sacrae Theologiae professor, atque orator suo tempore facile omnium disertissimus. Quippe qui praeclarissima doctrinae, prudentiae, atque integerrimae conversationis argumenta praebuerat, anno 1274. in generalibus comitiis habitis in castro Molariae in Romana provincia sub praeside Richardo S. R. E. Cardinali Prior Generalis eligitur, rexitque Ordinem decem annos. Statim a suscepto munere, litterarum promotioni inhians, plura in pluribus locis ad Augustinianam juventutem bonis disciplinis erudiendam gymnasia erexit, nihilque magis contendebat, quam ut juniorum religiosorum delectui, institutioni, atque studiis, maxima qua fieri posset diligentia prospiceretur. Anno 1277. cum propter Joannis XXII. obitum Sedes Pontificia vacaret, Sacrum Cardinalium Collegium, quibus eloquentissimi viri mira facundia innotuerat, Augustinianum Antistitem elegerunt, ut coram Eminentissimo Senatu de novo Pontifice eligendo sermonem haberet, quod munus honorificentissimum ipse perquam optime summo omnium plausu adimplevit, ac paulo post Nicolaus III. Pontifex creatus fuit. Obiit meritissimus Generalis anno 1284. ob sanctitatis opinionem beati nomen assecutus. Inter alios scriptores Ordinis vide Elssium, et Torellium.

Digitized by Google

B. Fridericus Ratisbonensis.

Beatus Fridericus Ratisbonensis nuncupatus, eo quia Ratisbonae in Bavaria primam lucem aspexit, fuit in Ordine nostro laicus conversus. Is humilitate, obedientia, atque Angelorum familiaritate potissimum celebratur. Cum quadam nocte ad aegrotum excubias agens somno victus obdormisset, statim comparuit Angelus ei assistens, qui coelestibus deliciis, visisque jucundis illius animum suaviter oblectabat, ac ne mane expergefactus angelicum oblectamentum somnium putaret, obstitit minime dubium testimonium aegroti, qui eodem tempore a morbo incolumis penitus evaserat. Quam Deo grata fuerit ipsius obedientiae promptitudo hoc miraculum quod narraturus sum, satis ostendit. Nam cum cellarii munus obiens aliquando epistomio educto vinum e dolio eliceret, a P. Priore vocatus, confestim advolat dolii fistulam reseratam relinquens. Sed mirum! Repente merum veluti glacies in foramine obriguit, unde factum est, ut obedienti fratri vino ipso obtemperante, effusio divinitus prohibita fuerit. Item cum aliquando ad Eucharisticam mensam accedere peroptaret, a Priore pium famuli Dei desiderium minime resciente ad ligna caedenda mittitur. Utrum elegit? Obedientiam. Verum dum caudicibus securi, cuneisque scindendis operam impendit, adsunt illi de Coelo Angeli, eique Angelorum panem sumendum porrigunt, quo sumpto, quemcumque in posterum cibum usque ad obitum perpetuo fastidivit. Pauperibus subveniendi studiosissimus, dum ad illos panes clam ferret, obvium habuit Priorem, cui quidnam gestaret roganti,

Digitized by Google

extemplo sinum pandit, ac Deo ipso pium furtum tegente, ostendit ei schidia, et assulas, in quae panes subita conversione transierant; sed mox pristinae naturae restituta famelicis distribuit. Domus Dei decorem, atque ornatum summopere diligens, nihil eo magis in deliciis habebat, atque cum quadam die hiemali tempore altare quoddam exornaret, ac flores, quos apponeret, optanti deessent, apparuit continuo Angelus pelvim recentium rosarum illi tradens, quo coelesti munere multo quam thesauro jucundior, restituit protinus perquam libentissime super altare Altissimo donum suum. Sacerdotes vero utpote dispensatores mysteriorum Dei, humillimo obsequio amplissimaque veneratione prosequebatur, eosque veluti Angelos summa animi demissione observabat. Tandem meritis plenus, atque miraculis clarus anno 1329. ex hac vita migravit, atque in Ecclesia Ordinis sepelitur, ubi postea beati nomine, imagine, cultu, atque tabellis gratiarum indicibus honoratus fuit. Praeter nostrates fere omnes, loquitur etiam de hoc B. Friderico Matthaeus Raderus Jesuita in sua Bavaria sancta.

Fr. Galfridus Grandfeldius.

Galfridus Grandfeldius natione Anglus, patria Northamptoniensis, sacrae Theologiae Doctor Cantabrigiensis, ingenii praestantia, atque doctrinae amplitudine magni philosophi, magnique theologi apud omnes nomen sibi comparavit, adeo ut adinstar miraculi a cunctis celebraretur, quippe qui caeterarum quoque fere omnium scien-

Digitized by Google

tiarum notitia insigniter instructus erat, prout testabantur variae magnae insulae scholae quas ipse egregie docendo multos annos illustraverat. Potissimum tamen in verbo Dei e suggestu enunciando mirabili eloquentia praefulgebat. Neque vero scientia solum, sed et aliae quoque virtutes Galfridum nostrum quammaxime exornabant. Romam profectus Cardinali Annibaldo Episcopo Tusculano familiaris, atque a Sacellis fuit. Eo tempore praefatus Cardinalis scripsit elegantem epistolam ad Episcopum Wintoniensem, (cui jam Galfridus, maximo animarum emolumento, oculus, et manus fuerat) in qua illum summopere commendavit. Tandem uti referunt ex Jacobo Waraeo Gandolphus noster, et eruditissimus Balutius, a Clemente VI. anno 1347. Fernensis Episcopus inauguratus fuit. Verum quam hoc anno Clemens imposuit, sequenti invida mors infulam Galfrido praeripuit. Laudant Grandfeldium nostrum omnes scriptores Ordinis, ac praeter allatos externos, etiam Thomas Golbius Episcopus Vatefordiensis, Possevinus, Frisius, et Papebrochius. Edidit sequentia. 1. *Sermones Dominicales, lib.* 1. 2. *Lecturas Theologiae, lib.* 1. 3. *Epistolas ad diversos.* 4. *Sermones alios, prout notat citatus Papebrochius.*

B. Gerardus de Bergomo

Beatus Gerardus Bergomensis in oppido Serinae ex familia Carrara natus, aetate unius et viginti annorum Ordinem Eremitanum in Bergomensi coenobio est amplexatus. Juvenis magno ingenii acumine praeditus Parisiis

Digitized by Google

gravioribus disciplinis cum ingenti profectu operam dedit, evasitque Theologiae egregie doctus, atque teste Sixto Senensi, Juris Canonici peritissimus. Mox magistralem lauream assecutus theologicam cathedram in illa celeberrima Academia conscendere jussus fuit, atque Magistrum Sententiarum summa eruditione est interpretatus. Quamvis autem doctrinae splendore Gerardus noster coruscaret, multo tamen magis singulari vitae sanctimonia commendabatur. Eximiae tanti viri virtutes innotuerunt Summo Pontifici Clementi VI. qui propterea illum quamvis invitum ad Episcopatum Savonensem in Liguria Occidentali promovit. Factus Episcopus totum se in commissi sibi gregis commodum impendit, maxime cum contagiosa lues anno 1348. et duobus sequentibus totam fere Europam depopulabatur. Nam pastor bonus minime dubitans vitam suam in discrimen offerre pro ovibus suis, huc, atque illuc discurrens lethifero morbo infectis omnia cum spiritualia, tum corporalia subsidia, toto quo dira pestis perduravit triennio, ineffabili caritate suppeditavit. In illa miseranda trium annorum calamitate ex nostris amplius quam quinque millia occubuerunt. Gerardus autem divina opitulante gratia incolumis servatus, multa deinde perfecit et suae Dioecesi, et nostro Ordini perutilia. Augustinianis qui extra Savonae moenia degebant, suis impensis intra urbem coenobium aedificavit, itemque Bergomensem conventum, in quo ipse Eremitanae Familiae nomen dederat, plurimum adjuvit. Quamvis multis pastoralis officii curis distentus, numquam tamen litterarum studium intermisit, atque iis, quae ante Episcopatum exaraverat, doctis voluminibus novum adjecit historiam referens suorum praedecessorum, quod tamen, ut

Digitized by Google

scribit Ughellus, posterorum incuria deperditum fuit. Tandem Bergomum ad suos invisendos profectus ibidem moritur cum magna opinione sanctitatis anno 1355. ac penes Augustinianos sepelitur. Statim post mortem, teste Volaterrano, coli coepit more beatorum, atque dum contagionis tempore a populo invocabatur, morbi vis evidenter notabatur remissa; quare illa civitas et Aram erexerat, et votum obtulerat concivi suo recenter vita functo. Iste tamen cultus decursu temporis evanuit; at beati nomen Gerardo semper remansit. In ejus laudem ita cecinit Achilles Mutius:

Est Augustini coetus lux magna Gerardus.
Hic Sophia, et vita clarus abunde sua,
Sabbatia est testis Ligurum locus inter amoena
Urbs, ubi sustinuit Pontificale pedum.

Scripta hujus Gerardi sunt: 1. *In sextum Decretalium de Relig. Dom. lib.* 1. 2. *Super libros Sententiarum lib.* 4. 3. *In Cantica Canticorum lib.* 1. 4. *Comment. in omnes Epistolas D. Pauli.* 5. *In Epistolam ad Hebraeos lib.* 1. 6. *Concordantiae Epistol. Pauli cum Salomone.* 7. *Concord. novi cum veteri Testamento.* 8. *Quodlibeta duo Parisiis disputata, lib.* 1. *et alia multa.*

Fr. Gerardus Senensis.

Gerardus Senis in Tuscia nobili genere ortus, clarus nativitate, multo clarior fuit morum integritate, atque

Digitized by Google

ingenii, doctrinaeque praestantia. Jam inde a puero ineuntem aetatem totam in litteris, atque pietate agere coepit, ac mox inter Augustinianos cooptatus, praeconceptum optime se instituendi ardorem impense fovit. Lutetiam profectus in celebratissimo illius metropolis Athenaeo amplissimam Augustinianorum famam prius mirifice proficiendo, ac postea laudabiliter docendo non modo sartam tectam servavit, verum etiam plurimum auxit. E Parisiensi urbe in Italiam ab Alexandro de S. Elpidio revocatus, cum Bononiae, tum in patria suos, atque externos summa cum laude docuit. Aegidianae doctrinae invictissimus defensor fuit, atque sectator addictissimus, in Scripturis admodum versatus, atque Juris utriusque peritissimus. Obiit vir sane sui aevi doctissimus anno 1336. juxta quosdam admodum juvenis, juxta alios autem senio confectus. Cum sacrae Theologiae Baccalaureus tantummodo fuisset, ob singularem scientiam, instante populo, atque Episcopo Senensi, inaudito exemplo, in feretro jacens, magistrali laurea decoratus fuit. Eo quia in magna sanctitatis opinione decesserat, seorsum ab aliis penes nostrates conditus fuit; at nunc latet sepulturae locus. Illum memorant, praeter scriptores Ordinis, Joannes Andreas celebris jurisconsultus, Trithemius, Possevinus, Gesnerus, Frisius, aliique. Opera ejus sunt: 1. *In lib. 1. Sententiarium.* 2. *Quaestiones quodlibetales Parisiis disputatae* 3. *De usuris, et restitutionibus.* 4. *Quaestiones ex Philosophia, et sacra Theologia.* 5. *Tractatus de usuris, et praescriptionibus, quo D. Bernardinus Senensis plurimum est usus. Haec omnia habentur typis excusa.* 6. *Quaestiones variae ad Episcopum Senensem, in quibus duo inter alia pertractat, scilicet: utrum bona pauperum soli*

Digitized by Google

Episcopo Dioecesano liceat dispensare, et utrum imminenti periculo civitatis liceat Episcopo dicta bona convertere in illius subsidium, si a Rectore civitatis petantur. 7. *Quaestiones ad Episcopos generaliter pertinentes, lib.* 1. 8. *De montibus Florentinorum lib.* 1. 9. *Quaestiones super* 2. 3. *e* 4. *lib. Sententiarum, lib.* 3. 10. *De usucapionibus lib.* 1. 11. *Clementina de haereticis, lib.* 1. 12. *De Begardorum erroribus.* 13. *Tractatus de principio individuationis ad mentem Aegidii.* 14. *Quaestiones de intellectu agente, et alia plura.*

B. Gregorius de Veruculo.

Beatus Gregorius anno 1225. Veruculi in Aemilia ex honestis parentibus natus, triennis patre orbatus, ab Anna matre, Christo Domino, Beatissimae Virgini Consolationis Matri, ac B. P. Augustino dicatur. Ubi ad pubertatem adolevit, a pia matre rogatus vellet nec ne patris, qui clarissimus fuerat jurisconsultus, institutum sequi, incunctanter se Ordinem Eremitarum S. P. Augustini, Deo vocante, amplecti velle respondit. Itaque ambo, mater scilicet, et filius Augustinianum habitum, illa domi, iste vero in patriae coenobio susceperunt, ipsumque coenobium nedum aere proprio ampliarunt, verum etiam reditibus locupletarunt, ut plures possent in eo famuli Dei sustentari. Ibidem Gregorius laboribus, vigiliis, et orationibus, nec non verbi Dei praedicatione, obedientia, castitate, carnis maceratione, paupertate, caeterisque virtutibus ita decennium se exercuit, ut a

Digitized by Google

cunctis beati nomine adhuc vivens appellaretur. Singulari Dei spiritu actus complures a perditionis via ad salutis semitam revocavit, atque arianam haeresim per Ariminensem provinciam a Bonvilla disseminatam acriter confutavit, nec latius eam serpere sustinuit. Verum invidorum hominum nequitia a patrio coenobio pene a fundamentis suis sumptibus extructo exulare cogitur. Quamobrem Gregorius ad aliud Augustinianum coenobium prope Reatem se contulit, ubi usque ad decrepitam annorum 118. aetatem in summa austeritate vixit. Morti proximus mulam indomitam sua sponte coenobio accessuram fratribus praedixit, praecipiens eis, ut corpus suum eidem imponerent Dei jussu Veruculum transvehendum. Et revera moritur sanctissimus famulus Dei anno 1343. diebus, meritisque cumulatus, ac statim juxta ipsius praedictionem mula comparuit, cujus dorso fratres beatissimi senis jussa explentes, sacrum corpus loculo inclusum simul cum macerationum instrumentis, atque libello vitae ipsius enarrationem referente accommodant, atque tam pretiosum pignus Dei directioni committunt. Itaque Deo duce viam carpit jumentum sanctissimas exuvias vectans, atque quacumque iter faciens transibat, sponte tintinnabula laetitiae sonitum dabant. Tandem Veruculum felix sarcina pervenit, atque extemplo ultronea campanarum pulsatio omnes oppidi incolas primum repentino terrore, ac deinde post visum, et recognitum tam magnum thesaurum, summo gaudio affecit. Quamobrem in Ecclesia S. P. Augustini, ad cujus januam constiterat, laeti, atque exultantes venerabile pignus reponunt, atque interea mula repente humi procidens protinus occubuit, ne alio in posterum minus digno pondere gravaretur. Regebat tunc temporis Veru-

Digitized by Google

culum (patriam suam) Galeottus Malatesta Dominus Arimini, qui audita mirabili sacri corporis translatione, statim in praefata Ecclesia sacellum ad ejus honorem, et arcam in qua reconderetur construi jussit, ac postea cum miraculis plurimis clarescere coepisset anno 1357. ab Innocentio VI. bullam ipsius beatificationis obtinuit, quae tamen decursu temporis deperdita fuit. Cultus tamen ab immemorabili illi praestitus numquam defecit usquedum tandem a Clemente XIV. Apostolica auctoritate confirmatus fuit. Vide Scriptores Ordinis, et Breviarium.

B. Gualterus Reclusus.

Beatus Gualterus Reclusus, sic dictus eo quia solitudinis amator ab hominum conversatione segregatam vitam duxit, cum apud nostrates in Anglia cujus nationis erat, tam in litterarum, quam in morum praeceptis rite institutus fuisset, in eorum societatem voluit cooptari. Factus itaque Augustinianus totum se ad theologicas scientias addiscendas convertit, in quibus tantum profecit, ut inter primarios sui aevi theologos tunc floreret, atque illustria quotidie palam suppeditaret suae amplissimae eruditionis argumenta. Aliis edocendis praepositus tanta sedulitate hoc praeclarum munus exercuit, ut ex ejus schola multi egregii doctores prodierint. Prae caeteris Theologiam moralem, atque contemplativam docere studens, plures discipulos nedum doctos, verum etiam pios effecit. Saepe saepius enim saluberrima discipulis praecepta dabat de amore Dei, de contemptu Mundi, de vita solitaria,

Digitized by Google

deque aliis hujusmodi spiritualis vitae exercitationibus. Hujus precibus Honorius IV. annuit, ut Parisiense Augustinianum coenobium loco meliori quam antea fuerat, extrueretur. Fama sanctitatis comitatus decessit anno 1286. Praeter nostrates laudant illum Pitsaeus, et Frisius. Scripsit. 1. *De contemptu Mundi lib.* 1. 2. *De vita solitaria lib.* 1. 3. *Meditationum lib.* 1. *et alia quaedam.*

B. Guilelmus Amidanus de Cremona

Beatus Guilelmus Amidanus fuit Nobilis Cremonensis. Is post navatam in saeculo laudabiliter operam humanioribus litteris, in patrio coenobio Augustinianam tunicam induit. Homo eloquentissimus, et in disputando acerrimus, prout ait Coriolanus, tam strenue in sacrae Theologiae stadio cucurrit, ut omnibus fere suae aetatis theologis praeierit, atque eximius evaserit ejusdem scientiae Doctor et Professor, magistralem lauream summa cum laude consecutus. Fuit etiam admodum insignis concionator, ab omnibus propterea Insubriae urbibus certatim expetitus, nec non jurisconsultus longe praestantissimus, adeo ut referant nonnulli scriptores ab Herrera, et Ughello laudati, illum quemadmodum in Theologia pares paucos, ita in Jurisprudentia nullos superiores habuisse. Potissimum vero singulari quadam morum probitate, atque mira vitae sanctimonia ornatus praefulgebat. Tantae virtutis ipsius, atque eruditionis fama permotus Galeatius Primus de Vicecomitibus Mediolani Dominus illum sibi confessarium adscivit, atque eo duce melius sibi,

Digitized by Google

suisque subditis consuluit. Variis ad varios Reges, ac Principes Christianos a Joanne XXII. legationibus fuit insignitus, quapropter idem Summus Pontifex, teste Ludovico Cavitellio, ac praesertim ob validissime oppugnatos errores Marsilii de Padua, et Joannis de Janduno, primo sui Generalatus anno, nam anno 1326. Florentiae totius Ordinis Prior Generalis fuerat renuntiatus, eum Sacro Cardinalium Collegio adscribere voluit, at ipse raro exemplo hanc tam sublimem dignitatem recusavit, petita potius, atque obtenta a Pontifice facultate Augustinianum coenobium Papiae construendi juxta Ecclesiam S. Petri in Coelo Aureo, in qua S. P. Augustini sacrae exuviae asservantur. Miratus Pontifex tantam eximii viri humilitatem, perquam libentissime ejus voluntati morem gessit. Sexies Generalis electus, atque confirmatus, summa prudentia, ac singulari prorsus dexteritate Augustinianam Familiam septendecim annos gubernavit, quo tempore magis quam unquam alias Eremitanus Ordo propter sui Praesidis bonitatem Coeli benedictionem evocantem, cum sanctitate, tum doctrina, cum coenobiorum multitudine, tum demum coenobitarum numero auctus fuit. Anno vero 1343. eximius Augustinianus Antistes a Clemente VI. invitus creatur Episcopus Novariae. Quae autem postquam infula redimitus fuit, memoratu digna perfecit ita narrantur ab eruditissimo Ughello: *Cum sui Ordinis generale magisterium cum laude gessisset, praeclare se gessit in administratione hujus Ecclesiae, (Novariensis) substruxitque in eminentiori loco Episcopat. munitissimam arcem, et collabentia vitio vetustatis plura aedificia refecit... Suo ingenio digna plura monumenta reliquit, adauxit, exornavitque Episcopale Palatium, alterumque in insula S.*

Digitized by Google

Julii a fundamentis excitavit ..... In Pago vero Vespalato alterum construxit Palatium anno 1351 ...... *Clericorum vitam, moresque optimis decretis instituit, plurimis sublatis abusibus. Evulganda Cathedralis Statuta curavit, Canonicosque Regulares Ecclesiae S. Matthaei prope Novariam ad puriores mores traduxit.* Haec sunt ipsissima Ughelli verba, quibus addendum ex Elssio, Guilelmum nostrum in ipsa Episcopali domo cum duodecim Augustinianis fratribus, eodem prorsus modo quo antea in claustro, coenobiticam vitam duxisse. E vivis sublatus fuit anno 1356. ejusque corpus Papiam delatum in Ecclesia S. P. Augustini sepelitur. Commendant Amidanum nostrum prae caeteris S. Antoninus, Sixtus Senensis, Ludovicus Cavitellius, Ludovicus Celotius, Trithemius, Possevinus, Claudius Robertus, Frisius, Petrus Maria Campi, aliique externi scriptores, quibus accedunt omnes nostrates. Scripta ejus sunt. 1. *De auctoritate Apostolica lib.* 1. *quem scripsit jussu Joannis XXII. contra errores Marsilii de Padua, atque Joannis de Janduno.* 2. *Expositiones super quatuor Evangelia, lib.* 4. 3. *Comment. super quatuor lib. Sententiarum lib.* 4. 5. *Sermones varii, lib.* 1. 6. *Orationes elegantes, lib.* 1.

B. Guilelmus Sengham.

Beatus Guilelmus Sengham Anglus admodum juvenis ex Anglia Romam venit. Ibidem adolescens peracuti ingenii, optimaeque indolis in Augustinianum monachum est attonsus. Factus ergo Eremita Augustinianus magnum

Digitized by Google

tam in pietate, quam in litteris profectum fecit. Quapropter post peractam sub Alexandro IV. universi Augustiniani Ordinis unionem, a B. Lanfranco Praeposito Generali una cum B. Albertino de Verona missus fuit in Angliam, non solum ut sparsa per illam regionem Eremitani Instituti coenobia nuper unito Ordini aggregaret, aliaque de novo extrueret; verum etiam ut Augustinianos Anglos litteris, atque pietate institueret. Quod quanta diligentia, quantoque fructu praestarit, rei comprobavit eventus, nam praeter rite confectam in Anglia, Scotia, atque Hibernia propositam jam praeexistentium unionem, alia viginti coenobia ibidem passim aedificavit, eaque omnia tum antiqua, tum recentiora sanctissimis regularis observantiae praeceptis communivit, atque plurimis frequentavit piissimis aeque, ac doctissimis coenobitis, quos ipsemet tam bonis moribus, quam philosophicis disciplinis sedulo imbuerat. Doctrinae ipsius monumentum extant opera quae exaravit, sanctitatis vero; beati nomen quod a scriptoribus accepit. Ex hac vita discessit circa annum 1260. Memoratur cum debita laude a Pitsaeo, Possevino, et Frisio, nec non ab omnibus nostratibus, inter quos celeberrimus Augustinianus poeta Nicasius Baxius Antuerpiensis illum hoc disticho celebravit:

Anglia me genuit, formavit Roma, recepit
Anglia, quo caperet, quae mihi Roma dedit.

Scripsit autem Guilelmus noster 1. *De Fide, et Legibus lib.* 1. 2. *De tentationum remediis.* 3. *De professione Novitiorum lib.* 1. 4. *Annotationum Scripturarum lib.* 1. 5. *De claustro animae lib.* 1. *et alia.*

Digitized by Google

B. Guilelmus Triumphus.

Beatus Guilelmus Triumphus de Ancona, vir mirae pietatis, vitaeque admodum austerae, patruus fuit celeberrimi B. Augustini Triumphi, quem etiam juvenem decem, et octo annorum consilio suo, atque hortatu, ad amplectendum Augustinianum Institutum adduxit. Propter sanctitatis, doctrinaeque praestantiam acceptissimus fuit, ac familiaris eruditissimo S. R. E. Cardinali Hugoni ex inclito Praedicatorum Ordine, qui illius opera in sapientissimis suis super Scripturam universam commentariis conscribendis plurimum usus fuit. Ipsemet autem Guilelmus illustria quoque sui ingenii monumenta reliquit, ac praesertim tractatum egregium de Poenitentia, de quo mentionem facit Joannes Bunderius in suo Compendio lutheranae concertationis agens de Contritione. Fatis concessit Anconae anno 1283. ibique in Ecclesia S. Augustini more Sanctorum sepultus fuit. Jam inde ab obitu titulo beati a scriptoribus decoratus fuit. Vide Torellium, et Elssium, aliosque nostrates.

B. Henricus de Urimaria.

Beatus Henricus a loco nativitatis, oppido Thuringiae de Urimaria nuncupatus, valde juvenis ut saeculi blandimenta devitaret, Augustinianum Ordinem amplecti deliberavit. Ibidem litteris, sed multo magis virtutibus adipiscendis impense addictus, brevi in utraque

Digitized by Google

palaestra tantum profecit, ut florentissima Augustiniana Eremus paucos qui Henricum doctrina, atque sanctitate aequarint, pauciores vero, qui illum superarint, viros unquam in lucem emiserit. Lutetiam Parisiorum profectus summo in honore ob insignem ingenii praestantiam, atque honestissimam vitae conversationem ab omnibus habebatur, propter flagrantissimam erga Deum caritatem, qua se totum in verbis, et scriptis succensum ostendebat, Doctor Seraphicus appellatus. Doctoris annulo, et infula condecoratus multos annos in Parisiensi Universitate Philosophiam, ac Theologiam sapientissime explanavit, ob complures ingenti adstantium plausu triumphatas litterarias concertationes majori adhuc gloria cumulatus. Tot auctus honoribus in suam Germaniam revertitur uberiorem meritorum segetem praedicando, ac docendo in praestantioribus amplissimae illius provinciae urbibus utique collecturus, sicut reipsa abunde collegit. Augebat in ipso doctrinae splendorem fulgor sanctitatis, ac vicissim sanctitatis fulgorem doctrinae splendor amplificabat. Nemo erat illo doctior, nemo simul devotior, itemque nemo illo studiosior, nemoque humilior. Otii perpetuus inimicus postquam brevissimum raptim somnum cepisset, nihil aliud diu noctuque agebat, quam libris, vel legendis vel scribendis, aut orationibus ad Deum fundendis, rebusque coelestibus meditandis operam dabat. Quibusdam familiaribus mirantibus qui posset tam indefesso animo, indefessoque corpore tantum jugiter laborum litteris impendere, ac lepide dicentibus: *Tu Pater ita studes in Germania, ac si nunquam studuisses Lutetiae; si Lutetiae studuisses satis, non esset tibi opus studere ultra;* ita sapienter respondit: *Etsi pedes haberem ad tumulum, adhuc caput*

haberem ad litteras. Et revera annorum licet plus septuaginta pondere gravatus, studendi tamen laborem non sibi minuit, sed e contra auxit, tanto discendi cupidior effectus, quanto magis putabat se brevi moriturum. Potiorem tamen temporis partem in spirituales exercitationes insumebat. Quotidie praemissa semper cum multa lacrymarum copia sacramentali confessione Sacrum tanta reverentia tantoque animi fervore celebrabat, ut adstantes omnes ad pietatem excitaret; quamobrem quidam juvenis pravorum morum foeditate turpatus, audita tantum Henrici Missa, ad meliorem frugem se recepit, fuitque deinceps magnae virtutis coenobita. Item quotidie peracta Missa aegrotos etiam contagioso morbo affectos invisebat, eosque cum spiritualibus, tum corporalibus subsidiis reficiebat. Quilibet ei locus, ut scribit Elssius, oratorium erat; in cubiculo, in claustris, per urbem, in ipso itinere, nunquam ab oratione desistebat, adeo ut non una tantum quotidie vice, sed secunda saepe, et tertia integrum recitaret Officium defunctorum. Ut autem hoc tam ingens orandi studium, atque vehementem studendi cupiditatem magis magisque confoveret, hoc frequenter effatum pronuntiabat: *Inter orandum Deo se loqui, inter studendum Deum sibi.* Tantae etiam erat humilitatis, ut ipsis famulis famulari in deliciis haberet. Tandem postquam Saxoniae provinciam optime rexisset, ac tribus Capitulis generalibus, nempe Ratisbonensi anno 1290. Neapolitano 1300. atque Ariminensi 1318. interfuisset, post saevissimos ex calculis dolores triennio patientissime toleratos, prope octogenarius pretiosa in conspectu Domini Sanctorum morte, immaculatae vitae cursum consummavit anno 1334. Demortui corpus quamvis longa macie extenuatum,

Digitized by Google

palaestra tantum profecit, ut florentissima Augustiniana Eremus paucos qui Henricum doctrina, atque sanctitate aequarint, pauciores vero, qui illum superarint, viros unquam in lucem emiserit. Lutetiam Parisiorum profectus summo in honore ob insignem ingenii praestantiam, atque honestissimam vitae conversationem ab omnibus habebatur, propter flagrantissimam erga Deum caritatem, qua se totum in verbis, et scriptis succensum ostendebat, Doctor Seraphicus appellatus. Doctoris annulo, et infula condecoratus multos annos in Parisiensi Universitate Philosophiam, ac Theologiam sapientissime explanavit, ob complures ingenti adstantium plausu triumphatas litterarias concertationes majori adhuc gloria cumulatus. Tot auctus honoribus in suam Germaniam revertitur uberiorem meritorum segetem praedicando, ac docendo in praestantioribus amplissimae illius provinciae urbibus utique collecturus, sicut reipsa abunde collegit. Augebat in ipso doctrinae splendorem fulgor sanctitatis, ac vicissim sanctitatis fulgorem doctrinae splendor amplificabat. Nemo erat illo doctior, nemo simul devotior, itemque nemo illo studiosior, nemoque humilior. Otii perpetuus inimicus postquam brevissimum raptim somnum cepisset, nihil aliud diu noctuque agebat, quam libris, vel legendis vel scribendis, aut orationibus ad Deum fundendis, rebusque coelestibus meditandis operam dabat. Quibusdam familiaribus mirantibus qui posset tam indefesso animo, indefessoque corpore tantum jugiter laborum litteris impendere, ac lepide dicentibus: *Tu Pater ita studes in Germania, ac si nunquam studuisses Lutetiae; si Lutetiae studuisses satis, non esset tibi opus studere ultra;* ita sapienter respondit: *Etsi pedes haberem ad tumulum, adhuc caput*

Digitized by Google

haberem ad litteras. Et revera annorum licet plus septuaginta pondere gravatus, studendi tamen laborem non sibi minuit, sed e contra auxit, tanto discendi cupidior effectus, quanto magis putabat se brevi moriturum. Potiorem tamen temporis partem in spirituales exercitationes insumebat. Quotidie praemissa semper cum multa lacrymarum copia sacramentali confessione Sacrum tanta reverentia tantoque animi fervore celebrabat, ut adstantes omnes ad pietatem excitaret; quamobrem quidam juvenis pravorum morum foeditate turpatus, audita tantum Henrici Missa, ad meliorem frugem se recepit, fuitque deinceps magnae virtutis coenobita. Item quotidie peracta Missa aegrotos etiam contagioso morbo affectos invisebat, eosque cum spiritualibus, tum corporalibus subsidiis reficiebat. Quilibet ei locus, ut scribit Elssius, oratorium erat; in cubiculo, in claustris, per urbem, in ipso itinere, nunquam ab oratione desistebat, adeo ut non una tantum quotidie vice, sed secunda saepe, et tertia integrum recitaret Officium defunctorum. Ut autem hoc tam ingens orandi studium, atque vehementem studendi cupiditatem magis magisque confoveret, hoc frequenter effatum pronuntiabat: *Inter orandum Deo se loqui, inter studendum Deum sibi.* Tantae etiam erat humilitatis, ut ipsis famulis famulari in deliciis haberet. Tandem postquam Saxoniae provinciam optime rexisset, ac tribus Capitulis generalibus, nempe Ratisbonensi anno 1290. Neapolitano 1300. atque Ariminensi 1318. interfuisset, post saevissimos ex calculis dolores triennio patientissime toleratos, prope octogenarius pretiosa in conspectu Domini Sanctorum morte, immaculatae vitae cursum consummavit anno 1334. Demortui corpus quamvis longa macie extenuatum,

Digitized by Google

senioque confectum, juvenili tamen venustate refloruit, vultusque ejus Angeli, quam hominis similior, vivido rubore suffusus apparuit, perinde ac si viscera ejus adhuc divinae caritatis igne intus ferventia ipsas quoque jam extinctas genas ardentiori flamma succendissent. Sed et aliud contigit insigne miraculum, quo servi sui sanctitatem munificentissimus Deus testatam voluit. Nam mulier quaedam quae diutina, perpetuaque cephalaea affligebatur, manu qua sanctissimi viri faciem tetigerat, suo sibi capiti admota, illico sanata fuit, nec amplius in posterum ex capite laboravit. Scripsit autem vir longe eruditissimus haec quae sequuntur valde accurata volumina: 1. *Opus sermonum exactissimorum de Sanctis, lib.* 1. 2. *De quadruplici instinctu, divino, angelico, diabolico, et humano.* 3. *Additiones ad libros Sententiarum etc.* 4. *De spiritibus, eorumque discretione lib.* 1. 5. *Tractatus de B. Mariae Virginis Conceptione.* 6. *De origine Fratrum Eremitarum S. Augustini.* Quae omnia habentur typis impressa. 7. *De perfectione spirituali interioris hominis.* 8. *De virtutibus moralibus lib.* 1. 9. *In utrumque Testamentum lib.* 1. 10. *In Cantica Canticorum lib.* 1. 11. *In libros Ethicorum Aristotelis copiosissima commentaria.* 12. *De quatuor sensibus S. Scripturae lib.* 1. 13. *De celebratione Missarum lib.* 1. 14. *De Incarnatione Verbi lib.* 1. 15. *Quodlibeta duo Parisiis disputata.* 16. *Manuale Sacerdotum lib.* 1. 17. *De vitiis capitalibus lib.* 1. 18. *De nocturnis illusionibus lib.* 1. 19. *De mortificatione propriae voluntatis lib.* 1. 20. *Sermonum de tempore lib.* 1. 21. *Flores de collatione SS. Patrum, lib.* 24. 22. *In* 4. *lib. Sententiarum lib* 4. 23. *Super orationem Dominicam lib.* 1. 24 *Super Salutationem Angelicam lib.* 1. 25. *De Passione Domini.* 26. *De exemptione lib.* 1. *et alia.*

Digitized by Google

Laudant virum doctrina, atque pietate longe praestantissimum cuncti nostrates scriptores, illum beati titulo decorantes, quibus accedunt Trithemius, Possevinus, Volaterranus, Sixtus Senensis, Bellarminus, aliique plures externi.

B. Hermannus de Hallis.

Beatus Hermannus de Hallis in hujus nominis Saxoniae civitate natus maturo tempore erga Deum, ac Deiparam vehementi pietatis, ac devotionis studio inflammari coepit; quare adhuc puer in genua provolutus effusis lacrymis enixe ab illis postulavit, ut ei ostendere dignarentur quoduam de se magis acceptum munus sibi ab ipso offerri praeoptarent. Nubes cito penetravit oratio humilis Hermanni ac repente vox ad ipsum de Coelo allata est dicens ei, nihil melius ipsum gesturum, quam si illibatum virginitatis florem Deo voto consecraret. Accepto perquam laetissime hoc divino responso, mox angelicus juvenis ad Augustinianam Eremum convolavit, ibique veluti in horto concluso, vigili sensuum custodia nitidissimum sepsit suae puritatis lilium, nequa mundanarum illecebrarum foeditate ipsius nivei candoris venustas dehonestaretur. Plantatus itaque secus decursus aquarum Eremi nostrae uberrimos fructus doctrinae, ac sanctitatis dedit in tempore suo. Nam statim ab ipso tirocinio totum se ardentiori cordis affectu Dei, Virginisque Matris servitio mancipavit, eorumque assidue implorata ope, quamvis caeteroquin haud multam studio operam navarit, adeo

tamen in litteris profecit, ut scientia infusa imbutus fuisse credatur. Et revera cum quadam nocte in choro orationi vacans insolito sopore correptus obdormire coepisset, apparuit illi in somnis Beatissima Virgo, magna virginum comitata caterva, gravi incessu Ecclesiam petens, quo ubi pervenit, e calice quem manu gestabat, singulis virginibus potum praebebat. Contemplabatur mirabundus Hermannus virginale libamentum, et ipse quoque arcano poculo labia admovere cupiebat. Agnoscit cupientem benignissima Virgo atque peramabili nutu ad potandum invitat. Accedit continuo Hermannus sperans forsitan se suavissimum nectar gustaturum; at ore admoto puram aquam se deglutire sentit. Mox e somno vigilans serio cogitare coepit quidnam sibi vellet arcana hujusmodi delibatio, statimque meminit scriptum esse: *Aqua sapientiae salutaris potabit illum.* Ex hac mirabili visione, quam ipsemet discipulo suo B. Jordano de Saxonia ad bonum ejusdem exemplum enarravit, facile intelligi potest, ipsum procul dubio immissa divinitus scientia imbutum fuisse. Quare nil profecto mirum, si parvo studio eminenter eruditus evasit, atque eximius in primis concionator, adeo ut passim ab auditoribus *fons inexhaustus*, ac talis quo nihil doctius, nihilque facundius desiderari posset, proclamaretur. In privatis colloquiis nihil nisi de Deo, de Sanctorum actibus, ac virtutibus, aut de bono persequendo, aut de malo aversando ut plurimum loquebatur. Morbos etiam omnium judicio insanabiles vel Crucis signo, vel prece ad Deum fusa, vel sola Evangelii lectione saepe sepius curavit. Claudis gressum, caecis visum, obsessis liberationem obtinuit. Pene per annum gravem, ac molestissimam aegritudinem invicta patientia toleravit.

Digitized by Google

Nihilominus horas canonicas nunquam omisit usque ad extremum vitae punctum, quo etiam Vesperas absolvit; Missamque, quamdiu e lecto surgere valuit, quotidie celebravit, postea vero coram se in cubiculo ab alio celebrari jussit. Postrema sanctissimae ipsius vitae momenta ex B. Jordano, qui morienti adfuit, quique de se ipso testatur: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, nam fuit servitor ipsius in tota illa infirmitate*, sic fere ipsissimis verbis refert noster Elssius: Ingravescente morbo, sumptis devotissime Sacramentis, ab omnibus venia petita, lectis animae commendationibus, altera manu Crucifixi, altera vero SS. Genitricis imaginem tenens, alternis vicibus nunc Salvatorem, nunc ejus Matrem verbis alloquebatur dulcissimis, nunc psalmos, himnosque sacros cum circumstantibus legebat, totus licet exhaustus, tanta omnium invisentium admiratione, ut cuncti glorificarent Deum, quod tanta pietatis dona in servum suum contulisset. Tandem vicinae mortis prophetico spiritu praescius, jussit legi sibi ex Evangelio Passionem Domini, qua secundum Matthaeum vehementissimo commiserantis animi dolore audita, iterum eamdem ex Marco audire voluit, quae dum legeretur, ad illa verba: *Jesus emissa voce magna expiravit*, purissimam animam in Domino exhalavit anno 1334. conspicua sanctitatis signa relinquens. A Gandolpho inter scriptores Ordinis recensetur ob exaratas pias quasdam meditationes de Domini nostri Jesu Christi Passione. Vide scriptores nostrates.

Digitized by Google

Fr. Hulricus Lutzenburgensis.

Hulricus Scultetus a Lentzburg Germanus sacrae Theologiae Doctor, vir tum nobilitate generis, tum morum probitate admodum conspicuus, doctrina etiam quammaxime emicuit, fuit enim rhetor, philosophus, historicus, atque sacrae Scripturae interpres peritissimus. Ob tam praeclara mentis, animique ornamenta Germaniae Principibus summo in honore habitus a Joanne XXII. anno 1333. creatur Episcopus Curiensis in Rhetia. Factus Episcopus, sibi commissae Ecclesiae jura strenue vindicare coepit, atque cujusdam D. de Vatz, qui jam multis abhinc annis Curiensem Ecclesiam insectabatur, nedum audaciam fregit, verum etiam potentiam contrivit. Nec solum Ecclesiae suae dominia defendit, sed insuper ampliavit, eidem enim acquisivit Rietbergum, et Castrum Tumiliascae, pro quibus nobili viro de Landario solvit 1500. aureos. Anno 1337. a Germaniae Principibus Avenionem ad Benedictum XII. pro Ludovici Bavari Imperatoris reconciliatione legatus missus fuit, licet quod legatione petebat, nequaquam assequi potuerit, eo quia Pontifex Bavari promissis fidem habere noluit. Scripsit Antistes egregius vitas aliquot Sanctorum, obiitque anno 1355. Episcopatus 23. Sepultus fuit in sua Cathedrali. Laudatur a nostratibus, atque etiam a Cratepolio Minorita, ab Alberto Argentinensi, a Possevino, aliisque externis.

Digitized by Google

B. Humbertus de Accarigiis.

Beatus Humbertus de Accarigiis ex illustri hujus nominis familia saeculo decimo tertio Senis in Tuscia ortum duxit. Nostri B. Petri de Rosia sanctissimis vitae perfectioris exemplis excitatus, adolescentia nondum exacta, Iliceti Augustinianum Institutum suscepit. Quippe qui mentis acumine optime valebat, in sacris, profanisque litteris mirifice profecit. Missus Lutetiam Parisiorum ut in theologicis disciplinis magis magisque perficeretur, talia brevi luculenta praebuit praestantissimi ingenii specimina, ut dignus habitus fuerit qui Doctoris Sorbonici infulis condecoráretur. Reversus in patriam, verbo Dei praedicando totum se dedit, quo in munere ita se excellenter gessit, ut in tota Italia nulli concionatorum secundum se ostenderit, atque ingens animarum lucrum reportarit. Praefati B. Petri vestigia premens altius evexit suae sanctitatis fastigium, adeo ut etiam miraculis coruscarit. Modo Prior Ilicetanus, modo autem Provincialis, exemplo magis quam auctoritate, subiectam sibi familiam sanctissime gubernavit. Ilicetanam SS. Salvatoris Ecclesiam ornavit, et auxit; coenobium quoque aedificiis et reditibus ampliavit. Demum meritis onustus, ac sanctitate conspicuus placidissimum Iliceti justorum somnum cepit anno 1348. ibique honorifice conditus fuit. A nostratibus et externis scriptoribus, praesertim hetruscis, beati titulo decoratur. Vide Pamphilum, Crusenium, Torellium, Elssium, etc.

Digitized by Google

B. Jacobus de Viterbio.

Beatus Jacobus Capoccius a loco nativitatis de Viterbio nuncupatus, in patrio SS. Trinitatis coenobio monachum Augustinianum induit. Juvenis raro ingenio praeditus, post sedulam Philosophiae in Italia navatam operam, Theologiam addiscendi causa in Galliam Superiorum jussu se contulit. Ibidem condiscipulum habuit celeberrimum Aegidium Columnam, aliosque Augustinenses praestantissimos, qui suae apud posteros famae optime consuluerunt. In theologicis disciplinis adeo profecit, ut earumdem in Parisiensi Athenaeo insignis Professor evaserit, ac Doctoris Speculativi titulum promeruerit. Apud omnes cum propter mentis subtilitatem, tum propter eloquentiae splendorem, atque quod potissimum est, propter vitae morumque integritatem, summo in honore semper est habitus. Praeclarissimum magnae qua excellebat humilitatis, atque mansuetudinis specimen dedit in Capitulo generali Neapoli celebrato anno 1300. cum propter susceptam ex fraternae caritatis impulsu clientelam cujusdam religiosi, qui falsi criminis insimulatus fuerat apud Generalem B. Augustinum Novellum, ab hoc accusatorum mendaciis decepto hujusmodi duriora verba coram omnibus fratribus audire debuit: *Fratres charissimi dolentibus vobis denuncio, quod fratres quidam per Ordinem enutriti, et in statu honoris positi sic rependunt suae Matri Religioni, quod fratres defectuosos et vitiosos excusare et defendere nitantur.* Ad quae humillimus Jacobus considerans hanc objurgationem non aliunde partam quam zelo justitiae, atque regularis disciplinae amore, surrexit coram omnibus,

Digitized by Google

atque sincera animi demissione, plenaque mentis serenitate ita respondit: *Pater protestor coram Deo et vobis, siquid in ista materia locutus sum, hoc feci ex sincero animo, et pura intentione pro bono Ordinis. Tamen si vobis videtur quod in hoc offenderim, dico meam culpam Deo et paratus sum emendare.* Hoc tam humile tanti viri responsum praedicti P. Generalis animum omnino placavit, cunctisque adstantibus admirationem attulit et exemplum. En itaque quomodo Majores nostri sine ulla personarum acceptione quoscumque quantavis dignitate praepollentes viros praestantissimos aequitatis studio libere redarguebant, et quanta vicissim reverentia summi viri, Ecclesiae et Ordinis columnae, hujusmodi objurgationes quamvis, errato quidem, minus juste ipsis factas patienter excipiebant! O utinam semper habeatur et in iis qui praesunt tanta libertas, et in iis qui subditi sunt tanta docilitas! Tam praeclara Jacobi nostri merita sua corona minime caruerunt. Nam anno 1302. instante Carolo II. utriusque Siciliae Rege, a Bonifacio VIII. Beneventana infula redimitus fuit, qua tamen post annum relicta nobiliorem Neapolitanam accepit. Plurimum apud praefatum Regem gratia, atque amicitia valens multa ab eo cum Ecclesiae suae, tum gregi beneficia obtinuit. Hoc potissimum expertus fuit quidam nobilis vir Joannes de S. Cruce ad supplicium propter homicidium damnatus, cui Rex post cunctorum Regni Optimatum repulsas supplicationes, vix ab Archiepiscopo exoratus vitam indulsit, mortis poena cum exilio quinquenni commutata. Tandem meritissimus Neapolitanus Antistes anno 1308. ad meliorem Sedem obeundo transivit, posteris relinquens amplissimam sui nominis famam magis magisque tum striptorum excellentia, tum

Digitized by Google

beati nuncupatione commendatam. Laudant eximium Capoccium omnes scriptores Augustiniani, innumerique externi, inter quos Renatus Choppinus in suo Monastico tit. I. n. 15. appellat eum *clarissimum Ecclesiae lumen, et sacrorum librorum auctorem venerandum.* Libri autem isti sunt sequentes: 1. *De Regimine Christianitatis ad Bonifacium VIII. lib.* 2. *in quibus de Ecclesia, deque potentia Christi Regis, atque ipsius Vicarii subtilissime pertractat.* 2. *Quaestiones de praedicamentis in divinis Parisiis disputatae.* 3. *Quodlibeta quatuor item Parisiis exposita, et disputata.* 4. *Abbreviatio sententiarum Aegidii Romani.* 5. *Super Mag. Sentent. lib.* 4. 6. *Quaestiones sacrae Theologiae.* 7. *De Spiritu Sancto quaestiones* 50. 8. *Catena Patrum super Epist. D. Pauli.* 9. *Sermones diversarum rerum.* 10. *Quodlibeta alia triginta.* 11. *Quaestiones de Angelis.* 12. *Fxplicationes super Epist. D. Pauli.* 13. *Expositio in Evangelium D. Matthaei.* 14. *Item expositio in D. Lucam.* 15. *Summa de articulis Fidei.* 16. *Comment. in lib. Phisicorum, et Metaphisicorum.* 17. *Liber de naturae principiis.* 18. *Concordantiae psalmorum David, et alia.*

B. Joannes Bonus Mantuanus.

Joannes Bonus Mantuae ex familia Bonhomia anno 1168. natus, mortuo patre, paternis divitiis abutens vitiis se incaute mancipavit. Ut licentius viveret matre et patria relicta cum histrionibus mimum agens circumvagari coepit. Deflebat quotidie pia mater unici filii deliramenta, aeternaeque salutis discrimen, atque enixis pre-

Digitized by Google

cibus jugiter Deum deprecabatur ut aberrantem juvenem ad rectum tramitem revocaret. Respexit benignissimus Dominus afflictionem ancillae suae, nec sivit ut filius tantarum lacrymarum periret. Quamobrem sicut aliquando solet vulnerare corpus ut animae medeatur vulneribus, sic Joannem lethali morbo corripuit ut eum ad saniorem mentem reduceret. Ex quo morbo graviter etiam cum vitae periculo decumbens Deo ipso gehennae timorem salutarem cordi ejus incutiente, illico conscientiae suae foeditatem exhorrere coepit, atque serio animo deliberavit se tandem e turpissimo vitiorum coeno eripere, totumque pietatis operibus addicere, adjuncto etiam voto, si pristinae sanitati restitueretur, se monasticum institutum amplexurum. Recuperata valetudine voti memor, vitiorum suorum fomenta, nempe divitias pauperibus distribuit, atque generali peccatorum suorum penes Episcopum Mantuanum peracta confessione, ab omni anteactae vitae inquinamento expurgatus, se in Eremum prope Caesenam in Aemilia recepit, ut quantum antea in deliciis fuerat, et se glorificaverat, tantum sibi postea in summa vitae austeritate tormentum et luctum daret. Incredibile dictu est quot inauditis asperitatum generibus, quotque miris corporis afflictationibus vel veterum delictorum a seipso poenas exegerit, vel insurgentes concupiscentiae conatus represserit. Quadam die cum impurissimus spiritus, cujusdam mulieris quam antea viderat, specie illi ob oculos posita, vehementissimas libidinis faces in ejus corde excitasset, ipse horribili quodam mirando potius quam imitando cruciatu luxuriae fomitem extinxit. Nam aciculas ex calamo confectas sibi inter digitorum ungues infixit, magnoque lacerto ita manum punctim in lapidem

Digitized by Google

incussit, ut alte acuminibus penetrantibus, prae nimio dolore humi collapsus triduo exanimis jacuerit. Jacentem famulum piissimus Dominus non dereliquit, sed illi in visione apparens hisce suavissimis verbis est consolatus: *Fili mi surge, quia bene coepisti, bene perseverabis, et optime tuam consummabis vitam; quia vero tam viriliter contra tentationes dimicasti, de caetero non tentaberis.* Ubi primum hujusmodi visio cessavit expergefactus Joannes recreatum se, dolore vacuum, atque emendatis digitis omnino sanatum reperit.

Tres quotannis Quadragesimas observabat, nempe primam ab Ecclesia praescriptam, in cujus initio trium unciarum paniculum minutatim partiebatur, unamque duntaxat singulis diebus particulam sumebat usque ad diem Coenae Domini, quo quidquid supererat ita suis orationibus multiplicabat, ut omnibus fratribus (multi enim sanctitatis ipsius fama permoti ei se socios adjunxerant) abunde sufficeret; alteram ab octava Paschatis usque ad Pentecostem, in qua solo coelesti Eucharistiae pabulo reficiebatur; tertiam demum hiemali tempore, in qua paucis tantum fabis victitabat. Reliquo autem tempore nihil aliud quam panem, et aquam degustabat. Nec vero solo jejunio, verum etiam vestium asperitate, frigore, nuditate, lecti duritie, nec non cubitus incommoditate corpus divexabat. Nam duo sibi humi cubilia foderat, unum nempe acutis sudibus consitum, in quo se hinc, et inde revolvens fessa membra acerbissime dilacerabat; alterum verum ex una parte declivius, in quo sursum pedibus, capite autem deorsum positis, sic tandiu quotidie jacebat, donec bis centies *Pater, et Ave* recitasset. Verbi Divini humanitatem, Christique passionem vehementi cordis affectu me-

ditabatur, ac ubi in meditatione ejus divini amoris ignis exardescebat, benignissimus Jesus apparebat ei specie vel conversantis amici, quem ipse totus dulcedine perfusus peramanter amplectebatur, vel e Cruce pendentis, cujus cruenta vulnera piis sui ipsius lacrymis madefacta devotissime osculabatur.

Neque vero hisce tantum admodum praeclaris animi virtutibus Mantuanus noster praefulsit, sed insuper scientia infusa praeditus fuisse videtur, aliquando enim duobus jurisperitis acriter inter se litigantibus vir Dei litterarum prorsus ignarus solutionem quaestionis suppeditavit indigitans praeterea locum decretorum, ubi eadem solutio habebatur.

Praeterea miraculorum patratione, spiritu prophetiae, atque cordium perscrutatione admodum clarum fuisse constat. Quemdam e suis minus recte de Eucharistia sentientem, aquae in vinum conversione integrae fidei restituit. Alterum Instituti deserendi consilium iniisse absens ipse cognovit, atque ad eum retinendum, nudipes super prunas, atque inter flammarum volumina diu illaesus deambulans: *Talem gratiam*, inquit, *Deus his concedit, qui ei addicti in officio perseverant, ut nec ignis, nec quidpiam eis nocere queat.* Insuper torris quidam pineus ardens in terram ab ipso defixus mox revirescens pullulavit, strobilosque deinde protulit. Aliquando etiam effusissimos imbres sola oratione continuit, atque extemplo serenitatem coelo restituit. Mortuum quoque viduae mulieris filium post triduanas preces ad vitam revocavit, atque plurimos a Daemone obsessos liberavit, ipsumque spiritum nequam, illum spectris, verberationibus, lapidum jactu, aliisque terriculamentis exturbare conantem non semel si-

Digitized by Google

gno Crucis profligavit. Tandem Angeli monitu Mantuam reversus quammaximo omnium civium gaudio excipitur, ibique anno 1249. aet. 81. sanctissime obdormivit in Domino. Quamvis autem octo circiter annis ante generalem unionem ad Superos evolarit, dignus tamen mihi visus fuit ut hic cum aliis posterioribus recenseretur, quippe qui post acceptam Regulam, et habitum S. P. Augustini, plurima passim coenobia Augustiniani Instituti per Aemiliam, Umbriam, Insubriam, aliasque Italiae provincias aedificavit, fuitque pater, atque fundator celeberrimae Joanbonitarum Congregationis, quae cum caeteris in unum coaluit ad compingendum, atque coagmentandum, quod antea in diversa membra discerptum extabat, magnum Augustinianae Religionis corpus. Etiam post mortem multis miraculis claruit adeo ut Thaumaturgi nomen obtinere meruerit. Sepultus autem fuit Mantuae in templo S. Agnetis, ubi statim magna veneratione coli coepit. Festum ejus, atque Officium, quae jam antea ex indulto Sixti IV. celebrabantur, tandem Sacrorum Rituum Congregatio sub Clemente X. anno 1672. ad universum Augustinianum Ordinem extendit, ejusque nomen eodem anno in Romanum Martyrologium relatum fuit. Praeter scriptores nostrates mentionem faciunt de nostro Mantuano etiam Bzovius, Sabellicus, Usuardus, aliique externi.

Fr. Joannes de Carcassona

Joannes de Carcassona natione Gallus, patria Narbonensis eximius fuit sacrae Theologiae professor, atque

Digitized by Google

ut inquit Nicolaus Beltrandus de gestis Tolosanorum agens, *doctor profundae doctrinae, et divini verbi suo tempore praeco validissimus in civitate Tolosana, et Ecclesiae Dei utilissimus.* Multum etiam valuit divinarum Scripturarum scientia, atque ingens sibi nomen comparavit in Academiis cum Ordinis, tum externis. Floruit juxta Possevinum circa an. 1350. Ex nostris vide Herreram, Elssium, Gandolphum etc. ex aliis adeas allatos Beltrandum, et Possevinum. Scripsit autem: 1. *In Evangelia lib.* 4. 2. *Concionum ad populum lib.* 1. 3. *De vita solitaria lib.* 1. 4 *Epist. ad diversos lib.* 1.

B. Joannes Guccius de Incontris

Beatus Joannes Guccius Molli de Incontris Senis in Tuscia ex nobilissima hujus cognominis prosapia ortum habuit anno 1275. parentibus, patriae, atque Augustinianae Familiae magno utique ornamento futurus. Quindecim annos natus in feracissimo Sanctorum Ilicetano SS. Salvatoris coenobio prope Senas Augustinianum Ordinem est amplexatus, atque in ipsis religiosae palaestrae primordiis adeo se studiosum omnium illius coenobii austeritatum sectatorem exhibebat, ut etiam provectioribus fratribus exemplo esset, atque admirationi. Verum adolescens exilis valetudinis, domique molliter enutritus, atque delicatioribus dapibus assuetus, eremiticae vitae rigorem, ac potissimum escarum insulsitatem, atque atrum, acerosumque panem diutius ferre non valens, de Instituto deserendo serio cogitare coepit. Itaque ut erat juvenis ma-

Digitized by Google

gnae pietatis, clam ad templum accedit a Domino in genua provolutus veniam ac commeatum petere, exponens ei cum multis lacrymis suae desertionis causas, valetudinis scilicet exiguitatem, monasticae disciplinae nimiam asperitatem, ciborum insipientiam, ac praesertim coenobii panis nigredinem. Surgit inde flens largiter, atque aegro animo discedens, per pomarium septa monasterii transgreditur. At cum per silvam Senas versus iter faceret, obvium habuit Christum Dominum pastoris habitu indutum sic illum alloquentem: *Quo vadis Joannes?* Cui cum ille suae fugae causam enarrasset, illico pastor bonus cupiens aberrantem ovem ad salutis tramitem revocare, illi sinistri lateris cruentum vulnus ostendit, atque huc labia admovere jubet ut deinceps suavius ipsi pabula sapiant. Post haec repente ex ipsius oculis se subtraxit benignissimus Jesus e claritate corporis sui supernae lucis radios undique in Joannem interea immittens, quibus ille interius, exteriusque illustratus agnovit statim erratum suum, ac facti poenitentia ductus ad monasterium, unde abscesserat, sine mora regreditur. Praesulem adit, seque ad ipsius pedes humi provolvens uberrimis lacrymis veniam precatur, etiam atque etiam per viscera Christi obsecrans atque obtestans ut inter fratres iterum admittatur, pollicens se observantiori in posterum vitae ratione, commissi reatus maculam detersurum. Quamvis autem repulsam cum ingenti animi dolore accipere coactus fuerit, spem tamen omnem non abjecit, ac in Domino confidens, qui eum ad reditum invitaverat, per aliquot dies ad ostium monasterii tandiu permansit instans opportune, atque importune quoad iterum ad fratrum consortium tandem admissus fuerit. Exinde vero ut perpetratam cupediae cul-

Digitized by Google

pam emendaret, atque Domini praeceptum adimpleret, quo vulnerum suorum amaritudinem potius quam cupediorum suavitatem appetere jubebatur, adeo se jejuniis atque abstinentiae addixit, ut aliquando etiam integras hebdomadas solo Angelorum pane contentus transegerit. Quotiescumque autem aliquantulum pabuli ore sumebat, quantumvis illud insulsum esset atque insipidum, exquisitim tamen ipsi sapiebat, quippe quod sanguinis e terebrato Christi latere manantis jucundissima aspersione, juxta Ipsius monitum, mentaliter illud condiebat. Jejuniis, et abstinentiae alias etiam corporis castigationes adjiciebat, orationis assiduitate, silentii observantia, atque recessus amore maxime excellens. Adeo ab omni populi frequentia abhorrebat, ut propterea Beatis in Ilicetano coenobio defunctis, qui identidem multorum miraculorum patratione magnam finitimorum populorum multitudinem ad Ecclesiam monasterii advocabant, sacerdotalibus vestibus amictus coram cunctis fratribus omnino prohibuerit ne ulterius cuilibet quamcumque gratiam a Domino impetrarent. Quadraginta novem religiosae vitae annos in summa austeritate, puritate, animi demissione, fervore, ac pietate constanter traduxit. Tandem anno 1339. cum esset Iliceti Prior, sanctissime in osculo Domini obdormivit aetate ann. 64. evidentissima sanctitatis signa relinquens, inter quae istud etiam refertur, quod post mortem festive subridere visus fuit. Demortui funus, quamvis Ilicetum aliquot milliaria Senis distet, major civitatis pars odore ipsius sanctitatis illecta praesentia sua voluit honestare, summo gaudio praegestiens quod talem concivem apud superos regnantem haberet. Statim post obitum coepit tamquam Beatus a Fidelibus coli, ac centum post annos in

Digitized by Google

ejus honorem peculiaris Ecclesia aedificata fuit, ac deinde etiam parvulum sacellum exctructum in eodom loco, ubi dicitur Christus Dominus pastoris speciem gerens illi apparuisse, hujusce apparitionis effigie super altare depicta. Anno vero 1459. ipsemet Summus Pontifex Pius II. cum in sua Senensi patria degeret, die 4. Aprilis, ejusdem Beati emortuali, tota fere civitate, atque sex Cardinalibus comitantibus, uti refert noster Ambrosius Landuccius cum aliis, ad praefatum sacellum invisendum accessit, ex quo magis magisque in posterum aucta fuit erga ipsum populi veneratio. Corpus Iliceti conditum fuit. Laudatur a nostris, atque ab externis scriptoribus uti videre est apud Torellium.

B. Joannes de Lana.

Beatus Joannes de Lana Bononiae ex illustri hujus cognominis familia ortus, adhuc adolescens ut se e Mundi periculis eriperet, terrena omnia despiciens monasticum institutum inter Augustinianos in patria suscepit. Cum in Capitulo generali Senis in Tuscia habito anno 1295. felicissimi ingenii specimen dedisset, Parisios mittitur ut ibidem theologici stadii cursum compleret. Brevi ad tantam doctrinae famam pervenit, ut inter illius temporis viros eruditissimos ab omnibus haberetur. Baccalaurei gradu insignitus, in Parisiensi Universitate magno cum plausu, summaque eruditione Sententiarum Magistrum est interpretatus, atque doctissimis commentariis illustravit. Reversus in patriam, Bononiensi Conventui, ut ait B. Jordanus de Saxonia, multos annos laudabiliter, atque uti-

Digitized by Google

liter praefuit. Caeteris virtutibus abunde cumulatus, christiana mansuetudine potissimum praeeminebat. Cujus rei heroica prae se tulit exempla. Nam cum aliquando quidam vir stirpe quidem nobilis, moribus autem valde rudis, qui ab eo aliquid petierat, quod famulus Dei tuta conscientia concedere nequibat, ob repulsam acceptam ira excandescens valido lacerto alapam ei impegisset, ipse nedum praeceptum Domini sequens vindictae fomitem extinxit, verum etiam consilio morem gerens percutienti in genua provolutus alteram item percutiendam maxillam praebuit. Hoc ipsum refert oculatus testis B. Jordanus de Saxonia, qui tunc temporis Bononiae studiorum causa degebat. Narrat etiam laudatus integerrimus testis, quod aliquando venerabilis P. Prior a quodam perduelli coenobita gravibus contumeliis atque calumniis coram fratribus lacessitus, quamvis justissimae defensionis copiam haberet, nihilominus *factus fuerit sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones*. Subdit idem B. Jordanus: *Fuit vir hic tam praeclarae famae et tam sincerae fidei et tam sanctae conversationis, ut nonnulli saecularium fidem suam nomine ejus adstruerent jurantes per fratrem Joannem de Lana.*

Fuit etiam adeo humilitati addictus, omnique humanae gloriae amore vacuus, ut a caeteris tantopere concupitam, ob amplissimorum eidem adnexum honorum cumulum, Parisiensem doctoralem infulam a se rite promeritam ultro recusare non dubitarit, *contentus* (verba sunt saepius laudati B. Jordani) *in statu humiliori Deo, et Ordini utiliter deservire, magis quam in sublimiori statu titulo honoris efferri.*

Tandem multorum dierum, ac meritorum plenus magna, ut ait Elssius, animi exultatione ex hac vita ad

Digitized by Google

Coelum migravit, juxta Torellium, anno 1350. aetatis suae 93. Celebratur ab omnibus Ordinis historicis et ab externis compluribus, ac praesertim a Possevino, et ab iis qui de rebus Bononiensibus scripserunt. Reliquit ingenii sui monumenta: I. *Quaestiones de anima humana, in quibus multa explicantur utilia, et rara, quae non ita facile apud alios antea reperiebantur.* 2. *Quaestiones in libros Phisicorum.* 3. *Quaestiones extraordinarias.* 4. *Commentaria in quatuor libros Sententiarum.* 5. *Quodlibeta duo Parisiis disputata, et alia quaedam.*

Fr. Joannes Magirus, alias Dencok.

Joannes Magirus seu Dencok Saxo-Thuringius sacrae Theologiae magister insignis, atque *gloriosus Doctor* appellatus, vir fuit ingenio, atque doctrina theologica tum dogmatica, tum morali, nedum in sua Saxonia, verum etiam in tota Germania sua aetate omnium praestantissimus. Multas praeclaras civitates, atque Academias, praesertim vero Oxoniensem et Pragensem sapientiae suae radiis illustravit, ubique raro mentis acumine, disceptandi subtilitate, difficillimas quaestiones solvendi dexteritate, morum dulcedine, inculpataeque vitae exemplo omnium in se admirationem convertens. Hujus Joannis gratia dum Pragensi Academiae praeesset, Boleslaus et Jutta liberi Bohemiae Barones, qui illum maxima benevolentia, atque existimatione prosequebantur, apud Suambergam coenobium S. Mariae Ordini nostro erexerunt anno 1342. Naturae debitum persolvit Pragae (in qua civitate prae-

Digitized by Google

cipuos honores assecutus fuerat) anno 1352. Memorant cum laude Magirum nostrum omnes nostrates, quibus accedunt Trithemius, Possevinus, Marraccius, Frisius, Petrus de Alva, aliique. Sed prae caeteris audiatur noster Schiphovverus, qui pag. 162. Chron. Oldemburgensium de praeclarissimo sodali haec habet: *Quartus fuit Joannes Dencok de conventu Hervordiensi, qui totus fuit catholicus, et veritatis zelator. Hic ob veritatis defensionem, ac falsitatis impugnationem multa perpessus est in civitate Magdeburgensi. Tandem adinstar Apostoli Pauli per murum submissus evasit manus invidentium in nomine Domini, prout testatur in Epistola Joanni XII. directa in Decadicon libello suo. Quis eo clarius praedicatoribus et utilius Evangelium Matthaei, et Actus Apostolorum explanarit, penitus ignoro. Magistraliter etiam Sententiarum libros duplici in stilo, literali videlicet, et quaestionali in scriptis dimisit legendos. Quodlibeta etiam varia, Juris totius canonum, legumque Doctor scripto reperitur compilasse. Nec post eum credo talem Augustinum habuisse filium in dictis Patris ita tritum et perfectum, quia et Sententiarum Magistrum suis in allegatis quam saepius probat in allegando errasse.*

Ea autem quae litteris mandavit, sunt: 1. *Solemnis expositio super quatuor libros Sententiarum.* 2. *Tractatus unicus contra quemdam Adelbertum impugnatorem solemnitatis Visitationis Beatissimae Virginis* 3. *Super quatuor libros Sententiarum alia Commentaria.* 4. *De peccato originali tractatus unus, in quo probat B. Virginem nunquam contraxisse originalem maculam.* 5. *Quaestiones variarum positionum Pragae disputatae.* 6. *Sermonum de tempore, et de Sanctis lib.* 2. 8. *Epist. lib.* 1. 9. *Historia suae patriae, et alia plura.*

Digitized by Google

B. Joannes de Reate.

Beatus Joannes ob diuturnum in eadem civitate incolatum de Reate nuncupatus, B. Luciae Amerinae virginis sanctimonialis Ordinis nostri germanus frater, ortum habuit in oppido Porchiani Amerinae Dioecesis ex illustri domo de Bufalariis. Adolescens vitae innocentia, morum integritate Angelo, quam homini similior Augustinianum habitum in coenobio Amerino suscepit. Solemni professione emissa Reatem mittitur, ibique omnium virtutum splendore usque ad obitum mirifice coruscavit. Juvenis erat in primis simplex, rectus, ac timens Deum, humilis, semperque vultu jucundus, palam in cibo, potu, conversatione haud caeteris impar, clam autem in corporis afflictatione singularis. Totam quotidie fere noctem insomnem orando ac coelestia meditando transigebat, neque aliud praeter Deum, resque divinas jugiter mente versabat. Quadam die e coenobii viridario lacrymis madidus egrediens, sciscitanti fratri qua de causa tantam lacrymarum copiam fudisset: *Qui possum lacrymas cohibere,* respondit, *cum videam arbores, herbas, volucres, terramque suo quaeque modulo Deo obtemperare, homines vero quibus et mens est et ratio, atque pro observantia perpetua felicitas promittitur, Domini Creatoris sui suavissima praecepta execrabili neglectu contemnere?* Caritatis erga proximum custos solertissimus nullum unquam aut verbum protulit, aut factum patravit, quod aliquam alteri vel etiam levissimam injuriam posset afferre, omnibus obsequiosus, ac praesertim infirmis et hospitibus, quibus etiam et pedes lavare, et indumenta purgare, omnemque aliam, quacumque indiguis-

Digitized by Google

sent, operam exhibere in deliciis habebat. Dominicae Passionis contemplator assiduus ipsum Christum Dominum patientem, voluntariis, iisque exquisitis sibi illatis suppliciis jugiter imitari sategit. Deiparam Virginem ferventissima prosequebatur devotione, amplissimaque religione venerabatur, in eamque tamquam in fulgidissimum omnium virtutum speculum defixos mentis oculos jugiter tenens, ejus potissimum humilitatem, puritatem, atque obedientiam omni studio sectari contendebat, ut tantae Matris dignus filius haberi mereretur. Quoniam autem benignissimus Deus quandoque solet electos suos cito eripere de medio hujus Mundi iniquitatum, ne malitia mutet intellectum ipsorum, sic electissimum Joannem ante exactam adolescentiam ad se rapere properavit. Antequam tamen angelicum juvenem supremis aeternae felicitatis gaudiis in coelesti patria expleret, maluit illum adhuc in terris hanc mortalem vitam degentem aliquantula supernarum deliciarum praegustatione recreari. Nam per sex ante obitum menses, tamquam alterum Nicolaum Tolentinatem, suavissimus Angelorum concentus singulis noctibus Joannem nostrum ad Coelitum gloriam laetissime invitabat, atque circa postremi mensis terminum, philomela quotidie ad fenestram cubiculi ipsius praeter morem dulciter canebat; quod fratribus mirantibus, ac quidnam istud rei esset invicem rogantibus, ipse sponsam suam esse ad Paradisum eum invitantem, quasi per jocum subridendo respondit. Et revera paulo post dum quadam die Sacerdoti Sacrum facienti perquam devotissime deserviret, quod erat ei frequens munus maxime acceptum, in ipso medio Sacro apparuit illi Beatissima Virgo fulgidissima luce circumfusa, eique proximae mortis nuncium dedit. Itaque eadem die

Digitized by Google

in lethalem morbum incidit; quare Sacramentorum munimine rite roboratus, levis quidem diebus, at meritis tamen onustus, inter fratrum suorum preces, et lacrymas Reate purissimam animam Deo reddidit anno 1347. Statim ab obitu plurimis coruscare coepit miraculis, quae teste B. Jordano de Saxonia, qui horum miraculorum fama permotus ad ipsius corpus invisendum Reatem se contulerat, uno anno minus, ad 150. numerum excreverunt. Quamobrem ab immemorabili religiosum cultum Fideles illi praestarunt, quem rite probatum Gregorius XVI. auctoritate Apostolica confirmavit, eumque Beatorum catalogo adscripsit.

Fr. Joannes Sassus.

Joannes Sassus Romanus, vir magna virtute, et sanctitate clarus interfuit Concilio Anagniae a Joanne Cajetano de Ursinis Pontificio Legato, contra mala tunc temporis ingruentia congregato, et exorto schismate sub Ludovico Bavaro circa annum 1328. pro Ecclesia Dei viriliter laboravit. Cum esset Romanae Provinciae Praefectus, et in Romano S. Tryphonis coenobio; ejus hortatibus et decretis, Prior et illi subiecti Sacerdotes legem interdicti violare constantissime renuerunt. Is tunc Ecclesiae, Urbis, sacrarumque rerum calamitatem deploravit, et mandavit ut secunda, tertia, et sexta feria in Missa conventuali immediate post Introitum cantarentur solemniter Litaniae; et fratribus Pontificem, et statum Ecclesiae commendavit. Ex Joannis scriptis, his verbis in historia manuscrip-

Digitized by Google

ta XX. saeculorum rem memoria dignam enarrat Card. Aegidius Viterbiensis. *Scribit* (ait Aegidius de Joanne) *sub Capitolio locum fuisse, ubi leones ad Urbis ornamentum alerentur, affixus hoc loco S. Tryphonis Praeses alta de trabe pendebat, ut paulatim descenderet donec propior leonibus redderetur. Insiliebant praedae avidi leones, pendulas vestis lacinias rapiebant; hominis fortitudinem, constantiam cum resciisset Pontifex, Ordini meo nihil non concessit, quippe quod Italia rebellante, deficiente Urbe, desciscente Clero, unus Eremitarum Ordo et in fide perstaret, et Pontificis decreta, Danielis more, in ipsis leonis faucibus observaret.* Haec omnia ad verbum exscripta sunt ex Elssio. Profecto ex allata praefati Joannis narratione dignoscitur cur Sanctissimus Dominus Joannes XXII. tantopere erga Augustinianos benevolum se ostenderit, atque tam multa in ipsos beneficia contulerit, ut videre licet apud Torellium, aliosque nostrates scriptores.

B. Joannes de Viterbio.

Beatus Joannes circa annum 1230. primas vitales auras carpsit apud praeclaram Viterbiensem civitatem, quae inter Augustinianos annales peculiarem quemdam locum obtinet, tum quia perinsigne ibidem habemus SS. Liberatricis sanctuarium, tum quia indidem ad Eremum nostram pariter venerunt valde praestantissimi viri B. Jacobus Capoccius, et Emus Aegidius Canisius, qui ambo doctrina atque pietate nedum Augustinianum Ordinem, verum etiam totam Ecclesiam tantopere illustrarunt. Itaque

Digitized by Google

Joannes noster cui divina gratia praeveniens terrena cuncta amaritudinis felle aspergebat ut illum ad coelestia solum appetenda victrici delectatione pertraheret, viginti circiter annos natus Dei vocationi obsequens se e procelloso hujus Mundi salo proripuit, atque ad fidissimam Augustinianae Eremi stationem in Viterbiensi coenobio se recepit circa annum 1250, sex nimirum annis ante generalem Ordinis unionem. Quamobrem Augustinianam tunicam indutus nihil unquam antiquius habuit, quam ut monasticae professioni congruam vitae rationem jugiter sectaretur; ac proinde juxta monitum Pauli, *quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae*, haec constantissime per longaevum octoginta annorum spatium omni studio perficere sategit, adeo ut B. Jordanus de Saxonia ipsi coaevus de illo affirmare potuerit: *Fr. Joannes de Viterbio ultra centum annorum senex, qui circiter octoginta annis irreprehensibiliter vixerat.* Potissima tamen ipsius praerogativa videtur fuisse religiosa obedientia, quae profecto est parens quaedam atque origo caeterarum virtutum; nam qui hominibus propter Deum obedire non renuit, is procul dubio multo facilius ipsius Dei mandatis obtemperabit, in quo certe omnis perfectionis initium atque fundamentum consistit. Hanc obedientiam autem praecipuam fuisse nostri B. Joannis virtutem innuere videtur praefatus B. Joannes de Saxonia, qui eidem morienti adstitit, in lib 2. de Vitis fratrum dicens: *Cum ageret in extremis, interrogatus a fratribus, me praesente, quod eis verbum salutare pro testamento relinqueret, respondit: Obedientiam.* Accidit autem ipsius beata mors anno 1330 juxta Herreram quem sequitur etiam

Digitized by Google

Torellius. Vide istos, laudatum B. Jordanum, Elssium, aliosque nostrates.

Fr. Joannes Wiltonus Anglus.

Joannes Wiltonus Senior, ut scribit Pitsaeus in suis *Scriptoribus Anglis, elegit, in tranquillum Religionis portum sibi navigandum judicans, S. Augustini Regulam, probe sciens in domiciliis illius professionis simul semper cohabitare vitae sanctitatem, et omnis generis meliorem doctrinam.* Is acceptum a natura praeclarum ingenium magis magisque excolendo perfecit. Nam studiis sedulo incumbens ineuntem aetatem in litteris addiscendis totam jugiter egit. Postquam autem cucullum Augustinianum induit, majori quam antea alacritate sublimiores disciplinas sectari coepit. Emensus itaque in patriis coenobiis philosophici atque theologici stadii curriculum, Parisios se contulit, ibique tum sacrae Theologiae magistralem lauream adeptus, tum eamdem scientiam laudabiliter professus fuit. In Angliam reversus haud minori laude in Oxoniensi Athenaeo idem munus exercuit. Utrobique, ut iisdem fere verbis notant nostrates Gandolphus, et Elssius, doctis concionibus, eruditis lectionibus, acutis, et subtilibus disputationibus immortale nomen apud omnes sibi comparavit. Quapropter a celeberrimo Joanne Bacone Carmelita in suis super primum, et secundum Sententiarum commentariis non semel cum honore nominatur. Fatis cessit Oxonii circa annum 1310. Laudant Wiltonum nostrum cuncti nostrates, atque de externis Balaeus, Pitsaeus, Frisius, aliique. Magis tamen

quam hominum testimonia commendant illum egregia opera ab ipso exarata, quae nimirum sunt: 1. *Sermonum de Sanctis lib.* 1. 2. *Sermonum Quadrag. lib.* 1. 3. *Sermonum aestivalium lib.* 1. 4. *Sermonum hiemalium lib.* 1. 5. *Quaestiones, et lecturae, lib.* 1. 6. *In Magistrum Sententiarum lib.* 4. 7. *Determinationes in Theologiam, lib.* 1. 8. *In Priora Aristotelis lib.* 2. 9. *In Posteriora ejusdem lib.* 2. 10. *In ejusdem Ethicam lib.* 10. *et alia.*

B. Lanfrancus Septala.

Beatus Lanfrancus primus post magnam unionem totius Augustiniani Ordinis Generalis, ortum habuit Mediolani ex nobilissima familia Septala. Adhuc puer ob singulare pietatis studium, aliarumque virtutum praestantiam omnibus se spectandum exhibebat. Ubi primum ei per aetatem licuit, parentibus nequicquam refragantibus, monasticam vitam sequi deliberavit. Quare specie quidem ut litteris vacaret, reipsa tamen ut clam parentes cogitatum suum de religioso instituto amplectendo perficere posset, Bononiam se contulit fama permotus perinsignis Augustinianae Congregationis, quam paulo ante B. Joannes Bonus Mantuanus in Aemilia fundaverat. Itaque ibidem incredibili animi voluptate in coenobio SS. Jacobi, et Philippi ad Savenam penes praefatam Congregationem Augustinianum habitum suscepit, quem postea prae nimia amoris vehementia jugiter osculari non desinebat. Post probationis tempus pie santeque transactum, quippe qui optimo ingenio praeditus erat, Superiorum jussu sacrarum litterarum

Digitized by Google

studio addictus in eo tantum profecit, ut brevi egregius verbi Dei praeco evaserit, ac traditum sibi susceptumque concionandi munus cum ingenti animarum lucro adimpleverit. Jam pluries Bononiensis coenobii Prioratu optime gesto perfunctus, anno 1252. in Capitulo generali suae Congregationis jussu Innocentii IV. sub Praeside Emo Card. Nepote Guilelmo Flisco, in praefato Bononiensi conventu celebrato, Supremus totius Congregationis Antistes eligitur. Anno vero 1256. cum Alexander IV. cunctis singularum Superioribus Romam in coenobium S. Mariae de Populo convocatis, omnes totius Orbis, Augustiniani nominis Congregationes in unum Eremitarum S. P. Augustini Ordinem, opera Emi Card. Richardi a S. Angelo colligendas statuisset, non alium laudatus Emus Princeps universo Ordini quam Lanfrancum praeficiendum existimavit. Itaque Lanfrancus Supremus totius Ordinis Moderator inauguratus nil antiquius habuit, quam ut decretum unionis executioni mandaret, missisque propterea in Galliam, Germaniam, Angliam, Hispaniam, aliasque Europae provincias eximiis prudentia, atque pietate viris, eosque inter nonnullis etiam miraculorum patratione praefulgentibus, qui illarum regionum jam extantia coenobia nuper unito Ordini aggregarent, aliaque de novo excitarent, statutam unionem feliciter consummavit, atque Augustinianam Familiam octo quibus rexit annis mirifice propagavit. Tandem Mediolani anno 1264. naturae concessit non sine magna opinione sanctitatis, fuitque in templo nostro S. Marci honorifice sepultus, ac statim imaginibus, ac titulo beati honoratus. Vide scriptores Ordinis.

Digitized by Google

B. Ludolphus de Camoslaria.

Beatus Ludolphus de Camoslaria in Saxonia natus, postquam Augustinianum Ordinem est amplexatus, mirum in modum in litteris, atque virtutibus profecit. Lectoris gradum, atque officium assecutus multo tempore non modo scientias, verum etiam religiosam perfectionem exemplo magis, quam verbis Augustinianos alumnos edocuit. Eremitani Ordinis amantissimus multa in eum, praesertim monasteria exaedificando, librosque comparando, beneficia contulit. Orationi addictissimus multas in ea frequentanda quotidie horas insumebat, adeo ut fama sit illum orando magis quam studendo scientias didicisse. Missam quotidie tanto devotionis affectu celebrabat, ut admirationi esset et Angelis, et hominibus, omnesque adstantes ad pietatem alliceret. Cum aliquando in nocte Nativitatis Dominicae magno spiritus fervore Sacrum faceret, atque Hostiae particulam ad *pax Domini*, uti mos est, in calicem mitteret, vidit de sub labio calicis intrinsecus quasdam guttas limpidas erumpentes ad Sanguinem Domini defluere, ibique commisceri. Quo viso vehementer obstupuit, ac quidnam hoc esset inquirens meminit scriptum esse: *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*. Quare divinae gratiae totum attribuens Missam est prosecutus, ac Sacramentum mystica manatione perfusum vehementiori caritate potavit, Deoque pro tali dignatione dulcissimas lacrymas effundens debitas grates rependit. *Hoc factum*, (subdit B. Jordanus, cujus fere omnia sunt allata verba) *mihi familiarissimo postmodum secreta collatione manifesta-*

Digitized by Google

vit. Magnae prudentiae, atque sanctae conversationis laude cum floreret, Germanicae provinciae praeficitur, quo in munere regularis observantiae tenacissimum, atque in delinquentibus corripiendis severum se ostendit. Tandem meritorum suorum coronam percepturus ex hac ad meliorem vitam migravit anno 1325. Adeas Augustinianos auctores.

Fr. Matthaeus Patavinus.

Matthaeus Patavinus insignis Theologus Parisiensis ob doctrinae amplitudinem, atque eloquentiae praestantiam inter viros suae aetatis conspicuos merito recensetur. Praeclaris hisce, aliisque mentis, animique virtutibus ornatus praefulgens magnam iniit gratiam, atque auctoritatem apud Supremum Ecclesiae Hierarcham Clementem VI. qui illum nedum acceptissimum habuit, verum etiam tum a consiliis, tum a secretis conscientiae adhibuit. Ab eodem SS. Domino talem Matthaeus noster obtinuit honorem, qualem forsitan nemo unquam alius ab alio Pontifice obtinere potuit. Nam Suae Sanctitatis jussu coram se, atque Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, totaque Aula Pontificia, Romae, ut vult Bernardinus Scardeonus in suo lib. 2. de antiquitatibus Patavinis, aut potius Avenione, prout verius conjicit Torellius, solemni pompa ab Episcopo Novariensi theologici Magisterii insignibus decoratus fuit, multisque insuper privilegiis cumulatus. Reliquit posteris illustria quaedam sui excellentis ingenii monumenta, nempe sermones plures

Digitized by Google

multa eruditione refertos, qui olim in nostra bibliotheca Veronensi servabantur. Florebat circa an. 1348. Vide Torellium, Elssium, aliosque nostrates scriptores, nec non praefatum Scardeonum.

Fr. Michael de Massa.

Michael Hetruscus, a loco nativitatis, oppido Senensis ditionis in maritima regione sito, de Massa nuncupatus, vir fuit peracuti ingenii, multae lectionis, atque amplissimae tum sacrae, tum profanae eruditionis, adeo ut sua aetate inter caeteros doctrina praestantes, perpaucos sibi pares habuerit. In Theologia, ac praesertim morali singularis fuit, in concionibus disertissimus, in Scripturis autem potissimum quam qui maxime versatus. Multa, eaque egregia, atque Christianae Reipublicae perutilia opera exaravit, in quibus non solum admodum doctum, verum etiam valde pium, atque solertissimum mysteriorum Dei contemplatorem seipsum ostendit. Tam praeclara mentis Michaelis adhuc juvenis molimina, majora cunctis de ipso portendebant, cum immatura mors pretiosae ipsius vitae stamen obtruncando, spem omnium elusit. Obiit Parisiis adhuc sacrae Theologiae Baccalaureus anno 1337. fuitque penes nostrates honorifice sepultus. Celebratur a Sabellico, Sixto Senensi, Possevino, Trithemio, Gesnero, Frisio, Ugurgerio, aliisque externis, nec non ab omnibus Augustinianis scriptoribus. Scripta quae edidit haec sunt: 1. *In primum Sententiarum, volumen magnum.* 2. *In* 1. 2. *et* 3. *Sentent. lib tres.* 3. *Commentaria*

Digitized by Google

in omnes libros veteris Testamenti. 4. Comment. in quatuor Evangelistas lib. 4. 5. De Passione Domini. 6. De quatuor virtutibus cardinalibus lib. 2. 7. De tribus virtutibus divinis lib. 1. 8. De meritis, et efficacia bonorum operum lib. 1. 9. De vita Christi lib. 1. 10. Sermones varii. 11. Notabilia, ac quaestiones, et alia plurima.

B. Nicolaus Brunus de Messana.

Beatus Nicolaus Brunus de Messana, Prior Conventus Panormitani, sacrae Theologiae Magister, vir scientia ac pietate venerabilis, promotor fuit praecellentis erga Deiparam devotionis sub titulo de Succursu. Nam cum ipse aliquando saevissimis quibusdam doloribus, quos omni medicae artis remedio adhibito nullimode a se depellere poterat, ad extremum pene vitae agonem adigeretur, nec ulla ei amplius sanationis spes alibi quam in Coelitum praesidio suppetere videretur; idcirco homo Beatissimae Virgini devotissimus, ad validissimum ipsius patrocinium plenus fiducia confugit, totis praecordiorum visceribus clementissimam Matrem deprecans, ut sibi in talibus angustiis constituto, levamento esse dignaretur. Annuit supplicantis votis piissima afflictorum Consolatrix; quare cum quadam nocte Nicolaus suae aegritudinis oblitus aliquantula requie animi molestiam leniret, apparuit illi benignissima Virgo talem modorum, vestiumque formam gerens, qualem quaedam ipsius imago in Ecclesia illius coenobii super altare S. Martini sita referebat, eique praecepit, ut ipsam sub titulo B. Virginis de Succur-

Digitized by Google

su deinceps in suis necessitatibus invocaret, hujuscemodi invocatione tum sui ipsius incolumitatem, tum illius auxilium procul dubio impetraturus. Post haec illico e somno evigilans pius coenobita reperit se omni omnino dolore vacuum; quapropter tum de accepto beneficio, tum de promisso patrocinio quammaxime laetus coepit ardentiori grati animi affectu munificentissimae Dominae debitas gratias referre, atque collatum sibi ab illa jucundissimum incolumitatis bonum, datamque sub praefatae devotionis arrha potentissimae suae protectionis fidem publice e suggestu, erat enim valde insignis concionator, Panormitano populo enunciare. Quamobrem suis concionibus devota plebs commota statim praedictam imaginem titulo de Succursu veneratura in Augustinianorum templum turmatim confluere coepit, atque exinde paulatim hujuscemodi Beatissimae Virginis invocatio, novis quotidie per eamdem imaginem succedentibus signis, longe lateque propagata fuit. Florebat peculiari vitae sanctitate Nicolaus noster circa annum 1306. Vide Rochum Pyrrum qui scripsit de Ecclesiis Siciliae, nec non nostrates Torellium, et Elssium.

S. Nicolaus Tolentinas.

Nicolaus ob diuturnum Tolentini incolatum Tolentinas appellatus, in oppido S. Angeli in Pontano Picenae provinciae circa an. 1245. ex honestis, piisque parentibus Compagnone, et Amata ortum habuit. Quoniam autem lectissimus puer magnus in Ecclesia thaumaturgus futurus erat, ita ipsamet ejus nativitas tum miraculum, tum

Digitized by Google

miraculorum portentum fuit. Nam cum pii parentes diu liberis caruissent, Barium se ad D. Nicolaum perrecturos voverunt, ut sanctissimi Praesulis intercessione peroptatam prolem a Deo impetrarent. Quo voto vix nuncupato, Angelus Domini apparuit illis in somnis promittens eis, ipsos filium suscepturos, eumque magnum coram Deo, et hominibus futurum, suarumque virtutum splendore universam Ecclesiam illustraturum. Hoc visu in spem erecti sine mora itineri se commiserunt Apuliam versus sancti conjuges, atque ubi Barium ad Aram Myrensis Antistitis pervenerunt, Deo sic disponente, ambo obdormierunt, eisque obdormientibus apparens item D. Nicolaus idipsum, quod antea Angelus, de futura prole vaticinatur. Itaque hoc duplici oraculo confirmati domum se gaudentes contulerunt, ac suo tempore admirabilem illum infantem susceperunt, qui futurus erat gaudium universae terrae, atque a nomine Intercessoris Nicolaum illum appellarunt. Iste puer dilectus Deo, et hominibus grandiusculus effectus, primum patriae Canonicus creatur, deinde eximii cujusdam Augustinensis praedicatoris concionibus excitatus, ibidem Augustinianum habitum induit, Eremitarum Ordinem signis, ac virtutibus multifariam decoraturus. In ipso tirocinio omnigenae perfectionis fulgore coruscare coepit, adeò ut ipsis provectioribus religiosis admirationi fuerit, atque exemplo. Nemo illo erat puritatis servandae studiosior, nemo orationibus addictior, nemo corporalium castigationum cupidior, nemo magis a Mundi illecebris alienus, nemo modestior, nemo humilior, nemo in Dei, proximique amore ferventior, nemo tandem religiosorum votorum observantior, nemo perfectior, nemo sanctior. Excellens ipsius

Digitized by Google

cordis mundities, vitaeque innocentia singularis hoc illi praeclarissimum privilegium comparavit, ut nempe palam contueri meruerit in Eucharistia Infantem Jesum dicentem sibi: *Innocentes, et recti adhaeserunt mihi.* Fulgidissimum hoc Augustinianae Religionis lumen primis suae professionis annis, suo incolatu varia coenobia illustravit, nempe Maceratense, S. Ginesii, Cingulanum, ubi a S. Benvenuto Sacerdos inauguratus fuit, Vallis-Manentis prope Pisaurum, in quo innumeram animarum turbam e Purgatorii poenis liberavit, Firmanum demum, atque Recinetense. Cum quidam ejus consobrinus ditissimi cujusdam monasterii prope Firmum Praefectus, suadente utique diabolo, ut sanctissimum juvenem ab inito heroicae perfectionis tramite deterreret, videns Nicolaum magis magisque in dies inedia extenuari, nimiaque vitae austeritate debilitari, illum hortaretur, ut relicto Augustiniano Instituto secum opulentia sui monasterii fruiturus permaneret, ipse continuo in consobrini hortamentis, insidiantis Satanae vafritiem suspicatus, ad Ecclesiam ejusdem monasterii consilium a Patre luminum petiturus accessit, ibique inter orandum apparuerunt ei viginti juvenes induti vestibus albis, fulgidissimoque splendore circumfusi, qui in binos choros distributi semel, iterum, ac tertio clamarunt: *Tolentini, Tolentini, Tolentini erit finis tuus. In ea vocatione, qua vocatus es, permaneas, in ea namque erit salus tua.* Hac mirabili visione vir Dei admonitus, illico consobrini blandimenta rejecit, atque Tolentinum se contulit, ubi triginta circiter annos coelestem potius, quam humanam vitam agens, Angelis gaudio, daemonibus formidini, aegrotis saluti, cunctisque illius ope indigentibus patrocinio fuit. Is autem ferme fuit perpe-

Digitized by Google

tuus ipsius vitae tenor: quotidie summo mane, praemissa semper sacramentali confessione, ferventissimo aestuans divinae caritatis ardore Sacrum faciebat, ac deinde totus in gratiarum actiones effusus cum divino sui pectoris Hospite ad multam horam jucundissime conversabatur; reliquum autem diei tempus vel aliis orationibus ingeminandis, vel Fidelium confessionibus excipiendis, vel verbo Dei enunciando, vel aegrotis visitandis, vel aliis piis operibus exercendis, jugiter transigebat. Mirum est quanto erga miseros beneficentiae amore afficeretur. Cum quidam vir gravatus aere alieno, solvendo impar, in vincula propterea conjectus fuisset, Nicolaus stipem ostiatim captando tantum pecuniae collegit, quantum illum e carcere redimendo sufficere potuit. Vitae mortificationi assidue intentus asperrimo cilicio virginea membra excruciabat, interea ipsummet quoque cilicium ferreo cingulo ad nudam carnem arctius constringens, aculeatisque flagris usque ad multam sanguinis effusionem innocens corpus dilacerans. Adeo jejunii, atque abstinentiae rigidus fuit observator, ut quatuor hebdomadae diebus pane duntaxat, et aqua vitam sustentaret, reliquis autem stomacho esurienti herbarum tantum, atque leguminum pabulum praebens. Neque unquam, etiamsi gravi aliqua infirmitate detineretur, adduci potuit ut carnibus vesceretur; quare ad vescendum sola obedientiae vi aliquando adstrictus, binas perdices assas, quae ipsi aegrotanti allatae fuerant, vix ad Superioris praeceptum adimplendum praegustatas, signo Crucis redivivas effecit; quae statim, novo prodigio, receptis alis, per fenestram avolarunt. O utinam hoc praeclarissimo exemplo a cupedia diebus saltem vetitis temperarent delicatiores quidam homines, qui Evangelicum

Digitized by Google

illud monitum non intelligentes: *Qui amat animam suam, perdet eam*, levissimae cuicumque, vel etiam fictitiae infirmitati curandae, nimia credulitate, prodesse putant quod delectat! Heu miseris, quia incomparabile animae bonum offae postponunt!

Invidebat autem quammaxime tantae eximii viri sanctitati infensissimus humani generis hostis cacodaemon; quapropter jugiter vel cruentis verberationibus inflictis, vel terrificis excitatis rumoribus, vel variarum ferarum simulacris exhibitis, vel minacibus nocturnis spectris ostensis, vel aliis tandem id genus terriculamentis effictis, ab orationibus frequentandis illum exturbare conabatur. At vir sanctus fortiter indutus armaturam Dei, ac firmiter consistens super firmam petram justitiae suae, per validissimum scutum fidei omnia iniquissimi Satanae tentamina elusit. Immo quo magis spiritus nequam sanctissimum coenobitam divexare contendebat, eo amplius vel invitus ipsius sanctitatem exaltabat. Nam cum aliquando, dum Nicolaus in oratione Dei pernoctaret, lampadam, quae in oratorio collucebat, in ipsum impactam confregisset, novus Job nil penitus motus, impavide vitrea fragmenta, ut potuit, in tenebris palpando collegit. Sed mirum! Extemplo triplici miraculo lampas in manibus ipsius integra apparuit, oleoque instructa, et accensa. Quamobrem furore simul ac rubore percitus Satan, speque frustratus, atque devictus, victori Nicolao cito terga vertit, et aufugit. Cum autem solertissimus poenitentiae sectator nimia jejuniorum austeritate, caeterisque asperioribus corporis castigationibus valetudinis vigorem sibi quamplurimum imminuisset, atque in dies magis magisque viribus deficientibus, graviter cum vitae discrimine aegrotare

Digitized by Google

coepisset, nec tamen susceptum vitae rigorem temperare vellet, neque medicorum praesidium quaerere, sed omnem salutis suae spem in uno tantummodo Deiparae auxilio reponeret, propitia adfuit illi benignissima Virgo praecipiens ei, ut frustulum panis aqua intinctum comederet, hoc pabulo potius, quam quovis alio medicamine utique roborandus, pristinaeque incolumitati restituendus. Continúo Virginis jussa explevit devotissimus Nicolaus, ac statim refectis, reparatisque viribus convaluit. Atque exhinc incoepit celebris paniculorum D. Nicolai benedictio, ex quibus tanta bonorum copia omni tempore in Christifideles dimanavit. Verum nimis longum esset, omnia et singula recensere miracula, quibus munificentissimus Deus servum suum Nicolaum, dum adhuc hanc mortalem vitam degebat, illustravit; quapropter hisce missis, perpauca tantum afferemus ex iis, quae vel prope ipsius vitae terminum, vel post beatissimam mortem, ejus opera contigerunt. Itaque in primis coelestis, ut ita dicam, vir Nicolaus per aliquot ante obitum menses, superna jam gaudia praegustans, Angelorum suavissimum concentum singulis noctibus audiendo, ineffabili dulcedine totus perfundebatur, ut sic quodammodo ad perfectam, atque plenissimam voluptatem in beatissima aeternitatis mansione perfruendam aptior fieret, atque paratior. Praeterea quadam nocte dum in medio rerum omnium silentio Nicolaus super stratum suum fracta lassitudine membra necessario somno reficeret, ostendit illi per visum Dominus fulgidissimum sidus insolito splendore coruscans, quod e regione S. Angeli exurgens, suo ductu omnigenarum gentium multitudinem post se trhaens, Tolentinum versus triumphali cursu laetum procedebat, donec tandem sublime

Digitized by Google

in aere consisteret supra coenobium, in quo ipse degebat. Idipsum cum pluries expertus fuisset, quorsumnam mirabile visum spectaret, a quodam eximiae probitatis religioso sciscitatus, incunctanter ab illo Dei utique afflatu loquente didicit: sidus illud suam ipsius splendidissimam sanctitatem indigitare, ac propterea in posterum futurum, ut omnes gentes suorum miraculorum gloria, ac magnitudine adductae veniant ex omnibus Mundi plagis eumdem locum venerari, in quo sanctissima ipsius ossa quiescent. En ipsissima fratris vaticinantis verba a B. Jordano de Saxonia allata: *Revera hoc sidus praesagium est sanctitatis tuae, et ubi sidus explevit suum motum, ibidem locabitur corpus tuum, et ex multis miraculis quae ibi fient, ad percipienda beneficia sanitatis gentes variae, quae te non noverant, undique properabunt, et tumulum tuum adorabunt.* Hoc vaticinium risit humillimus Nicolaus, reputans se servum inutilem, miserrimumque peccatorem, ac vaticinanti praecepit ne cui patefaceret visionem quam audierat. Verumtamen abhinc in posterum quoad vixit, hanc eamdem stellam novo privilegio quotidie videre meruit praeeuntem sibi ad altare juxta oratorium, in quo solebat orationi vacare, Coelo ipso per hujus stellae proditionem sanctitatis ejus, ac meritorum splendorem signante. Quapropter ex ejusdem stellae apparitione universalis deinceps mos invaluit Nicolai imaginem effingendi, solem, vel stellam in pectore gestantem. Cum autem tempus resolutionis ipsius jam instaret, Nicolaum extrema infirmitate aegrotantem Christus Dominus una cum Deipara, ac S. P. Augustino per summam benignitatem invisit, eique certum diem futurae mortis denunciavit. Itaque Nicolaus hoc faustissimo nuncio laetitiis omni-

Digitized by Google

bus laetus effectus, quippe qui vehementer cupiebat dissolvi, et esse cum Christo, postulat a clementissimo Domino, ut liber a piacularibus flammis statim post obitum ad perfruendam beatificam ipsius visionem transferatur. Exaudivit benignissimus Jesus orationem servi sui; quare is Sacramentorum munimine roboratus, die 10. Septembris anno 1305. fere sexagenarius sanctissimam animam in osculo Domini exhalando, meritis locupletissimam vitam finivit in terris, ut praemiis cumulatissimam aeternam statim inchoaret in Coelis. Auditur interea per aerem festivissimus cantus Angelorum comitantium in jubilatione triumphalem D. Nicolai ascensum ad aeterna tabernacula Dei, ad percipiendam tot heroicis virtutibus promeritam triplicem innocentiae, poenitentiae, atque virginitatis gloriosissimam coronam.

Anno 1345. pius quidam latro e sanctissimo Nicolai corpore brachia praecidit; quapropter e recisis venis statim copiosum sanguinem emanarunt, qui etiamnunc in vase coagulatus, atque in linteis, quae tunc madefecerat, aspersus invisitur. Post illud sacrum, ut ita dicam, crimen, ab antiquis illis Patribus pretiosum Divi corpus intempesta nocte absconditum fuit in quodam hujus Ecclesiae Tolentini loco, qui nunc, quidquid aliqui blaterent, omnino ignoratur. Brachia vero, quae sector insperata sanguinis effusione praepeditus secum in Germaniam, uti optabat, auferre non valuit, thecis inclusa in ferrea arca summa religione servantur, atque post primam illam plures alias identidem emanationes emiserunt, adeo ut jam 26. enumerentur, quarum postrema contigit anno 1831. Harum item posteriorum omnium emanationum signa luculentissima adhuc perspiciuntur impressa in sericis te-

Digitized by Google

gumentis, quae sacra brachia cooperiebant, quaeque in eadem arca cum caeteris Divi reliquiis diligenter custodiuntur. Hujusmodi autem tegumentorum particulae quaedam Divi sanguine signatae, ad varias Mundi partes translatae, multam ibidem venerationem obtinuerunt, multaque miracula perpetrarunt, quae magis magisque optimo jure sibi meritum Thaumaturgi nomen Nicolao confirmarunt. Dixi: optimo jure meritum, nam adeo insignis fuit ante et post mortem miraculorum patrator, ut post Apostolos nemo illum superarit. In uno canonizationis processu tercenta ab ipso patrata recensita sunt thaumata, quibus et istud accessit, quod blaesa notarii lingua eadem edisserens divinitus soluta fuerit, et illud, quod scilicet praeter omnium spem, ipsius meritis in Concilio Florentino Ecclesiae graecae cum latina unio composita fuerit. Inter caetera autem innumera a tanto Thaumaturgo miracula perpetrata plures recensentur urbes peste liberatae, nec non 107. mortui pristinae vitae restituti. Plures item refert historia, insignis nostri Thaumaturgi publicas apparitiones ad auxilium praestandum iis, qui in summo discrimine positi illius opem fiduciae compotes implorarunt. Sic ex. gr. apparuit Amerinis in Umbria ab hostibus obsessis, atque oppugnatis, dum eos fugatis hostibus, omni metu liberavit; apparuit Pisanis, dum sublimis in aere sagittas furoris Domini suo gremio excipiens, pestem a civitate penitus eliminavit; apparuit Papiensibus, dum carcerum foribus reseratis detentos omnes libertate donavit; apparuit tandem, ne plura congeram, Ariminensibus, dum fr. Raphaelem Teutonicum a daemonibus super pinnaculum templi praecipitio collidendum sublatum, dextera apprehensum, mirantibus omnibus, inco-

Digitized by Google

lumem per aerem placido descensu ad terram deduxit.

Neque vero in scipso tantum, et in brachiis suis, sed etiam in suis imaginibus, et simulacris mirabilia fecit Nicolaus. Nam cum Cordubae ipsius lignea statua coram omnibus Crucifixum amplexata est, et osculata, tum Tolentini ejus imago, obeunte Eugenio IV. qui illum Sanctorum fastis adscripserat, sanguine manavit, cum Romae in templo S. Mariae de Populo ejus item effigies cruore pariter sudavit, tum demum Venetiis in Augustiniano S. Stephani templo marmorea ipsius statua tribus subinde vicibus, frequentissimo populo spectante, oculos, atque labia aperuit, et movit, vultumque ad altare convertit, ac deinde se in pristinum statum composuit. Sed, sicut lib.3. vitae D. Nicolai cecinit Rm̃us Jo. Baptista Mantuanus Carmelitarum Generalis,

Nil opus est nobis ejus portenta referre
Morborum circa omne genus, circum aera, circum
Fortunas, et fata hominum contraria, circum
Aequora: nam divum nemo est, qui pluribus unquam
Claruerit signis, a tempestate recentum
Christigenum, fidei qui fundamenta fuerunt,
Tempus ad hoc, nec habent ejus miracula finem.

Tu autem devote lector si plura de Nicolai miraculis discere cupis, consule Ecclesiam universam, vel adeas nostratem Philippum Giorgi, qui nuper ipsius vitam italo sermone conscripsit. Antequam vero hinc discedas, accipe ex nostro Antonio Dulciato Florentino hanc in Divi Nicolai laudem

Digitized by Google

SEQUENTIAM

Nicolaus Tolentinas
Decus mundi res divinas
Cumulavit hodie.
Terris Italus Picenus
Eremita sat amoenus
Vixit purus innocens.
Augustini normam sequens,
Sanctitatis signa praebens
Decoravit Ordinem.
Adhuc infans Deo carus
Jesum videt, ut praeclarus
Signis, et virtutibus.
Bariensis prece datus,
Ipsum semper imitatus
Vitam duxit caelibem.
Mox jam factus Eremita
Augustini gaudet vita
Commune cum fratribus.
En exemplar castitatis,
Vere typus paupertatis
Pauper, et obediens.
Flagris daemonum vexatus,
A Deo nunquam separatus
Fecit mirabilia.
Caecos, claudos, surdos, mutos,
Aura coeli destitutos
Vitae dedit pristinae.
O quot aegris sanitatem,
Quot captivis libertatem,
Quot afflictis gaudium!
Aquas, ventos, tempestates,
Procellarum feritates
Linguae fregit gladio.
Purgatorium nudavit,
Peregrinum liberavit,
Spoliavit Tartara.
Hic in terris multa gessit,
Plura e Coelis intercessit,
Fruens Dei gloria.
Jam testatur Petri navis
Agitata, facta gravis
Diris tot schismatibus.
Quando factus advocatus,
Inter Sanctos collocatus
Pacavit Ecclesiam.
Suo pane benedicto,
Malum procul ab afflicto
Relegavit dulciter.
Novum genus hoc medendi,
Et tot morbos expellendi,
A Maria didicit.
Ipse prius est curatus,
Quando hoc pane saginatus
Pro assis perdicibus.
Salve custos infirmorum,
Medicina viatorum,
Factus mundi medicus.
Omnes Angeli te colunt,
Omnes superi te volunt
Triumphantem maximum.

Digitized by Google

Si ad Coelum tendis,
Astrum vides, et intendis
Angelorum modulos.
Tibi dat vocem Maria,
Christus secum voce pia,
Augustinus pariter.
Turba cuncta Beatorum
Clamat: veni Confessorum
Vera lux sanctissima.

Pro te Coelum collaetatur,
Pro te Mundus sublimatur,
Tuum nomen honoratur
Omnibus Fidelibus
Jam nunc super astra vivis
Gloriosus cum tot Divis,
Paradisi factus civis,
Fac nos tecum rapias.
Amen.

Fr. Petrus Bruniquellus.

Petrus Bruniquellus natione Gallus, a Coriolano, Doctor egregius, ab Alphonso autem de Orosco, sanctitate et scientia clarus appellatur. De hoc praeclarissimo viro quamquam superiores Ordinis scriptores pauca tradiderint, plura tamen collegit Gandolphus, ex quibus satis constat quantae magnitudinis, quantaeque excellentiae fuerit. Fuit itaque sacrae Theologiae Magister valde conspicuus, in sacris Bibliis versatissimus, humanarum litterarum notitia minime vacuus, ingenio praestans, eloquio disertus, morumqne probitate multum laudabilis. Eximiis hujusmodi animi mentisque dotibus cum floreret, a Clemente V. anno 1311. Civitatis-Novae in Istria Episcopus creatur. At videtur nunquam in sua Cathedra personaliter sedisse, permansit enim Avenione in Curia Pontificia. Alio cognomento dicitur etiam Petrus de Rupemaura, uti patet ex fine perinsignis ipsius operis super historiis novi et veteris Testamenti. Honestam de illo mentionem fa-

Digitized by Google

ciunt cum nostratibus, Trithemius, Possevinus, Sixtus Senensis, Frisius, male dividens Petrum Bruniquellum a Petro Civitatis-Novae Episcopo, Andreas Victorellus apud Ciacconium in vita Joannis XXII. ac tandem Gesnerus, vocans librum ipsius super historiis Bibliae, opus insigne. Haec autem sunt opera, quae conscripsit: 1. *Liber super historiis novi et veteris Testamenti juxta ordinem alphabeti ordinatus.* In hujus libri fine haec leguntur. *Explicit liber super historiis Bibliae secundum ordinem etc. editum a Fr. Petro de Rupemaura alias cognomento de Bruniquello Ord. Erem. S. Aug. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Civitatis-Novae. Completus fuit iste liber anno Domini* 1319. 2. *Comment. in Mag. Sent. lib.* 4. 3. *Comment. in Proverbia lib.* 1. 4. *Comment. in Ecclesiastem lib.* 1. 5. *Comment. egregia in Cantica Canticorum, lib.* 1. 6. *Item Commentaria illustria in universa fere Biblia, et alia.*

B. Petrus de Camerata.

Beatus Petrus de Camerata, ob diuturnum incolatum in quodam hujus nominis eremitorio prope Monticianum in Hetruria sito, sic appellatus, Florentiae primam lucem aspexit, ibique penes Augustinianos, monachum induit. Sacerdotio auctus, cum esset, ut scribit noster B. Alphonsus de Orosco, amator solitudinis, et silentii, atque in poenitentia valde exercitatus, de Superiorum permissu, in praefatum Ordinis Cameratense Eremitorium secessit, ibique viginti circiter annos, teste B. Jordano, in magna vitae austeritate, ac sanctitate permansit. Illic cum

angelicam potius quam humanam vitam degeret, a nostro B. Antonio de Monticiano veluti alter Paulus invisitur, atque ambo simul aliquandiu in colloquiis divinis, Deique laudibus sanctissime convixerunt. Memoriae proditum est, ipsum B. Petrum, ut jam in vita B. Antonii notavimus, dum huic discedenti benedictionem impertiret, in dura silice nudi pedis vestigium divinitus impressum reliquisse. Quoniam autem pares cum paribus facillime consociantur, sic fuit etiam iste B. Petrus, B. Augustino Novello, familiarissima necessitudine conjunctus. Quamobrem cum iste lethali morbo aegrotaret, ac vellent fratres eum amici conspectu consolari, binos sodales ad Petrum, qui quatuordecim circiter millia distabat, arcessendum miserunt; quos ut appropinquantes aspexit, obviam illis egressus, antequam adventus sui causam proderent, ipse lacrymabili voce clamare coepit: *Fratres non est necesse ut ego veniam, frater enim Augustinus jam ex hac vita migravit, et ego commendavi animam ejus Deo meo.* Reversi autem facto ipso agnoverunt, eadem hora, qua Cameratam pervenerant, atque illa verba a B. Petro audierant, B. Augustinum revera spiritum exhalasse. Prophetiae dono illustris futura multa praedixit, quare ad eum consulendum, tamquam ad divinum vatem, quamplurimi undique confluebant. Refert noster Josephus Pamphilus Signinus Episcopus, quod dum B. Petrus coelestem, beatamque vitam in Cameratensi solitudine ducebat, cibus ei de Coelo aliquando mittebatur, et dum solus officium divinum persolvebat, a multis magna cum multitudine canere audiebatur. Tandem miraculis clarus discessit e vita anno 1312. Statim post obitum tum imaginibus, tum beati titulo honorari coepit atque a Fidelibus in suis

Digitized by Google

necessitatibus invocari. Vide B. Jordanum de Saxonia, Pamphilum, Herreram, Elssium, Torellium, aliosque nostrates.

B. Petrus Eugubinus.

Beatus Petrus Eugubii in Umbria natus, antequam nostrum Eremitanum Ordinem amplexus fuisset, Perusiae primum, ac deinde Parisiis Jurisprudentiae magna cum ingenii laude operam dederat. Utriusque juris lauream ibidem merito assecutus, in Italiam patriamque revertitur. Ut erat autem vir valde pietati addictus, sic sanctissimis praesertim vitae exemplis excitatus, quae Bricti-nenses Augustiniani fratres Eugubii praeseferebant, eorum Institutum ibidem summo cum gaudio est amplexatus. Doctrina, atque sanctimonia cum maxime floreret, docendi, atque concionandi munus a Superioribus sibi demandatum, ex obedientia suscepit, atque laudabiliter aliquandiu exercuit. Galliarum provinciae Moderator electus, pervigili regendi dexteritate, atque sollicita novorum conventuum acquisitione, rem Augustinianam summopere adjuvit, atque amplificavit.

Item Vicarius generalis renuntiatus, nudipes semper singula suae jurisdictioni subiectas provincias peragravit, atque ubique omnia ad meliorem normam revocavit. Tandem postquam iterum e Gallia in patriam remeasset, ibidem meritis onustus, ac senio confectus anno 1306. cum magna opinione sanctitatis ex hac vita migravit. Corpus ejus in communi fratrum monumento

Digitized by Google

depositum, Deus qui custodit omnia ossa Sanctorum, miraculo illinc efferri voluit. Nam cum quadam nocte surrexissent de more fratres ad psallendum, atque jam hymnum *Te Deum laudamus* concinerent, vicissim ipsis e sepulcro Petrus respondebat: *Te Dominum confitemur*. Suavi, vocem alternantis, concentu exciti fratres, totum templum lumine admoto perlustrant, quaerentes insoliti cantus auctorem. Neminem autem invenientes, Petri sepulcrum invisunt, atque sanctissimi viri corpus in genua provolutum, atque adhuc ore hians reperiunt, certo certius hinc conjicientes, ab ipso cantum illum editum fuisse. Rem mirati fratres, se ipsos hoc miraculo admonitos agnoverunt, haudquaquam decere, ut sacrae tanti viri exuviae humili loco delitescerent. Quare eas inde efferentes, ad honestiorem locum transtulerunt, ex quo iterum quatuor post saecula asportatae, in sacello Divi Thomae a Villanova honorifice collocatae fuerunt, ibique hactenus magna Fidelium veneratione coluntur. Cultum autem ab immemorabili illi praestitum, Pius IX. auctoritate Apostolica confirmavit, eumque Beatorum fastis adscripsit. Memorant cum laude Eugubinum nostrum Jacobillus, et Enschenius, nec non nostrates scriptores fere omnes, inter quos B. Henricus de Urimaria ipsi coaevus haec de illo habet in suo libro de origine fratrum: *B. Petrus de Eugubio . . . . fuit homo maximae orationis, et patientiae, cujus vita in Domino quiescens, multis miraculis claruit.*

Digitized by Google

B. Petrus de Rosia

Beatus Petrus de Rosia lacrymans nuncupatus, Senis in Thuscia natus, Ilicceti, quod est celebratissimum Ordinis Augustiniani Eremitorium aliquot milliaria a praefata civitate distans, in ipso adolescentiae flore se Eremitanae Familiae, solemni votorum professione, perpetuo mancipavit. In ipsis eremiticae vitae primordiis provectiores quosque, poenitentiae rigore, omnique carnis afflictationum genere longe superabat, in hisce severioribus sui corporis castigationibus, admiratione magis quam imitatione dignus. Postquam autem ad sacerdotalem dignitatem evectus fuerat, animadvertentes Patres ipsum solitudine quammaxime delectari, ad secretiorem S. Luciae Vallis Rosiae recessum, decem circiter millia a praefata Senensi civitate procul situm, illum miserunt. Ibi Petrus nedum asperrimas Iliceti austeritates nec hilum quidem remisit, verum etiam auxit supramodum, adeo ut si pristinae cum postremis conferantur, flores potius deliciaeque, quam macerationes, illae fuisse videantur. Potissimum autem Regem Prophetam imitatus, cujus fuerant lacrymae suae panes die, ac nocte, perdius, et pernox jugiter deflebat, adeo ut nemo unquam illum non lacrymantem videre potuerit. Rogatus a fratribus quare a lacrymis aliquantisper saltem aliquando non temperaret, objicientibus illud: *Hilarem datorem diligit Deus*, respondebat: *Utique hilarem futurum lacrymarum datorem, nam qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, seque saepius in Evangelio, Domini planctum, risum autem nunquam legisse, ac dixisse de flentibus Christum: Beati qui lugent, quoniam*

ipsi consolabuntur ; de ridentibus autem : Vae qui ridetis nunc, quia lugebitis. Uberiores autem quam unquam alias tunc maxime lacrymas fundebat, cum ante Crucifixum in genua provolutus saevissimos Christi Domini dolores ex hominibus pro hominibus perlatos acerbissima recordatione contemplabatur ; ex quo ita omnis in eo voluptatis sensus penitus exaruerat, ut nunquam vel labiis risum edere, vel vultu laetitiam prodere, vel oculos attollere, aut serenum supercilium gerere, aut aliquid loqui, vel agere visus, aut auditus fuerit, quod aliquantulam animi jucunditatem saperet; quare tum *poenitentis,* tum *lacrymantis* nomine nuncupari coepit. Tandem lacrymans noster ex hac lacrymarum valle ad supernam aeterni gaudii mansionem evolavit anno 1343. tot lacrymarum fructum percepturus, perpetuam nempe exultationem. Conditus fuit Iliceti in Ecclesia SS. Salvatoris. Ante, et post mortem miraculis claruit. Praeter nostrates laudant Petrum istum Franciscus Rappus, Ugurgerius, nec non auctores libri, cui titulus: *Intronatorum Academiae Fasti Senenses*, aliique externi. Inter caeteros vide Torellium, et Elssium.

B. Petrus de Salimbenis.

Beatus Petrus de Salimbenis Senis in Thuscia ex nobilibus parentibus ortus, in Ilicetano coenobio Eremitanae Familiae se sodalem adscripsit. Jam inde a tirocinio religiosae perfectionis ipsis quoque provectioribus Patribus splendidissimum exemplar evasit. Sacras litteras mirifice edoctus, atque ex jugi oratione, assiduaque con-

Digitized by Google

templatione, coelestis sapientiae dulcedine perfusus, ingentem animarum fructum, magno caritatis zelo concionando, per totam Hetruriam ferre coepit. Cruenta, quae tunc temporis ad mutuam internecionem effervescebant, *Alborum, Nigrorumque* dissidia, incredibili dexteritate componebat, ac siquando pervicaciores ad saniorem mentem suasione reducere non valebat, novellus Elias prophetiae dono insignitus, ingruentium malorum, quae nunquam eventu caruerunt, minitatione, vel etiam invitos ad resipiendum compellebat. Nam bella multa, seditiones, civitatum tumultus, contagiones, aliaque id genus exitiosa infortunia non semel minitando praedixit, quae omnia juxta praedictum toties adamussim contigerunt. Quamobrem, ut ait Emus noster Aegidius Viterbiensis, eum frequenter homines veluti oraculum consulebant, spe metuque fausti, nefastive vaticinii dictitantes: *Utinam Sanctus bona nuntiet!* Ex quo profecto effato satis superque constat, illum morum probitate, piaque conversatione magnam sanctitatis opinionem sibi apud omnes comparasse. Et revera adeo, et tam fixe, ut verbis utar laudati Aegidii Viterbiensis, divinis rebus vacabat, ut ne momentum quidem ab iis mentis aciem flecteret, assiduasque exinde illuminationes contemplando exciperet, divinosque haustus ebiberet. Erat insuper obedientia summa, poenitentia insigni, morumque innocentia singulari exornatus, nec non infirmis ministrandi studiosissimus. Hanc postremam virtutem, atque obedientiam prae caeteris in illo commendat noster B. Alphonsus de Orosco. Obiit Iliceti 1330. Vide nostrates auctores, ac praesertim Torellium.

Digitized by Google

V. Philippus de Parma.

Venerabilis frater Philippus de Parma unus fuit e postremis Ordinis Generalibus ante magnam unionem. De hoc piissimo viro quaedam pene ad verbum exscribam ex nostro Elssio. Itaque Philippus noster anno 1177. fundavit juxta Bononiam eremitorium S. Augustini, in quo cum, adjunctis sibi paucis sociis, sanctissime viveret, tanto odore sanctitatis ipsius, ac sodalium suorum excitati cives Bononienses, qui frequenter ad praefatum eremitorium accedebant, illum cum suis intra civitatem evocarunt, eique locum quemdam assignarunt, in quo magnus servus Dei, relicta eremo, Sacellum in honorem D. Jacobi aedificavit. Ibidem, auxiliante Domino, adeo prospera cuncta illi obvenerunt, ut brevi amplum monasterium extruere potuerit. Anno 1248. Romae celebrato IV. Capitulo generali Ord. S. Augustini sub titulo Eremitarum, eligitur Generalis (eorum Augustinensium, qui degebant in Insubriae, et Romandiolae eremis) rexitque magna prudentiae, atque sanctitatis laude commissam sibi familiam usque ad completam universalem Ordinis unionem sub Alexandro IV; quo tempore una cum caeteris aliarum Congregationum Praesidibus dimisit Religionis habenas in manibus B. Lanfranci Septala universi Ordinis electi Antistitis. Florebat adhuc anno 1256.

Digitized by Google

B. Philippus de Placentia.

Beatus Philippus Placentinus, quem aliqui Mantuanum putant, ex illustri Susanorum genere natus est circa medietatem saeculi XIII. Pietate cum lacte enutritus, jam inde ab infantia, quae sursum sunt quaerere coepit; quamobrem ubi adultior evasit, paternae domus splendorem, cunctasque Mundi illecebras ex animo aspernatus, inter Augustinianos Eremitas in monachum est attonsus. De fundamento prius cogitans humilitatis, magnum, atque excelsum sibi valuit construere virtutum suarum aedificium, adeo ut ipsemet Deus eximiam illius adhuc inter mortales degentis sanctitatem miraculis comprobarit. Nam de illo refert noster Pamphilus: *Philippus Placentinus, vir ut multa sanctitate praeditus, multos etiam infirmos miraculose curavit, praesertim Guilelmum Priorem Generalem, qui gravi morbo correptus, vivere desistebat.* Ubi tamen advertas oportet, praefatum B. Guilelmum de Cremona, tempore praedictae sanationis, nondum fuisse Ordinis Generalem, uti notat Torellius. In Deum jugiter totus absorptus, omne cogitatum mentis, omnemque affectum cordis in ipsum intendebat, atque illud duntaxat quo plenus erat eructans, siquid ore promebat, vel Dei amorem tantummodo, vel proximi dilectionem, vel mundanarum rerum contemptum respiciebat. Defunctorum animas piacularibus flammis addictas benigna miseratione prosequens, incruenti Sacrificii oblatione, quam devotionis ergo, ne semel tantum quidem intermittens, quotidie profusis gaudiis peragebat, sublevare consuevit. Primam fidem solemniter Deo datam nunquam irritam faciens,

Digitized by Google

tria religiosa vota inviolabiliter custodivit. Tandem, uti habetur in chronicis Placentinis a Torellio laudatis: *Eodem anno (1306) B. Frater Philippus Ord. Eremitanorum obiit in civitate Placentiae miraculis coruscando, et sepultus fuit iu Ecclesia Fratrum Eremitanorum Placentiae.* Corpus ejus postquam diu latuerat, tandem suavis odoris emissione ostensum, antiquum ipsius cultum confirmavit, et auxit. Quo rite probato Clemens XIII. Philippum in Beatorum numerum retulit. Memorant illum cum laude ex nostratibus Coriolanus, Pamphilus, Seripandus, aliique; de externis autem Raphael Volaterranus, Antonius Campi, et alii quos citat Torellius.

V. Prosper de Regio.

Venerabilis Prosper de Regio sacrae Theologiae Doctor Parisiensis, vir fuit doctrina, atque pietate valde conspicuus. De hoc praeclarissimo viro in Capitulo Generali anno 1318. Arimini celebrato decretum fuit. *Studentium in aliquo Studio de Italia pro praesenti anno sit examinator V. Magister Fr. Prosper de Regio.* Quoniam in opusculo infra notando dicitur Ord. Generalis, nec tamen in Generalium serie ipsius nomen reperitur, idcirco hinc conjici potest, uti censet etiam noster Herrera, ipsum in aliqua Generalatus vacatione, Vicarii Generalis titulo Ordinem aliquandiu gubernasse. Insignem tanti magistri humilitatem eximius ipsius discipulus B. Jordanus de Saxonia hisce sequentibus verbis egregie commendavit: *Item exemplum experimentaliter cognovi de venerabili viro*

Digitized by Google

in Ordine, scilicet M. Prospero de Regio, sacrae Theologiae professore, cujus studens fui olim Bononiae. Ipse enim hanc virtutem habuit, quod si aliquando verbum durum dixisset alicui fratri, quantumcumque parvum, ipse semper antequam dormiret, mittebat pro fratre illo, et sibi humiliter petebat indulgeri. Quam etiam humilitatem mihi indigno saepe exhibuit. Non latebat enim sanctissimum coenobitam, monuisse Paulum Apostolum: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Ipsum scripsisse in libros Sententiarum videtur inferri posse ex sequenti illius opusculo, quod typis impressum fuit Bononiae anno 1503. et Caesenae 1626. Hoc autem opusculum est hujusmodi: *Quaestio dignissima, et utilissima de sensibus interioribus, Reverendissimi, et eximii Doctoris M. Prosperi de Regio Ordinis Fratrum Eremit. S. Augustini, ejusdemque Ordinis Generalis meritissimi, sumpta ex quaestionibus ab eo Parisiis disputatis supra prologum libri Magistri Sententiarum.* Consule Elssium, et Torellium.

Fr. Richardus Cheferus.

Richardus Cheferus in Norfolcia Angliae provincia ortus, adhuc adolescens in coenobio Nodovicensi Augustinianae Familiae nomen dedit. Ibidem quiquid temporis a monasticis officiis, pietatisque operibus ipsi vacabat, totum illud bonarum litterarum studiis alacriter impendebat. Ut autem erat praeclaro ingenio praeditus, ita in iis mirum in modum profecit. Cantabrigiam deinde ad subliniores disciplinas addiscendas profectus, brevi evasit

multiplicis tum divinae, tum humanae doctrinae ornatu instructissimus. Concionandi provincia ardenti studio suscepta, adeo in ea laudabiliter se gessit, ut in tota Anglia ab omnibus celebrari coeperit. Quae profecto ingens ipsius fama nequaquam cum illo e Mundo evanuit, sed superstes remansit in eruditis, quae posteris reliquit, sui ingenii monumentis, quae nimirum sunt: 1. *De Nativitate Christi lib.* 1. 2. *Sermones elegantes, lib.* 1. 3. *Collationum variarum lib* 1. 4. *De quatuor Novissimis lib.* 1. *et alia plura.*

Claruit circa annum 1354. Ex nostris vide Herreram, Crusenium, et Elssium, ex aliis autem Pitsaeum.

Fr. Robertus Worsopus.

Robertus Worsopus in Comitatu Eboracensi in Anglia natus, ibidem in Augustiniano Ticulliensis pagi coenobio haud procul ab oppido Duncastri, monasticum institutum suscepit. Vir praestantis ingenii sacris profanisque litteris sedulo incumbens, in utrisque mirifice profecit; quare post completum studiorum curriculum, sacrae Theologiae Doctor inauguratus fuit. Qui cum non solum doctrinae splendore, verum etiam sanctimoniae laude praefulgeret, ad Episcopalem dignitatem evehi promeruit. Notant Episcopatum Roberti Lelandus, et Pitsaeus scriptores Angli, nec non noster Pamphilus; at silent Dioecesis ipsius nomen. Putat autem Crusenius, cui tamen refragatur Herrera, illum Eboraci Antistitem fuisse. Verum quidquid sit de externorum silentio, aut

de nostratum discrepantia, nequaquam inficias eundum videtur, quin Robertus noster pastorale pedum gestarit. Gestavit utique, et quidem magno gregis sui emolumento, nam scribunt laudati auctores ipsum in Episcopali munere obeundo valde solicitum fuisse, atque ad custodiendas concreditas sibi oves pervigilem, quippe qui nihil antiquius habuit, quam ut cunctorum exemplum factus ex animo, tum laicorum turbam Evangelicae doctrinae pabulo jugiter enutriret, tum Clericorum coetum sanctioribus praeceptis reformaret. Postremo ad suum Ticulliae monasterium se recepit, ibidemque paulo post moritur, (1350.) atque sepulturae datur. Celebrarunt illum praeter allatos Joannem Lelandum, et Pitsaeum, Balaeus quoque et Frisius, omnesque nostrates post Pamphilum. In lucem emisit 1. *Introitum in Magistrum Sententiarum, lib.* 1. 2. *Scholasticas quaestiones, lib.* 1. 3. *Sermones populares, lib.* 1.

Fr. Rogerus Glactonus.

Rogerus Glactonus in Comitatu Huntingtoniensi in Anglia natus, cum jam maturae esset aetatis, atque humanarum litterarum scientia excelleret, apud nostrates in Huntingtoniae conventu coenobiticam vitam amplecti voluit. Itaque factus Augustinianus, brevi tam magnum in theologicis disciplinis profectum fecit, ut praeclarissimus evaserit Cantabrigiensis Academiae Doctor, et Magister, atque amplissimam non solum apud Anglos, verum etiam apud externos suo nomini celebritatem acquisierit. Prae-

Digitized by Google

pollebat insuper insigni concionandi peritia, quo in munere, uti notat Elssius, suavis erat ad delectandum, vehemens ad persuadendum, eloquens ad laudandum, vel vituperandum, atque ita dicendi copiosus, ut nunquam illi ad quaecumque argumenta tractanda, apposita verba deessent. Neque tamen doctrina solum, atque eloquentia, verum etiam, quod majus est, pietate, atque sanctimonia plurimum commendabatur. Roberto Salisburiensi Episcopo, et S. R. E. Cardinali acceptissimus fuit, intimaque familiaritate conjunctus, uti patet ex sequenti Pitsaei testimonio, quod simul est etiam Rogeri nostri valde honorificum elogium. Itaque clarissimus Anglorum scriptorum laudator de praefato Roberto Cardinali verba faciens, haec habet: *Argumenta eruditionis hujus Roberti haec habeo, quod Rogerum Glactonum Ord. Erem. S. Augustini in Anglia Provincialem, pium et eruditum virum impense amaverit, et frequenter in elegantibus epistolis suis eum a doctrina plurimum laudaverit, et quod vicissim Rogerus illi pluraque sua scripta nuncupaverit, denique quod praeter mutuas ad se invicem salutationis causa familiares epistolas, Robertus ad eum scripserit super gravissimis Ecclesiae negotiis.* Fatis concessit praestantissimus vir Huntingtoniae valde senex anno 1340. Commendant illum nostrates, ac de externis praeter laudatum Pitsaeum, Balaeus, et Frisius. Scripta ejus sunt: *Epistolarum sacrarum lib.* 2. *Sermonum per annum lib.* 1. 3. *Lecturarum lib.* 1. 4. *Quaestionum lib.* 1.

Digitized by Google

B. Simon Fidatus de Cascia.

Beatus Simon Fidatus, de Cascia nuncupatus, eo quod in hujus nominis illustri Umbriae oppido ortum habuit, vir fuit morum innocentia, sacrarum litterarum peritia, praedicationis gloria, dissidentes componendi dexteritate, atque animarum zelo maxime clarus, Evangeliorum sagacissimus investigator, ac verus Jesu Christi imitator. Juvenis optimae indolis cum in profanis studiis sectandis adolescentiae aetatem ageret, miro quodam modo, quem ipsemet ingenue describit, ab iis ad sacras litteras addiscendas conversus fuit. Sed facti historiam ab ipso audiamus. Nam cap. 40. lib. 8. sui eximii operis *De gestis Salvatoris*, haec de se ipso testatur: *Accidit quodam die in meis teneris annis, me ferente omnes fere libros naturales sub chlamyde, ut summa diligentia repeterem, quae audieram a Doctore, et cum interrogaret me quidam creditus ab omnibus sanctae vitae dicens: Quid est hoc, quod defers frater? Libros naturales me ferre respondi. At ille: Non est haec via tuta, nec vocatio tua, nec verorum Christianorum intendere naturae, sed gratiae. Verbis quoque completis tanta celeritate mutatum est cor meum, ut si voluissem, non potuissem aperire codices naturales, nec etiam ex jussu aliquid memoriae commendare, atque, quod magis mirandum est, porta intelligentiae claudebatur, disponente Deo, ad Theologica me converti, illis omnino dimissis, in quibus frustra sudaveram, atque disposueram desudare, et aliqua luce veritatis perfusus, puro et claro lumine intellexi, meretrices esse invisibilis animi omnes istas scientias, animam indevotam et per aerea volantem constituentes etc.*

Digitized by Google

Dominicae Passionis contemplator assiduus, hoc coelesti vitae pabulo angelicam mentem divina tantum esurientem jugiter enutriebat, multarum interea lacrymarum profusione suavissimum hunc Sanctorum librum perfundens, atque ex eo jucundissima animi delectatione percipiens arcana verba, quae non licet homini loqui. Quadam die coram Amoris sui crucifixi imagine reverenter genua flectens, formosissimum puerum, calicem aureum gestantem, adstare sibi, ac arridere cernit, qui poculum illi porrigens sic eum alloquebatur. *Puer munde mecum de calice bibe.* Os calici admovit angelicus juvenis, ac paullulum praegustata ineffabilis dulcedinis suavitate, sociis quoque ut idem poculum propinaretur postulavit. Quare a puero Jesu hoc faustissimum audire meruit, futuram ipsius in Ecclesiam utilitatem praenuntians, de sua vocatione oraculum: *Si totum ebibisses, universum Mundum illustrasses.* Ex hoc tam arcano hujus rei sacramento facile perspicis, prudens lector, in puero Simone tum illibatam puritatis munditiem, dum vocat illum divinus Infans puerum mundum, tum flagrantissimam ejusdem erga proximum caritatem, dum sui ipsius, aliorum gratia, oblitus, mysticam potionem caeteris fratribus communicari praeoptavit. Porro ex hac mirabili coelestis calicis delibatione, quasi quadam divinitus infusa luce exterius irradiatus, totusque intus in praecordiis caritatis ignibus succensus lectissimus puer, conceptum exinde ardorem nunquam extinguere valuit; quapropter postquam sacerdos inauguratus fuit, evangelicae praedicationis facem praeferens, huc atque illuc per totam Italiam circumire coepit, corda hominum etiam perditissimorum ad ferventissimum Dei amorem ubique inflammans. Cujus rei testis est Florentia, quae latiorem ape-

Digitized by Google

ruit zelo ipsius campum. Ad hanc quippe praeclarissimam Italiae urbem novellus Apostolus accesserat in spiritu, et virtute Eliae, ut evelleret, et destrueret, ut aedificaret, et plantaret. Nec verbis solum, verum etiam vehementissimis epistolis Florentinam plebem e vitiorum coeno ad rectum tramitem revocavit. Animarum Deo lucrandarum zelo exaestuans, in ipsis Florentiae lupanaribus verbum Dei praedicavit, multasque miserrimas mulierculas e foedissimo turpitudinis luto ereptas, ad saniorem frugem reduxit, easque in monasterio a se consulto exaedificato reclusit, ut ibidem Deo in poenitentia famularentur, quae antea diabolo per peccatum se mancipaverant. Aliud quoque ibidem titulo S. Catharinae amplum monasterium pro matronis, atque virginibus recipiendis, sub Regula S. P. Augustini fundavit, illudque, quoad vixit, ipsemet magna prudentia direxit. Fuit in illo humilitas summa, qua nullam unquam dignitatem admittere voluit, poenitentiae autem studium singulare, quo voluntariis, iisque rigidissimis castigationibus innocens corpus suum quotidie subjiciebat; quare tum hujusmodi efficacioribus christianae abnegationis exemplis, tum Deiparae, quam impense colebat, implorato patrocinio, uberiorem concionum suarum fructum reportavit; siquidem facilius procul dubio est operum eloquentia, quam verborum, Coelitumque praesidio, quam hominum laudatione, praevaricantium corda ad resipiendum adducere. Doctrina maxime cum floreret, multa scripsit tanto divinae sapientiae sale condita, ut infusa potius scientia, quam acquisita imbutus fuisse videatur. Tandem aetate venerabilis, pietate insignis, spiritu prophetiae illustris, ac miraculis clarus Florentiae ex hac vita ad Superos evolavit anno

Digitized by Google

1348. Ejus ossa deinde Casciam translata, ibidem adhuc in capsula custodiuntur. Anno autem 1833. a Gregorio XVI. in Beatorum album Simonis nomen relatum fuit. Plurimum laudant illum a sanctitate, et doctrina, praeter nostrates scriptores, Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, Tiraboschius, aliique. Opera quae acerbissimus iste scelerum detestator exaravit, sunt: 1. *Libri* 15. *de gestis Domini Salvatoris, imp.* In hoc opere, ordine a nullo antea usitato, universam Evangeliorum historiam de gestis Christi in unum congessit, atque juxta mysticam intelligentiam exposuit. 2. *De B. Maria Virgine, imp.* 3. *De stultitiis imprudentium in bello spirituali, imp.* 4. *Quatuor libri expositionum super Evangelia, imp. lingua italica, opera P. Joannis de Salerno Augustinensis.* 5. *De disciplina spiritualium lib. I. super verba Pauli:* Si spiritu vivimus. 6. *De doctrina Christiana lib.* 1. 7. *Expositio super Evangelia quadragesimalia italico sermone.* 8. *De vita Christiana.* 9. *De cognitione peccati lib.* 1. 10. *Expositio Symboli, lib.* 1. 11. *De vita eremitica lib.* 1. 12. *De patientia lib.* 1. 13. *De speculo Crucis lib.* 1. 14. *De conflictu Christiano lib.* 1. *et alia.*

B. Simon de Tuderto.

Beatus Simon Tudertinus, vir (ut ait B. Jordanus de Saxonia) magnae reverentiae, et sanctitatis, Tuderti in Umbria ex familia Rinalduccia anno 1280. ortum habuit. Viginti circiter annos natus, Augustinianae Religioni in Perusino coenobio nomen dedit, ac post tiroci-

Digitized by Google

nium pie sancteque transactum, studiis sedulam operam navando, in iis tantum profecit, ut inter primarios suae provinciae theologos recenseri meruerit. Potissimum tamen valuit mira, fructuumque feracissima, ac vere Apostolica Evangelii dispensandi dexteritate. Nam non quidem turpis lucri amore captus, neque inanis gloriae cupiditate illectus, sed duntaxat animarum zelo succensus concionandi munere assumpto, tanto evangelicae libertatis impetu in vitia, ac praesertim in civiles clades, quae tunc temporis totam fere Italiam cruentabant, invehi coepit, ut vix dici possit quanta tum animabus, tum corporibus, ignitis concionibus, exitiosa damna praecaverit, eo vel maxime quia zelo ferventissimae praedicationis peculiarem quamdam vitae sanctimoniam conjungebat. Quapropter singularum Italiae urbium Episcopi certatim illum ad concionandum in suis Dioecesibus advocabant, atque nonnulli ex ipsis multa etiam propter eum in Augustinianam Religionem beneficia contulerunt. Cognita Simonis eximia vitae integritate cum pari prudentiae virtute, atque regularis observantiae studio conjuncta, illum Eremitani Ordinis Moderatores, modo Prioris, modo Provincialis officio onerarunt. Hinc vir divinae legis amator, ac monasticae disciplinae custos vigilantissimus, subiectam sibi familiam impigra sollicitudine gubernans, nequaquam, uti solent, qui honores tantum ambiunt, quin onera curent, dormitavit super peccata gentis suae ut se oneraret delictis alienis, sed ante, ut ita loquar, et retro plenus oculis ad vulpium vafritiem detegendam, ac invicta fortitudine constans ad legem exlegibus imponendam, quorumdam praevaricantium, justis animadversionibus, in se convertit invidiam. Quapropter ut virum justum

Digitized by Google

contrarium operibus ipsorum dolo opprimerent, cum tamquam scelestorum criminum patratorem apud Supremum Ordinis Antistitem calumniose traducere non dubitarunt. Iste vero vel nimia credulitate, vel potius Deo sic disponente, ut servi sui sanctitatem tentationis igne probaret, malignantium commenta detegere non valens, cum Simone durius agere coepit, qui quamvis nullo negotio innocentiam suam palam facere posset, maluit tamen contumelias cum Christo pati, quam humiliare calumniatores, illud Evangelicum eloquium usurpans: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Anno 1322. cum Bononiae quadragesimali tempore confertissimo populo concionaretur, prophetico spiritu vitae suae terminum sibi appropinquasse praesentiens, publice e suggestu, ut refert B. Henricus de Urimaria, in ultima concione, coram audientium multitudine obitum suum praenuntiavit. Et revera aliquot post dies, Sacramentis Ecclesiae summa veneratione perceptis, multis miraculis clarus obdormivit in Domino annos natus 60. Quae mox beatum ipsius transitum subsecuta sunt, Philippus Papazzoni unus ex tribus notariis Bononiensibus, qui de mandato Vicarii Generalis illius civitatis, miraculorum a Simone patratorum processum exararunt, ita refert: *Anno* 1322. *obiit Beatus Frater Simon Tudertinus de Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini in civitate Bononiae, cujus virtute, et meritis post mortem ipsius apparuerunt multa miracula, et signa in ipsa civitate Bononiae .... in Ecclesia S. Jacobi fuit tanta multitudo gentium, et tantus clamor, quo fere unus non poterat intelligere alium, et erat beatus, qui poterat tangere corpus sanctissimi. Et dilaceraverunt eidem omnes vestes suas, et prae devotione illius corporis erat beatus ille, qui poterat ha-*

Digitized by Google

bere aliquantulum de vestibus ejus. Narrat item laudatus notarius, prae nimia confluentium frequentia necesse fuisse, adhibito etiam aliquot Procerum praesidio, ut nocte clam sepulturae mandaretur, aliter neutiquam propter populi tumultum sepeliendus. Miracula autem a praefatis tribus notariis descripta, numero sunt 136. a testibus magis 270. comprobata. Sunt nimirum hujusmodi: videlicet, claudis 20. gressum restituit, mendosos 41. emendavit, obsessos quindecim a daemone liberavit, herniosos 13. sanavit, et alios aliis languoribus oppressos ad pristinam incolumitatem revocavit. Horum miraculorum terni processus impressi cernuntur apud Bollandistas tom. 2. Aprilis, ubi Henschenius, et Papebrochius inter alia multa, de nostro B. Simone haec habent: *Magna accessit celebritas per B. Simonem Tudertinum, doctrina theologica, et concionatoria facultate magnum, majorem tamen sanctitate etc. Cultus qui jam inde ab ejus obitu invaluerat, magis etiam excitatus est hisce novissimis temporibus, cum anno* 1656. *Emus Hieronymus Cardinalis Boncompagnus, Bononiensis Archiepiscopus, illius corpus rite visitasset; exinde enim a variis data sunt frequentiora dona, et vota cerea, atque argentea appensa visuntur, nec unquam desiit ardere ante illum accensa lampas.* Quiescit Bononiae in nostra Ecclesia S. Jacobi, ubi usque ab obitu publicum cultum obtinet, quem Gregorius XVI. auctoritate Apostolica confirmavit. Quippe qui non solum vitae sanctimonia, verum etiam litterarum scientia excellebat, librum exaravit *Sermonum festivorum*, qui olim extabat in conventu Tudertino S. Praxedis, quemque Possevinus dicit plenum doctrina, et sanctitate. Celebrant Tudertinum nostrum B. Henricus de Urimaria, B. Jordanus de Saxo-

Digitized by Google

nia, Coriolanus, Pamphilus, Herrera, Torellius, aliique Augustiniani scriptores, quibus accedunt praeter nuper laudatum Possevinum, Carolus Sigonius, Abraham Bzovius, Ludovicus Jacobillus, Marraccius, et alii externi.

Fr. Stephanus Etonius.

Stephanus Etonius Waltrocensis coenobii in Anglia, non longe a Crago Eboracensis Provinciae Castro, alumnus fuit. Hujus utiliter in studiis collocatam operam valde commendat Joannes Lelandus. Patriam plus quam naturali affectu diligebat, Regemque tunc Eduardum II. incredibili amore prosequebatur. Sed Rempublicam a Scotis perturbari, eorum res prospere procedere, et augeri, Anglorum contra, Regis culpa, et desidiosa inertia, pessime se habere, imo pessum ire, aegerrimo ferebat animo. Scripsit igitur non sine dolore, bona fide, ut veritas exigebat, res a Rege male gestas; patriaeque calamitatem, et sui Principis desidiam quasi lugubri scripto deplorabat, ab anno in annum tristem historiam prosequens. Cui operi titulum praefixit: *Acta Regis Eduardi II. lib* 1. Claruit anno 1320. Ita Elssius ipsissimis verbis citans Pitsaeum, aliosque Anglos scriptores, atque ex nostris Herreram.

Fr. Stephanus Forestus.

Stephanus Forestus Hungarus cum multa doctrinae

Digitized by Google

laude, editorumque librorum gloria floreret, Strigonii in Hungaria anno 1312. Archiepiscopus, totiusque Regni Primas creatus fuit, cujus creationis vi Sedis Apostolicae Legatus natus, uti vocant, evasit, jus habens juxta Innocentii IV. diploma, Hungariae Regem corona redimiendi. In pastorali officio obeundo annos viginti laudabiliter se gessit, dictus propterea ab eximio Ardinghellio Dominicano: *Forma factus gregis, virtutumque exemplis coruscans.* V. Alphonsus de Orosco in suis Chronicis Augustinianis illum Patriarcham Hierosolymitanum putat, additque ipsum *Sermones doctos, et elegantes compilasse, et in quatuor libros Magistri Sententiarum egregia Commentaria edidisse.* Floruit usque ad annum 1332. quo exutus corpore, spiritum Deo reddidit Factori suo. Praeter nostrates Crusenium, Herreram, Torellium, Elssium, Gandolphum, aliosque, illum quoque celebrant Crescentius in *Praesidio Romano*, nec non praefatus Ardinghellius, et alii.

B. Theobaldus Veronensis.

Beatus Theobaldus Veronensis, ex nobilissima Scaligerorum familia, quae eo tempore Veronae dominabatur, oriundus, adolescens paternae domus divitias, atque amplitudinem aspernatus, ad Augustinianos Eremitas tunc temporis extra urbem degentes deflexit, seque illis per solemnia vota perpetuo addixit. Quamvis autem totam perspicacissimi ingenii aciem in sacras litteras addiscendas, magna alacritate defixisset, multo tamen magis oratione, quam studio, in illis mirum in modum profecit,

Digitized by Google

adeo ut insignis theologi, atque egregii in primis concionatoris nomine clarescere coeperit. Verbum Dei tanto zelo, tantaque scientia, atque suavissimae caritatis aspersione disseminabat, ut durissima quaeque corda veluti divina quadam vi superinfusa emolliret, ac ipsis perditissimis peccatoribus poenitentiae lacrymas excuteret, *praeco flexanimis* propterea dictus. Quamobrem in tantam concivium suorum existimationem venit, ut Petro Episcopo Veronensi vita functo illum omnimode sufficere conati fuerint. Verum eximius humilitatis amator Episcopalem dignitatem invicta constantia recusavit, ac Episcopatum ejus accepit quidam Bonincontrus illius Cathedralis Ecclesiae Archipresbyter; quo item mortuo anno 1298; tota fere civitas ad Theobaldum compellendum ut pastorale pedum susciperet, turmatim confluxit. Confertissimae multitudini, precibus omnibus illum obsecranti, quamvis pristini propositi tenax Theobaldus diutius resistere non valuit, ac tandem tot concivium, procerumque civitatis assiduis, sollicitisque adhortationibus morem gerens, licet animo haud penitus lubenti, tamen Episcopali oneri humeros subjecit. Infula itaque condecoratus talem se praebuit, qualem concives futurum sperarunt. Nam sicut in coenobio inter fratres fulgidissimum extitit religionis, pietatis, omniumque virtutum exemplum, sic Episcopus factus, sicut Sol refulsit in Ecclesia Dei. Siquidem divinis rebus contemplandis, ac christianae doctrinae studiis sectandis jugiter intentus, pastoralis quoque officii muniis rite obeundis sedulam operam dabat, indigentibus opem impense suppeditando, peregrinos humanissime excipiendo, disceptantes, quacumque adiretur hora, audiendo, eosque ad mutuam concordiam mira quadam dexteritate revocando,

Digitized by Google

Clericos, ac Religiosos summopere fovendo, omnesque, uno verbo, omnimode adjuvando. Probe sciens vigilantissimus Antistes plurimum ovibus prodesse oculum pastoris, civitatem, ac Dioecesim saepissime perlustrabat, atque sicubi forte malum zizaniae semen exortum fuisset, promptae vigilantiae sarculo illud radicitus convellebat. Quamplurimae autem aliae sunt res ab eo bene gestae, quae nostri Theobaldi nomen magis immortalitate dignum reddiderunt. Etenim an. 1309. interfuit Bononiae cum aliis Principibus, Concilio quod ibidem congregavit Arnaldus Diaconus Cardinalis S. Mariae in Porticu, ut urbs Ferrariensis, quam Veneti occupaverant, Sanctae Sedi restitueretur. Anno 1310. Modoetiae solemni caeremoniae adstitit, qua Henricus VII. imperiali corona redimitus fuit. Anno vero 1314. magna pompa transtulit ad Ecclesiam S. Stephani Malsesini sacras exuvias BB. Benigni, et Cari Augustinensium. Multas etiam edidit constitutiones, quas postea fere omnes, auctoris nomine suppresso, evulgavit Petrus Scaliger, qui post annos viginti ei in Episcopatu Veronensi successerat. Obiit Veronae nonagenario major, postquam Episcopalem Cathedram 24. fere annos tenuisset, ac quosdam egregios sermones ad Clerum, et ad populum, in lucem emisisset. Sepultus fuit apud suos in templo S. Euphemiae. A concivibus, et a scriptoribus fuit omni tempore titulo beati decoratus. Panvinio, Seripando, Herrerae, Pamphilo, aliisque Augustinianis scriptoribus Theobaldum laudantibus accedunt Bzovius, Ughellus, Franciscus Tiatus, et alii externi.

Digitized by Google

B. Thomas de Arimino.

Beatus Thomas de Arimino, in oppido S. Andreae de Patrigniano in territorio Ariminensi natus, a teneris annis pietati deditus, cum divina officia, atque conciones apud Augustinianos frequentare soleret, animae pericula, quibus hoc saeculum nequam undique scatet, perhorrescens, statuit monasticam vitam amplecti, ac se totum Deo mancipare in Ordine Eremitano, non quidem ut escam commodius ventri quaereret, sed duntaxat, ut facilius noxias Mundi illecebras devitaret, aeternaeque animae saluti securius prospiceret. Factus itaque laicus noster, ac dispensator constitutus, tantae miserationis erga pauperes extitit, ut quidquid clam coenobio subducere poterat, iisdem distribueret. Aliquando cum in Ariminensi conventu Capitulum provinciale celebrandum foret, ac propterea procurator necessariis esculentis penum instruxisset, videns Thomas insolitam cibariorum copiam, coepit multos panes cum multa hilaritate in pauperes distrahere. Animadvertens postea provisor panes deficere, Thomam rogavit ubinam illos reposuisset. Ipse vero quippe qui simpliciter ambulare solebat, seipsum excusare noluit, sed in Domino confidens, inducias sibi dari petivit, dicens velle se, Deo adjuvante, de singulis panibus rationem reddere. Postea ad locum orationis se recepit, ad deprecandum donorum omnium largitorem Dominum, ut sibi in tanta angustia propitius esse dignaretur. Qua peracta oratione ad cellarium remeans, invenit penum quam antea pleniorem panum recentiorum. Hoc cernens vir Dei totus in gratiarum actiones effusus, coepit laudare Domi-

Digitized by Google

num, qui precibus ipsius exoratus, pauperibus suis multiplicaverat escas. Itaque vocat interea provisorem, eique ostendit superfluentem panum abundantiam. Qui miraculum videns, statim agnovit Thomae sanctitatem, deditque laudem Deo, qui est mirabilis in sanctis suis. Hujus rei fama evulgata, omnes Thomam tamquam sanctum suspicere coeperunt; quare ad illum etiam aegrotos adducebant, ut precibus ejus sanitatem recuperarent, quos ipse signo Crucis pristinae incolumitati restituebat. Miraculis clarus obiit Arimini anno 1300. ob illibatam, quam per totam vitam servavit illaesam, puritatem Angelis merito comparandus. Aliqui contra Torellium, cui nos subscribimus, beatissimum illius transitum assignant anno 1353. atque pro his facere videtur sequens inscriptio, quae adhuc legitur supra imaginem Beati in pariete depictam intra quoddam sacellum Ariminensis Augustiniani coenobii, ut mihi testatus est eximius vir Alexander de Luca illius civitatis Vicarius Generalis: *In hoc sacello jacet corpus B. Thomae Foschini Arimin: August: obiit anno Domini* 1353. Olim illius festum celebrabatur die 1. Augusti, at nunc hic cultus omnino est obliteratus. Celebrant ex nostratibus Ariminensem nostrum BB. Henricus, et Jordanus, Herrera, Pamphilus, Crusenius, Romanus, Torellius, Elssius, et alii; de externis autem Raphael Adimarus in suo libro de situ Ariminensis civitatis

Fr. Thomas Borstallus.

Thomas Borstallus natione Anglus, patria Nordovicensis, vir fuit raro ingenio, summaque scientiarum addiscendarum cupiditate praeditus. In florentissimis Angliae Academiis, divinis humanisque litteris omni sedulitate egregiam operam navavit, adeoque in utrisque profecit, ut inter paucos connumerari promeruerit. Amplioris eruditionis studio Angliae littora reliquit, atque ad exteras regiones se contulit. In Galliam appulsus, Parisiis copiosum vehementissimae sciendi cupiditati pabulum suppeditavit; siquidem nil aliud quotidie agebat, quam in patria acquisitum cognitionum suarum thesaurum cumulatiorem efficiendo vacabat, scholas nimirum frequentando, bibliothecas perlustrando, cum Doctoribus saepe saepius disputando, atque cum melioris notae theologis scientificas consultationes, et collationes jugiter habendo. Haec agens talia cunctis amplissimae doctrinae argumenta praebuit, ut tum Sorbonici Doctoris infulas, tum publice Theologiam docendi munus in illa Academia obtinuerit. Postea vero in Angliam doctior quam abierat revertitur, atque duas ibidem Universitates instituit, in quibus ipsemet summo omnium plausu primas cathedras moderatus fuit. Tandem excellentissimus vir, de litteris optime meritus, valde laudabilem vitae suae cursum complevit circa annum 1290. fuitque penes nostrates Nordovici sepultus. Ipsum vixisse monumenta sunt haec quae sequuntur illius opera, videlicet: 1. *Lectura Sententiarum*, *lib.* 4. 2. *Ordinariae disceptationes*, *lib.* 1. 3. *Quodlibeta scholastica*, *lib.* 1. *et alia plura*. Commendant illum ex nostris

Pamphilus, Herrera, Crusenius, Stellartius, et Elssius; ex aliis autem Pitsaeus, et Possevinus.

B. Vitus de Hungaria.

Beatus Vitus de Hungaria Varadini regia stirpe natus, paternae domus amplitudine contempta, admodum juvenis ingenitae nobilitatis splendorem sub humilitatis modio intra Augustiniana claustra abscondere deliberavit. Itaque Eremitarum cucullo indutus, omnium virtutum ornatu clarescere coepit. Potissimum autem, uti notat noster B. Alphonsus de Orosco, praecellebat propter impensum quoddam humilitatis studium; quo solidissimo jacto fundamento, religiosae suae perfectionis fastigium altius erigere valuit. Conveniunt enim uno ore nostrates auctores, ipsum a suscepta Religione usque ad extremum suae vitae terminum humilitatis vestigia jugiter sectando, sanctissimae conversationis exempla fratribus dedisse. Quam praeclaram eximii viri sanctitatem post ipsius beatissimum transitum, qui contigit anno 1297. Deus insigni miraculo testatam voluit. Nam cum aliquando mortuus in eodem, in quo sanctissimum Viti corpus jacebat, loco repositus fuisset, is adinstar illius qui prophetae Elisei ossa tetigerat, ad contactum membrorum Viti statim *revixit, et stetit super pedes suos.* Praeterea refert noster Elssius, totam Hungariam ipsius intercessione non semel a contagio liberatam fuisse. Honestam de illo mentionem faciunt ex nostris B. Henricus, Romanus, Pamphilus, Coriolanus, Crusenius, B. Alphonsus de Orosco, et alii,

Digitized by Google

quibus accedunt Bzovius, Joannes Maseutius, Volaterranus, aliique externi.

B. Ugolinus de Gualdo Cathaneo.

Beatus Ugolinus, a loco nativitatis, de Gualdo Cathaneo (Umbriae oppido) appellatus, parentes habuit Mevaniates honestos et pios, a quibus maturo tempore per semitas christianae pietatis ambulare sedulo edoctus, evasit puer mirae, ac singularis probitatis. Cum illius esset aetatis, qua caeteri ut plurimum coaequales saeculi oblectamentis indulgere solent, ipse e contra terrena cuncta, raro utique juniorum exemplo, ex animo despiciens, soli Deo ac divinis jugiter incumbebat. Verum adolescens divina gratia praeventus, supernaeque lucis radiis illustratus, Mundi pericula summopere extimere coepit; quare ut ex iis incolumem seipsum servaret, intra septa Augustinianae Eremi se quamprimum recipere statuit. Factus itaque Augustinianus, mirum in modum virtutum suarum splendorem ampliavit et auxit, atque altius erexit jam in saeculo posita suae perfectionis fundamenta. Vix credi potest quam multiplici austeritatum genere innocens corpusculum excruciarit, quanta ciliciorum asperitate afflixerit, quam multo jejuniorum rigore extenuarit, quantaque demum vigiliarum insomnia debilitarit. At quoniam uti fert Evangelicum eloquium, *nihil est opertum, quod non reveletur*, ideo insignis Ugolini vitae sanctitas nequivit sub humilitatis modio latere, sed Deo ita disponente, ut praeclarissimae famuli sui virtutes caeteris

Digitized by Google

exemplo essent, et hortamento, illius fama non modo per Umbriae provinciam, verum etiam per totam fere Italiam longe lateque propagata fuit. Quare illius desiderio excitati Gualdenses, manibus pedibusque omnem lapidem moverunt, ut sanctissimum conterraneum suum in patriam revocarent. Adversabatur tamen communi ipsorum voto, Augustiniani coenobii in pago Gualdensi defectus. Verum quid non tunc temporis moliebantur Christifideles propter unius tantum coenobitae desiderium? Heu quam male mutata sunt tempora! Tunc pro fratribus recipiendis, singulae Catholici Orbis civitates et oppida certatim coenobia extruebant, nunc autem e contra per summam Religionis jacturam, pro iisdem ejiciendis, etiam ab antiquis extructa pessum mittuntur, aut saltem vilioribus usibus deputantur! Vae tamen illis qui aut caeco incredulitatis furore perciti, aut execrabili praediorum cupiditate capti, monachorum dispersioni utcumque se commiscent! Nam Deus ultionum Dominus, qui, quaecumque procedunt de ore suo, non facit irrita, his vindictam minatur dicens: *Nolite tangere christos meos.*

Itaque Gualdenses, ut optatissimum Ugolinum secum in patria habere possent, de coenobio Eremitanis providendo serio cogitarunt. Extabat tunc temporis in ipsorum oppido quoddam S. Benedicti nomine vocatum, monachis vacuum monasterium, quippe quod a Benedictinis Patribus paulo ante derelictum fuerat. Hoc ergo Gualdenses a Benedictinis impetratum, Augustinianis, Ugolini amore, donarunt. Quocirca Gualdum se contulit Ugolinus, municipes suos multo ipsis jucundissima sua praesentia exhilaraturus; quapropter omnibus ii laetitiis revera exhilarati, illum tamquam Angelum stantem inter

Digitized by Google

eos, summa veneratione et observantia prosequi coeperunt. Verumtamen parum diutinum fuit Gualdensium solatium; nam humanae jucunditatis invida mors, minus duobus annis, ipsorum gaudium, Ugolinum sustollendo, in luctum convertit. Is itaque ad Superos transiens, reliquit Gualdensibus, utique perpetuo colendam, sarcinam corporis sui, ut meritis cumulatissimam animam, procul dubio aeternae gloriae corona redimiendam, Domino restitueret. Transiit autem anno 1260. cum tanta opinione sanctitatis, ut et in peculiari loco sepeliri, et statim religioso cultu tamquam Beatus honorari meruerit. Iste autem cultus, etiam hisce nunc diebus, bina quotannis Festi celebratione Ugolino exhibetur. Sacrum ipsius corpus, duobus post obitum annis, Augustinensibus Patribus consentientibus, ad majorem Gualdi Ecclesiam a septem Episcopis solemni pompa translatum fuit, atque supra altare SS. Domini Praecursori dicatum, ut luculentius publicae Fidelium venerationi pateret, reconditum. Ex nostris consule Torellium, ex aliis autem Jacobillum, cui jure merito a toto Ordine, pro hujus Beati notitia, summa habenda est gratia.

APPENDIX.

Fr. Ancherius Pantaleon Card.

Ancherius Pantaleon Gallus, Urbani IV. nepos ex fratre, fuit S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis, qui obiit Romae anno 1286. Hunc Hieronymus Romanus

Digitized by Google

opinatur fuisse Augustinianum, suaeque opinionis testimonium affert ex Rodulpho de Tossignano, Ordinis S. Francisci, Episcopo Senogalliensi, qui de suo Urbevetano coenobio verba faciens haec habet: *Structuram absolvit B. Bonaventura ob singularem memoriam loci illius, ibi enim sacras litteras professus est una cum D. Thoma Aquinate, et Ancherio Gallo Ordinis Eremitarum S. Augustini Cardinali.* Vide Torellium, et Elssium.

B. Emmanuel de Coyna.

Beatus Emmanuel de Coyna Lusitanus, nobilis prosapia, vitae sanctimonia nobilior fuit. Hujus praeclarissimae virtutes illum coram Deo et hominibus spectabilem reddiderunt. Ostiarium in Ulyssiponensi coenobio cum ageret, quod munus tunc temporis nonnisi perfectioribus Religiosis tradebatur, quidquid ei ab hujusmodi officio vacabat temporis, totum illud in orationes impendebat. Inter orandum autem tanta divini amoris jucunditate absorbebatur, ut saepe saepius, cum a fratribus quaereretur, in ecstasim raptus reperiretur. Erga pauperes adeo tenera misericordiae viscera in pectore gestabat, ut siquando stips, quam petentibus erogaret, illi deesset, prae nimio animi dolore, uberes ei lacrymae ab oculis defluerent, quibus pauperes magis quam stipe contenti, libentissimi abscedebant. Prae caeteris tamen egregiis ipsius virtutibus praecipuam laudem sibi vindicat singularis ipsius humilitas, qua in omnibus erat omnibus admonitioni et exemplo. Desiit florere inter homines, ut fulgere inciperet inter Coelites, anno 1280.

Digitized by Google

Quamvis autem, ut supra notavimus, ostiarii officio fungeretur, Sacerdotii tamen dignitate praefulgebat, nam illis temporibus, in quibus major quam nunc in claustris humilitas vigebat, ipsi quoque Sacerdotes janitoris munus exercebant. Vide nostrates Antonium de Purificatione, et Torellium.

Fr. Gualterus Burlaeus

Frater Gualterus Bürlaeus Anglus, Oxoniensis, et Parisiensis sacrae Theologiae Doctor famosissimus fuit. Vir praestantissimi ingenii, omnigena eruditione supra modum imbutus, philosophicarum disciplinarum peritia potissimum praeeminebat; quapropter omnium sui aevi philosophorum princeps, praesertim in Anglia, jure meritoque appellari potest. Multa sunt, atque propemodum infinita, quae de rebus ut plurimum philosophicis egregie conscripsit, ut videre licet apud Elssium, et Gandolphum, aliosque nostrates. Fuit Parisiis discipulus subtilis Doctoris Joannis Scoti, quem tamen postea in Anglia acerrime oppugnavit. Fuisse Augustinianum testatur ipsi coaevus celeberrimus noster B. Alphonsus Vargas Toletanus, prius Uxamensis Episcopus, ac deinde Archiepiscopus Hispalensis, contra quem tamen facit Pitsaeus affirmans illum fuisse presbyterum saecularem. Florebat autem circa annum 1337. Opera, quae composuit, sunt: *I. In artem veterem Porphyrii, et Aristotelis, videlicet in lib. Praedicamentorum etc.* 2. *Super lib. Posteriorum.* 3. *Super decem libros Ethicorum Aristotelis.* 4. *In Phisicam Aristotelis expo-*

Digitized by Google

sitio, et quaestiones, ac etiam quaestio de primo, et ultimo instanti. 5. *De intensione, et remissione formarum.* 6. *De vitis, et moribus philosophorum lib.* 1. 7. *Tractatus de materia, et forma, et relativis.* Quae omnia typis impressa fuerunt. 8. *Super libros Politicorum.* 9. *De substantia Orbis.* 10. *De intellectu agente etc.* 11. *In Mag. Sent. lib.* 4. 12. *In Isagogen Porphirii lib.* 1. 13. *De Coelo, et Mundo lib.* 4. 14. *In Arist. de anima lib.* 3. 15. *De longitudine, et brevitate vitae lib.* 2. 16. *De quinque sensibus lib.* 1. 17. *De motu animalium lib.* 1. 18. *De fluxu et refluxu maris Anglicani lib.* 1. 19. *Problemata Arist. lib.* 1. 20. *De mixtione elementorum lib.* 1. 21. *De sensibus interioribus lib.* 1. 22. *De tribus agentibus lib.* 2. 23. *Quaest. in Ethicam lib.* 10. 24. *De divisione entis lib.* 1. 25. *De divisione scientiarum lib* 1. *et alia plura.*

Fr. Guilelmus Durantes.

Frater Guilelmus Durantes Gallus, nobili genere ortus, ob raram ingenii subtilitatem *Speculatoris* nomen accepit. Quippe qui sapientissimos praeceptores habuit Bernardum Compostellanum, et Henricum postea Cardinalem Hostiensem, juris civilis, et canonici peritissimus evasit. Doctoralem lauream Bononiae consecutus, Mutinae postea summa cum laude docuit. In forensibus quaestionibus ad praxim revocandis adeo excellebat, ut *Pater praxis* vulgo diceretur. Fuit etiam Ecclesiasticarum caeremoniarum scientissimus, de quibus, quemadmodum et de rebus ad jus utrumque spectantibus, non paucos accuratissimos libros

Digitized by Google

in lucem emisit. Celebris est ipsius sententia de re Sacramentaria: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus.* A Nicolao III. Patrimonii Gubernator, ac insuper a Martino IV. in Umbria, et Romandiola publici aerarii custos, et militiae praefectus constitutus, plurima memoratu digna perfecit. Quosdam tyrannos ecclesiastica dominia usurpantes, ad aequitatis officia servanda armorum vi adegit; quamobrem nedum calamum exercendi scientia, verum etiam ensem tractandi peritia, atque politica negotia gerendi dexteritate se praeditum fuisse ostendit. Anno 1286. Episcopus Mimatis in Gallia inauguratus, hanc dignitatem digne sustinuit. Obiit Nicosiae in insula Cypri dum Bonifacii VIII. legatus ad Turcarum Imperatorem navigaret. Quidam Augustinianum, alii vero Dominicanum, nonnulli demum neutrum illum fuisse putant. Vide Elssium, et Gandolphum. Egregia opera, quae posteris reliquit, sunt: 1. *Speculum juris in tria volumina distinctum etc.* 2. *Repertorium juris decerptum fere ex Speculo.* 3. *Rationale Divinorum Officiorum in lib.* 8. *distinctum.* 4. *Comment. in canones Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. celebrati.* 5. *Breviarium glossarum, et textuum Juris Canonici, et alia. Praefata omnia sunt typis impressa.*

Fr. Joannes Ridevallus.

Frater Joannes Ridevallus Anglus, sacrae Theologiae Oxoniensis Doctor, vir fuit, ut ait Elssius, omni virtutis et doctrinae laude florens. Jam inde a puero la-

Digitized by Google

tinae linguae venustatem atque elegantiam ita deperire coepit, ut peramoenum illius studium semper, quoad vixit, impense coluerit. Nam licet jam provectus aetate, totum se ad graviores disciplinas potiendas converterit, nunquam tamen jucundissimas sibi litterarum humanarum delicias penitus dereliquit, sed ad laetissima ipsarum vireta identidem oblectamenti gratia se recipiebat, venustiores ibidem flosculos seligere, quorum suavissima lenitate, nimiam sublimiorum scientiarum severitatem, temperaret quodammodo, atque demulceret. Hinc fit ut multa quae ad Theologiam spectantia scripta exaravit, Poesis, Historiae, atque Rectoricae amoenitatem redoleant, et sic multiplici quadam, eaque apte, ornateque disposita variarum rerum commixtione, legentis animum magis delectent, eumque ad prosequendum efficacius alliciant. Quoniam autem omnigena eruditione ornatus praefulgebat, ita multos classicos auctores tum antiquos tum recentes, tum sacros, tum profanos, excellentissimis commentariis illustravit, omnia, ut erat homo mirae probitatis, vel ad amorem virtuti, vel ad odium vitio conciliandum convertens. Quidam putant praestantissimum virum fuisse nostratem, ut Pamphilus, et Pitsaeus accuratissimus Angliae scriptorum laudator; alii e contra Franciscanum illum existimant, ut Willotus, et Vadingus Minoritae. Quapropter eximius noster Nicasius Baxius Antuerpiensis in suis poematibus verba ad Joannem dirigens, de hac controversia ita lepide cecinit:

FUNICULIS TRAHERIS, TRAHERIS QUOQUE PELLIBUS IDEM,
DE TE LIS ETIAM, SED PIA, NATA FUIT.
AT TU, SPERAMUS, SUPERA REGIONE BEATUS,
NE FIAS HORUM NEUTER, UTRUMQUE CUPIS.

Digitized by Google

Scripta ejus sunt: 1. *Super Cantica Canticorum lib.* 1. 2. *Tractatus super Fulgentio de virtutibus, et vitiis sub imaginibus Deorum, et Dearum, quos olim coluit vana superstitio Paganorum, seu melius: In Mytologicon Fulgentii lib. tres.* 3. *In Valerium Maximum lib.* 1. 4. *Moralis expositio in Ovidii Metamorphosim.* 5. *Quaestiones ordinariae* 8. 6. *Super Psalterium lib.* 1. 7. *In Evangelium D. Joannis lib.* 1. 8. *In S. P. Augustinum de Civitate Dei lib.* 22. 9. *Lectionum Scripturarum lib.* 1. 10. *In Epist. D. Pauli lib.* 14. 11. *De non ducenda uxore lib.* 1. 12. *Sermonum per annum lib.* 1. *et alia plurima.*

S. Richardus Rollus.

Sanctus Richardus Rollus Hampolitanus, a nonnullis Pampolitanus male appellatus, vero cognomine Rollus, gente Anglus, patria Eboracensis, Theologiae Doctor, Ordinis Sancti Augustini Eremita, prope coenobium Sanctimonialium Hampolense, quatuor milliaribus a Duncastro in agro Eboracensi dissitum, vitam egit eremiticam. Obiit anno 1349. in festo S. Michaelis, fuitque in monasterio Hampolensi sepultus. Sancti titulum apud populares suos post obitum sortitus videtur. Habetur enim M. S. in bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii A. 25. Officium S. Richardi Hampolae Eremitae, in quo de vita et miraculis ejus agitur. Haec sunt genuina verba eruditissimi Henrici Warthon in appendice ad Guilelmi Cave opus de Script. pag. 24. ut notat Gandolphus. Quamvis autem ex allato testimonio luce meridiana pateat hunc

Digitized by Google

Richardum revera fuisse Augustinianum, quia tamen Balaeus, et Pitsaeus in catalogo scriptorum Angliae de illius Augustiniana professione omnino silent, ideo noster Herrera utrum Richardus iste ad nos pertineat, necne, anceps haeret. Fuit autem Hampolitanus noster vir vere magnus sanctitate, et scientia: sanctitate, quia nimiam Mundi corruptelam exosam habens, in solitudinem secessit, ibique in summa vitae austeritate, atque assidua spiritualium operum exercitatione usque ad extremum vitae spiritum constans perseveravit: scientia autem, quia innumera, eaque egregia, ut plurimum de divinis, opera composuit, quorum pleraque solida doctrina, ac mira eruditione, omnia vero saluberrimis pietatis, christianaeque perfectionis praeceptis, ac suavissima quadam spiritus dulcedine referta sunt. Ad meliorem autem vitam transmigravit anno 1349. miraculis clarus. Vide ex nostris Torellium, Elssium, Gandolphum, et alios. Scripta, quibus se inter homines vixisse ostendit, sunt: 1. *In Psalterium Davidicum enarrationes.* 2. *In Psalmum* 20. *tractatus peculiaris.* 3. *In aliquot capita Job, Threnos Jeremiae, Orationem Dominicam, et Symbolum Athanasii enarrationes.* 4. *De incendio amoris, deque amore summo, et singulari.* 5. *De emendatione peccatoris.* Haec omnia habentur typis impressa. Scripsit alia plura, prout videre est apud Elssium, et Gandolphum.

Digitized by Google

Fr. Robertus Eliphatus.

Frater Robertus Eliphatus, natione Anglus, Parisiis sub celebratissimo nostro Gregorio de Arimino divinis litteris operam dedit. Sub tali magistro vir praecellentis ingenii mirum profectum fecit, evasitque eruditissimus Parisiensis sacrae Theologiae Doctor. Deinde tum Lutetiae, tum Oxonii acutissimis scholasticis concertationibus magnum omnium plausum sibi acquisivit, quo haudquaquam indignum fuisse satis superque declararunt doctissimae lucubrationes, quas copiose in Magistrum Sententiarum evulgavit. Quidam scripserunt Eliphatum istum fuisse Archiepiscopum Armachanum in Hibernia, nec defuerunt qui dempta Augustiniana, illum Franciscana tunica in suis scriptis induerint. Vide nostrates Herreram, Torellium, et Elssium; ex aliis autem saepe laudatum Pitsaeum. Florebat circa annum 1340. Scripsit autem: 1. *Super Mag. Sent. lib.* 4. 2. *Lecturas theologicas, lib.* 1. 3. *Conclusiones ordinarias, lib* 1.

PRAETERMISSI

Frater Alanus de Tifedale Scotus, Romae factus Augustinianus, in patriam reversus, doctissimis scriptis, ut testatur Thomas Dempsterus, se commendatissimum reddidit circa annum 1321.

Digitized by Google

Frater Alexander de Marchia, alius ab Alexandro de S. Elpidio, insignis admodum theologus, qui in primum Sententiarum egregia commentaria conscripsit, florebat anno 1336.

Frater Alexander de Vergh Teutonicus, theologus valde clarus, qui suis commentariis Sententiarum Magistrum illustravit, et cujus placita non semel eximius noster Thomas de Argentina in medium protulit, claruit circa annum 1336.

Frater Alphonsus de Portugallia, celebris Theologiae Doctor, qui Magistrum egregie est interpretatus, et cujus sententiae passim citantur a praeclarissimo nostrate Archiepiscopo Hispalensi Alphonso de Toleto, floruit anno 1345.

Venerabilis Andreas Muccafori de Cascia, qui ad Fidem Turcarum genti praedicandam profectus, horum infidelium plurimos apostolici zeli fervore Christo lucrifecit, floruit circa annum 1344.

Frater Ursinus Italus, fuit Sanctorum Patrum interpres, atque theologicae facultatis Decanus in Academia Ulyssiponensi, cujus supremum regimen a Rege Dionysio sibi sponte oblatum, ultro prae humilitate recusavit anno 1290.

Frater Angelus Portenarius, anno 1332. in lucem emisit libros de felicitate urbis Patavinae.

Frater Anselmus Baro de Politz Germanus, anno 1285. successit Incelerio ejusdem nostri Ordinis in Episcopatu Budensi in Hungaria. Hic annos amplius triginta suam rexit Ecclesiam, *multorum millium Catholicorum*, ut ait Elssius, *conservatione*, atque Ordini nostro tredecim monasteria, et parochias quinquaginta septem adjunxit. Obiit anno 1315.

Digitized by Google

Beatus Antonius de Interamna, sanctitate florebat circa annum 1287.

Venerabilis Arsenius de Senis, vir pietate insignis, Prior Coenobii S. Germani, atque Confessor B. Bartoli tertii Ordinis S. Francisci, floruit circa annum 1280.

Beatus Artuagus de Gocia, de quo Ambrosius Coriolanus haec habet: *B. Artuagus de Gocia totam illam patriam miraculis illustravit*, vivebat circa annum 1317.

Venerabilis Augustinus de Alentejo Lusitanus, toto vitae suae tempore omnigena virtute, ac praesertim humilitate enituit. Is aliquot annis antequam ex hac vita migraret, coram multis fratribus suae mortis diem praenuntiavit. Obiit autem anno 1280.

Frater Augustinus Bellus, Rector Academiae Ulysipponensis, vir egregie doctus, morumque probitate conspicuus, fuit adeo humilis, ut Episcopatum ab Alphonso IV. Lusitaniae Rege sibi oblatum recusarit. Scripsit, ut ait noster Antonius de Purificatione, quatuor volumina, sed ignoratur de qua materia. Florebat circa annum 1350.

Beatus Augustinus de Teramo, qui cum Novello confundi non debet, claruit circa annum 1290.

Beatus Bartholomaeus de Palazzolo, Italus, vir pietate, et miraculis insignis, floruit anno 1262. Ita Elssius.

Frater Bartholomaeus de Viterbio, de quo Seripandus haec habet: *Magister frater Bartholomaeus de Viterbio Augustini Anconitani discipulus his temporibus suis luculentissimis scriptis Ordinem nostrum illustravit*, florebat circa annum 1334. Hunc laudat etiam Ciacconius.

Frater Bernardinus Anglus, vir admodum eruditus, uti refert Herrera, varia egregia opera composuit. Florebat circa annum 1346.

Digitized by Google

Beatus Bonifacius de Mediolano, magnae innocentiae exemplum, florebat circa annum 1300.

Beatus Bonifacius de Savona, omnium virtutum genere illustris, divinarum rerum contemplatione conspicuus, erga aegrotos sollicitudine et caritate insignis, floruit circa annum 1297.

Venerabilis Bonus Senensis, adeo praeclaris bonorum operum exemplis suo tempore refulgebat, ut semper exactioris observantiae coenobiorum Prior constitueretur. B. Augustini Novelli amantissimus, illum semper in eodem coenobio secum habere voluit. Degebat inter vivos anno 1280. sanctitatis opinione clarus.

Frater David Gallus, sacrae Theologiae Doctor, scientia atque vitae integritate clarus, post Galliae Provincialatum optime gestum, fit Episcopus Rocensis, atque variis deinde legationibus a suo Rege nunc in Burgundiam, nunc autem in Brabantiam honoratur. Florebat anno 1327.

Venerabilis Eberhardus Germanus, mirificus sui aevi concionator, ad cujus conciones, ut testatur Matthaeus Marescalcus, amplius centena hominum millia turmatim confluebant, a quadam sorore veneni propinatione de medio sublatus fuit. Zelo ac pietate conspicuus claruit usque ad annum 1285.

Beatus Evangelista de Bugiola, fuit humilitatis, patientiae, regularis observantiae, omniumque virtutum singulare exemplar. Vixit circa annum 1300.

Beatus Finus de Pisis, a Panvinio Noradinus dictus, Conventus S. Euphemiae Veronensis conditor, sanctitatis fama splendebat circa annum 1262.

Venerabilis Franciscus Salelles Hispanus, vir fuit

Digitized by Google

religiosus ac pius, atque in sua Aragoniae provincia complurium coenobiorum aedificator. Obiit plenus meritis Valentiae in coenobio a seipso extructo, anno 1310. valde senex, fuitque ob sanctitatis opinionem in sepulcro peculiari conditus, atque inde postea anno 1369. ad nobiliorem locum translatus.

Frater Gerardus Italus natione, provinciae Lusitaniae membrum illustre, primarius Theologiae Lector in Ulyssiponensi Athenaeo, atque ejusdem Rector, circa annum 1350. duo volumina evulgavit.

Frater Gregorius de Cremona, vir admodum doctus, varios, uti notat Elssius, egregie scripsit sermones festivos. Laudatur etiam ab Herrera, et Possevino.

Frater Guido Salanus Italus, vir Augustinianae Religionis zelo, pietatisque operibus clarus, in Germaniam a B. Lanfranco missus, ut illa coenobia unito Ordini aggregaret, hanc provinciam optime gessit, magno utique Eremitanae Familiae incremento. In vivis adhuc agebat circa annum 1263.

Frater Guilelmus de Lignago, theologus illustris, erudite scripsit in 4. lib. Sententiarum. Nominatur etiam a Possevino. Ordinem illustrabat circa annum 1350.

Frater Henricus de Gandavo, vir multae doctrinae, qui magnum atque egregium subtilium quaestionum volumen in Ethicam Aristotelis conscripsit, florebat circa annum 1310.

Frater Henricus Pavo Germanus, vir fuit magnae religionis, qui trina S. Martini apparitione admonitus et excitatus, Augustinianum Magdeburgense coenobium aedificavit. Florebat insigni vitae sanctitate circa annum 1282.

Frater Jacobus Pragensis circa annum 1270 in

Digitized by Google

Bohemia florebat. Is cum Placido nostrate Episcopo Andrensi in Concilio Lugdunensi II. anno 1274. Graecos confutavit.

Frater Joannes de Alorio, quem valde a doctrina commendat Ciacconius in Joanne XXII, claruit circa annum 1328.

Beatus Joannes de Anglia diversus a B. Joanne Senghamo, vir magnae sanctitatis circa annum 1300. Ordinem nostrum illustravit.

Frater Joannes Forestarius Gallus, Doctor ingentis famae, scripsit aliquot egregia commentaria in Magistrum Sententiarum, quae ab eximio nostro B. Alphonso Toletano Hispalensi Archiepiscopo in suis operibus citantur. Florebat circa annum 1342.

Frater Joannes de Lignicio, Bohemiae civitate, circa annum 1353. in Pragensi Athenaeo summa doctrina se commendatissimum reddidit.

Frater Joannes Miramanda Tolosanus, vir eruditione, morumque probitate laudabilis, atque praeclaro ingenio praeditus, scripsit, ut ait Elssius, copiose, profunde, ac subtilissime: 1. *Super primum Sententiarum lib.* 1. 2. *De quatuor virtutibus lib.* 1. 3. *In Evang. Matthaei lib.* 1. *et alia quaedam.*

Frater Joannes de Sulmone, insignis theologus, qui, uti referunt nostrates Hieronymus Romanus, et Felix Milensius, tria valde accurata opera composuit, nempe de jejunio, in Cantica Canticorum, et Apocalypsim, degebat inter vivos anno 1341.

Frater Leonardus de Viterbio, vir sacrarum litterarum scientia valde conspicuus, magister fuit celebratissimi B. Augustini Triumphi de Ancona. Is postquam pro-

Digitized by Google

vinciae Romanae Provincialatum optime jam gessisset, annis 1283, et 1284. Vicarium generalem totius Ordinis egit, mortuo, Francisco Regiensi Generali. Ob praeclara sua merita fuit Romanae Curiae Praelatis acceptissimus.

Frater Lucas de Messana, vir admodum doctus, circa annum 1342. scripsit commentaria in primum Sententiarum.

Frater Marcus Ventonus Italus, vir zelo, ac pietate fervens, a B. Lanfranco statim post generalem Ordinis unionem missus fuit in Galliam, ut illius regionis coenobia ad praefatam unionem redigeret, aliisque extructis domibus, Augustinianum Ordinem latius propagaret.

Matthaeus de Pagis, Nobilis Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, et excellentissimus sui aevi concionator, qui sua doctissimas conciones publici juris fecit, obiit Mediolani anno 1354.

Frater Michael Calergius, Nobilis Venetus, vir magnae doctrinae ac mirae prudentiae, anno 1332. creatur patriae Episcopus. De hoc eximio Praesule praeclare loquuntur Leander Alberti Dominicanus, Stephanus Lusignani ejusdem Ordinis, Claudius Robertus, Ferdinandus Ughellus, et alii. Claruit circa annum 1336.

Frater Nicolaus de Bohemia, vir fuit vere Apostolicus, qui, ut fere ipsissimis verbis utar Clementis VI. in sua Bulla anno sui Pontificatus secundo ad illum data, (1344) longis temporibus vixit inter infideles in partibus transmarinis, causa seminandi Evangelicum semen, ac postea ad Europam reversus, iterum ad castra cum aliis Augustinianis redivit, accepta prius a laudato Pontifice facultate ubique eorum locorum, Eremitani Ordinis coenobia fundandi.

Digitized by Google

Frater Paschasius Dareta Italus, unus fuit ex iis, qui B. Lanfrancum in nogotio unionis expediendo adjuvarunt. In Hispaniam propterea missus, praefatam unionem ibidem egregie complevit. Florebat zelo ac pietate circa annum 1256.

Beatus Paulus, dictus Paulus secundus, vitae sanctimonia clarebat in Eremitorio Ilicetano circa annum 1256. Adeo Paulum primum Eremitam imitatus fuit, ut Pauli secundi nomen apud omnes sibi acquisierit.

Beatus Peregrinus ab Auximo, fervens ac bonus famulus Dei, quem e Purgatorii poenis una cum multis aliis S. Nicolaus Tolentinas, dum in conventu Vallis-Manentis prope Pisaurum degeret, septenaria incruenti Sacrificii litatione liberavit, floruit tempore ejusdem Divi Nicolai.

Frater Petrus Mainanus Mediolanensis, theologus, et concionator eximius, qui quosdam de temporibus sermones egregie lucubravit, florebat anno 1341.

Frater Petrus de Monte-Rubiano, sacrae Theologiae Lector, S. Nicolao Tolentinati coaevus, ejus vitam devoto stilo ut est apud Surium, conscripsit circa annum 1326.

Frater Philippus Lucensis, concionator valde clarus, nobiliumque disciplinarum scientia conspicuus, anno 1312. a Clemente V. assumitur ad Episcopatum Aquilanum. Cathedrale templum a fundamentis erexit, atque postquam quindecim annos pastorale pedum magna industria gestasset, tandem Lucae fatis concessit, ejusque corpus apud nostrates sepultum fuit.

Frater Simon a Cruce Lusitanus, sub Dionysio, et Alphonso Regibus, Rector Academiae Ulyssipanensis, Dio-

Digitized by Google

nysii Regis confessarius et Alphonsi IV. circa annum 1330. concionator, nec non in praefato Athenaeo sacrae Theologiae professor.

Et alii sunt insignes doctrina atque pietate viri praetermissi, qui videri possunt apud Augustinianos auctores, ac praesertim Herreram, Torellium, et Elssium.

CATALOGUS PRIORUM GENERALIUM QUI PRIMO SAECULO POST UNIONEM ORDINEM MODERATI SUNT.

Anno 1256. B. Lanfrancus fuit primus Ord. Gen. electus ab Emo Richardo S. Angeli Cardinali, auctoritate Summi Pontificis Alexandri IV. in Capitulo unionis Romae habito in coenobio S. Mariae de Populo.

1265. Lanfranco vita functo, Capitulum generale celebratum hoc eodem anno in praefato coenobio S. Mariae de Populo, suffecit virum vitae sanctimonia praeclarum B. Guidonem Antoniani de Stagio provinciae Senensis, interposita prius aliquantula intercapedine sub Apostolico Generali Vicario.

1269. Guidoni e vivis sublato successit B. Clemens ab Auximo, electus die 12. Maii in Capitulo generali Urbeveteri celebrato, Apostolica Sede vacante.

1274. In Capitulo generali Lugduni congregato, invitus ac reluctans B. Clemens in officio confirmatur. At postea eodem anno in Italiam reversus, convocat Patres Molariam in agro Tusculano, ibique universis nequicquam obsistentibus, se a Generalatu abdicavit; qua-

Digitized by Google

propter in ejus locum suffectus fuit V. Franciscus de Regio.

1277. Apostolica Sede vacante, Viterbii fit Capitulum generale, in quo idem V. Franciscus de Regio confirmatur.

1281. Agitur Capitulum generale Patavii, ibique praefatus V. Franciscus de Regio in Generalatu retinetur.

1284. Mortuo V. Francisco de Regio, in comitiis generalibus Urbeveteri habitis, B. Clementi ab Auximo Religionis habenae iterum traduntur.

1287. Florentiae Patres coadunati eumdem B. Clementem confirmarunt.

1290. Idipsum accidit in Capitulo Ratisbonae celebrato.

1292. Clementi anno 1291. vita functo successit Paulus Perusinus nomine Vicarii generalis, quo item, post annum nondum expletum, e vivis sublato, praefato anno 1292. cogitur Patrum conventus in coenobio S. Mariae de Populo, ibique Aegidius Columna Generalis renuntiatur.

1295. Aegidio ad Archiepiscopatum Bituricensem evecto, in comitiis generalibus Senis in Tuscia habitis sufficitur V. Simon de Pistorio, vir, ut ait Elssius, sanctus, grandaevus, omni reverentia dignus, et admirandae prudentiae.

1298. Celebratur Capitulum Mediolani, in quo ultro dimissum a Simone Ordinis regimen B. Augustinus Novellus suscepit.

1300. Post biennium Augustinus officio se abdicavit, ac proinde Patres Neapoli congregati, elegerunt Franciscum de Monte-Rubiano Picenum, virum ob rerum agendarum dexteritatem, atque regularis disciplinae obser-

Digitized by Google

vantiam, omni commendatione dignum. Hoc Capitulum Carolus II. Neapolitanus Rex cum uxore, filiis, cunctisque aulicis ministris, sua praesentia honestavit.

1303. Perusiae idem Franciscus confirmatur.

1306. Bononiae iterum Franciscus in officio retinetur.

1308. Mortuo Francisco Gandavi in Flandria, Patres Genuae congregati elegerunt Priorem Generalem Fr. Jacobum Ortanum, Doctorem Parisiensem, virum magnae probitatis, et doctrinae, qui summa prudentia, et aequitate quatuor annos Ordinem gubernavit. Gubernavit autem ultra triennium, eo quia Capitulum subsequens dilatum fuit ob Concilium Generale Viennense, ad quod primores Patres accesserant.

1312. Viterbii Ordinis gubernaculum accepit Alexander a S. Elpidio

1315. Patavii Religionis habenae in manibus Alexandri relinquuntur.

1318. Item Arimini.

1321. Celebratur Capitulum generale Tarvisii, neque in hoc quidem ablatus fuit Religionis clavus de manibus Alexandri.

1324. Conveniunt Patres Montem-Pesulanum in Gallia Narbonensi, atque ibidem etiam Alexandro Ordinis regimen conservatur.

1326. Alexandro ad Episcopatum assumpto, successit Guilelmus de Cremona a Patribus electus in Capitulo generali Florentiae celebrato.

1329. Parisiis Guilelmus confirmatur.

1332. Iterum Venetiis.

1335. Similiter Grassae in provincia Provinciae.

1338. Item Senis in Tuscia.

Digitized by Google

1341. Tandem quinto Tolosae in Gallia Guilelmus in officio retinetur.

1343. Eyecto Guilelmo ad Episcopatum Novariensem, in Capitulo generali Mediolanensi electus fuit Generalis V. Dionysius de Mutina.

1345. Dionysio vita functo, Parisiis eligitur celeberrimus theologus Thomas de Argentina.

1348. Papiae in Ordinis fastigio Thomas remansit.

1351 Item Basileae.

1354. Tertio tandem Perusiae idem Thomas confirmatur.

SACRARII PONTIFICII PRAEFECTI.

Hanc sublimem dignitatem contulit Augustiniano Ordini SS. Dominus Joannes XXII. anno 1316. adnectens huic muneri alia duo honorificentissima officia, nimirum bibliothecarii, et confessarii Apostolici, quae tamen Sacristae remanserunt tantummodo usque ad Sixtum IV. (1472) Itaque anno 1316. primus Sacrista, confessarius Pontificis, ac bibliothecarius ex Ordine Augustiniano, fuit doctissimus Magister Fr. Joannes Lemovicensis provinciae Aquitaniae, qui 30. circiter annos inservivit.

1346. Joanni defuncto successit Raymundus de Accono, item Gallus, a Clemente VI. primum Forojuliensis in Provincia, et postea Apamiensis apud Volcas Episcopus creatus. Exercuit tria praefata munia sub Clemente VI, Innocentio VI, et Urbano V. usque ad annum 1366. quo propter senium ad suam Sedem Apamiarum recessit.

Digitized by Google

CARDINALES, PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI AUGUSTINIANI PRIMI SAECULI POST UNIONEM.

Aegidius Columna Card. Arch. Bituricensis, anno 1295.
Aegidius de Blasio Cortonensis, Episcopus Vicentiae, 1348.
Alexander de S. Elpidio, Episc. Melphetanus, 1325.
Alphonsus Vargas Toletanus, Episc. Uxamensis, 1350, ac postea Arch. Hispalensis.
Ambrosius Episcopus Caesenae, 1326.
Andreas Episcopus Andriae, 1349.
Angelus de Camerino, Episc. Calliensis, 1295.
Anselmus Baro de Politz, Episc. Budae in Hungaria, 1285.
Augustinus Finaccius, Episcopus Narniensis, 1343.
Augustinus Episcopus Civitatis Novae in Istria, 1284.
Bartholomaeus de Urbino, Episc. ejusdem civitatis, 1347.
Benedictus de Asculo, patriae Episcopus, 1322.
Benedictus Icenus, Episcopus Cardicensis, 1340.
Bernardus Agerius, Episcopus Caleni in Campania, 1347.
Bernardus Martellinus, Episcopus Caesenae, 1342.
Bernardus Oliverius, Episc. Dertusae in Catalaunia, 1346.
Bonifacius Episcopus Bosoniensis, et Suffraganeus Tridentinus, 1286.
Conradus filius Guidonis Comitis de Monte-Feltrio, Episcopus Urbini, 1309.
David Gallus, Episc. Rocensis, 1327.
Dionysius a Burgo S. Sepulcri, Episc. Monopolis, 1339.
Franciscus Crespi de Messana, Arch. Siponti, 1352.
Franciscus Onius, Episc. Fescenniae, 1331.
Galfridus Grandfeldius Anglus, Episc. Fernensis, 1347.

Digitized by Google

Gerardus de Bergomo , Episc. Savonensis , 1342.
Gerardus Orlandini de Pisis, Episc. Aleriae in Corsica, 1322.
Gregorius Bonfigli Senensis, Episcopus Castrensis in Patrimonio S. Petri, 1311.
Gualterus de Faventia, Episc. ejusdem urbis, 1256.
Guido Salani Bononiensis, Patriarcha Gradensis, 1288.
Guilelmus Arcombaldi, Episc. Aleriae, 1343.
Guilelmus de Cremona, Episc. Novariae, 1342.
Hulricus de Lentzburg, Episc. Curiensis, 1332.
Jacobus Bohemus, Episc. Mainensis, 1274.
Jacobus de Bononia, Episc. Pavidensis, 1309.
Jacobus de Perusia, Episc. Terracinae, 1352.
Jacobus de Viterbio, Arch. Neapolis, 1303.
Imerius Episcopus Acciensis, 1274.
Incelerius Episcopus Budae in Hungaria, 1285.
Joannes Anconitanus, Episc. Senogalliensis, 1338.
Joannes Episcopus Lavacensis in Hungaria, 1314.
Joannes Episcopus Vestarum, 1303.
Joannes de Monte-Politiano, Episc. Vulturariensis in Regno Neapolitano, 1353.
Joannes Novoforensis, Episc. Olmuciensis, 1342.
Joannes Pagnotta, Episc. Anagniae, 1330.
Joannes Recz, Episc Coromacensis in Hungaria, 1313.
Joannes Tedeschi, Episc. Anconae, 1349.
Joannes Vergoni, Episc. Sutrinus, 1342.
Ladislaus Sbrovolki, Episc. Lavacensis, 1314.
Matthaeus Eschini de Spoleto, Episc. Faventiae, 1300.
Michael Calergius, Episc. Venetiarum, 1332.
Michael de Tridento, Episc. Rossanensis, et Suffraganeus Tridentinus, 1271.
Natumbenius de Septempeda, Episc. Abellini, 1326.

Digitized by Google

Nicolaus de Pisis, Episc. Aesii, 1349.
Octavianus de Callio, Episc. ejusdem civitatis, 1295.
Petrus de Argentina, Episc. Bovini, 1354.
Placidus Episcopus Andrensis, 1274.
Petrus Episcopus Castrensis in Patrimonio S. Petri, 1321.
Petrus Bruniquellus, Episc. Civitatis-Novae in Istria, 1311.
Petrus Narniensis, Arch. Regii in Calabria, 1321.
Petrus de Rechas, Episc. Asturicensis, 1271.
Philippus Lucensis, Episc. Aquilanus, 1312.
Philippus Episcopus Senogalliensis, 1271.
Raymundus de Accono, Episc. Forojuliensis in Provincia, 1346.
Raymundus Episcopus Juvenacii, 1350.
Remigius Florentinus, Episc. Pistoriensis, 1356.
Remigius Episc. Comacli, 1349.
Robertus Episcopus Fossae-Clodiae in regione Veneta, 1302.
Robertus Worsopus, Episc. in Anglia, 1350.
Robertus Episcopus S. Angeli Longobardorum, 1348.
Stephanus Forestus, Arch. Strigonii, 1312.
Theobaldus Episcopus Veronensis, 1298.
Tholomaeus Episcopus Bardanensis, alias Buduensis, 1274.
Thomas de Rocca Mathelicensis, Episc. Senogalliensis, 1329.
Vitalis Grachus de Pisis, Episc. Adiacii in Corsica, 1322.
Ugo Labaila, Episc. Telonis Martii in Provincia, 1345.
Et alii alibi. Vide Horreram, Torellium, Elssium, atque Ughellum.

Digitized by Google

SANCTIMONIALES AUGUSTINIANAE, QUAE HOC PRIMO SAECULO EREMITANUM ORDINEM SANCTITATIS GLORIA HONESTARUNT.

B. Christiana de S. Cruce Hetrusca, spiritu prophetiae illustris, et miraculis clara, obiit anno 1310. Hujus Festum die 18. Februarii in Ordine celebratur.

B. Christina de Monte Falco B. Clarae discipula, quae insignis pietatis merito beatae nomen obtinuit. Hujus ad claustrum divinam vocationem, eadem B. Clara dum Christi dolores quadam die meditabatur, prophetico spiritu cognovit, quapropter eidem postea Christinae nomen imposuit.

B. Clara de Monte Falco, invicta haereticorum debellatrix, quae mysteriis SS. Trinitatis, et Passionis Christi in suo corde decorata, obiit anno 1308. Ipsius corpus jacet integrum et incorruptum apud Sorores Augustinianas ejusdem oppidi. Inter innumera miracula, plures etiam mortuos ad vitam revocavit. Officio Ecclesiastico honoratur ex indulto Urbani VIII. Ejus vitam ultimo noster Rmus Tardy egregio stilo conscripsit.

BB. Clarella, et Claretta, alias Illuminata, ambae de Monte Falco, circa annum 1310. magnis virtutibus ac meritis conspicuae ad Dominum migrarunt. Harum corpora apud Eremitanos praefati oppidi servantur.

B. Flerida de Mutina, quamvis quo tempore sanctitate claruerit certo non constet, videtur tamen ad hoc saeculum pertinere.

B. Jacoba de Luca, quam precibus suis a Domino impetratam, B. Christiana de S. Cruce, Christo in suo

Digitized by Google

Monasterio se devoturam praedixit, ita sedulo magistrae sanctitatem aemulata fuit, ut ipsa quoque beatae nomen obtinuerit. Floruit circa annum 1330.

B. Imelda Lambertini de Bononia, miraculis clara obiit anno 1333. A quibusdam male dicitur Dominicana, eo quia monasterium, quod ipsa suis virtutibus honestaverat, post ejus mortem ad Dominicanum Institutum transiit.

V. Joanna Ægidii de Monte Falco, anno 1308. B. Clarae quae divinitus a phthisi illam liberaverat, in Monasterii regimine successit. Florebat adhuc insigni vitae sanctimonia circa annum 1317.

B. Joanna de Monte Falco, B. Clarae soror natu major, Monasterii S. Crucis fundatrix, quae ipsammet Claram sororem in monacham attondit, innocentiae atque virginitatis liliis decorata, non sine magnis sanctitatis indiciis, obiit in praefato monasterio anno 1295.

B. Juliana de Fulgineo, quae anno 1290. monasterium Monialium Ord. Erem. in patria construxit, tanta vitae sanctimonia claruit, ut tum beatae, tum etiam sanctae titulum promeruerit. Duplici sanctitatis, atque virginitatis corona redimita, ad coeleste convivium transiit circa annum 1300.

B. Lucia Amerina, nostri B. Joannis de Reate germana soror, sanctitate celebratissima obiit Ameriae circa annum 1350. Ad pueros obsessos a daemone liberandos potissimum invocatur. Ejus cultum Gregorius XVI. confirmavit.

Maria Diaz de Madrigala, bono virtutum odore fragrans, eximia sanctitate florebat anno 1353. Multiplici Deiparae apparitione dignata fuit.

Aliae demum laudantur apud Ordinis auctores decem

Digitized by Google

ignoti nominis Sanctimoniales virgines, quae hoc saeculo praefatum S. Crucis a B. Christiana extructum monasterium sanctitatis odore referserunt. De hac nobilissima virginum cohorte Eremitana monumenta narrant, quod cum B. Christianam ipsarum magistram ad castissimas immaculati Agni nuptias praecessissent, post illius mortem circa ejus feretrum adstare coelesti quadam pulchritudine exornatae ab omnibus visae fuerunt. Vide Torellium in Centuriis, et Elssium, ambos ubi agunt de B. Jacoba Lucensi.



Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus . . . . . . Et sunt quorum non est memoria, perierunt quasi qui non fuerint, quoniam *qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Eccl. cap. 44.



FINIS PRIMI SAECULI.

Digitized by Google

SAECULUM SECUNDUM

Ab anno MCCCLVI. usque ad MCDLVI.

Fr. Adam Puczen.

Adam Puczen de Owobach Germanus, fuit de Fide Catholica valde benemeritus, quippe qui Pragae in Bohemia cum degeret, et lingua, et calamo contra Hussitas strenue decertavit, atque iniquae sectae antesignani Joannis Hussii nefaria deliramenta magno ingenii acumine, mira dexteritate, summaque eloquentia detexit, atque refutavit. Multos libros exaravit, inter quos unum de Fide Catholica incipientem: *Funiculus triplex difficile rumpitur*, nec non sermones aliquot, praesertim de laudibus B. Mariae Virginis, qui prodierunt manuscripti. Florebat anno 1420. Vide nostrates Milensium, Crusenium, et Elssium.

Digitized by Google

Fr Aegidius de Bonis Card.

Aegidius, de Blasio a patris nomine nuncupatus, ex nobili prosapia de Bonis Cortonae in Hetruria ortum duxit. Is in Ordine evasit Theologiae Magister valde doctus, nec non concionator admodum clarus. Ob sua egregia merita a Clemente VI. anno 1348 creatur Episcopus Vicentinus. Anno 1355. a Carolo IV. Imperatore, ut notat Ughellus, ad Pisanos legatus missus fuit. Eodem Imperatore instante, ab Innocentio VI. anno 1361 sacro Cardinalium Collegio adnumeratur. Hoc testantur Thomas Bracciolius antiquarius, et canonicus Cathedralis Cortonensis in suo tractatu de familiis ejusdem civitatis, Jacobus Laurus Romanus in suis additionibus ad historiam Cortonae, aliique a nostro Gandolpho laudati. Quapropter Augustinus Oldoinus in suo Athenaeo Hetrusco Aegidium nostrum putat Cardinalem tantummodo designatum. Neque tamen istud officit eminentissimae Aegidii dignitati, nam lex quae vetat Cardinales in secreto Concistorio electos, ante promulgationem hoc nomine appellari, est Aegidii tempore posterior utpote quae ab Eugenio IV. lata fuit. Ita observat praefatus noster Gandolphus. Iste Aegidius anno 1330. fundavit coenobium Augustinianum Castilionis Florentini. Laudatur ab Ughello, Oldoino, et Joanne Cinellio, nec non a nostris Romano, Herrera, Crusenio, Torellio, aliisque. Doctrinae suae monumenta reliquit tria volumina theologica. Vide Gandolphum.

Digitized by Google

Fr. Albertus de Saxonia.

Albertus de Saxonia, qui cum Alberto Dominicano confundi non debet, quamvis theologica scientia praestaret, multo tamen magis philosophica atque mathematica excellebat. Nam Gandolphus noster ex Pamphilo et Possevino haec de illo notat: *Albertus de Saxonia theologus cum esset in Philosophia Peripatetica, et Mathematica admodum eruditus, reliquit commentaria super tabulas Alphonsi Regis ad judicia Astronomiae.* Anno 1366. creatur Episcopus Halberstadiensis, rexitque commissum sibi gregem 23. annis. Episcopatum Alberti contestatur Petrus de Alva Minorita in Bibliotheca Conceptionis, ubi ex doctissimo nostro Joanne de Meppis haec reponit: *Albertus de Saxonia Ord. S. Augustini, et Episcopus Halberstadiensis, Germanus, eruditissimus, de quo plura dicit Ganderus de Meppis in postillis suis in serm. de 2. Dominica Adventus, qui incipit: Cum audisset Joannes in vinculis etc. Hic ergo egregius Doctor propter amorem Virginis multas propositiones Parisiis et Pragae de Immaculata Conceptione defensavit, in quibus gloriosam Virginem ab originalis peccati macula immunem fuisse probavit.* . . . Illustrissimus Episcopus Abellinas Fulgentius Monforti in panegyri, cui titulus: *Adamus gratiae,* in laudem S. P. Augustini, narrat hunc Albertum tamquam alium Archimedem talem motricem vim, qua per aerem volaret, aeneae columbae aliquando indidisse. Naturae concessit Albertus noster anno 1390 valde senex. Commendant illum ex nostratibus Pamphilus, Herrera, Crusenius, Torellius, Elssius, aliique. Inter externos autem Possevinus, Cratepolius agens de Episco-

Digitized by Google

pis Germaniae, Simlerus, et alii praeter allatos. Praeclara ingenii sui testimonia sunt sequentia, quae evulgavit volumina, nimirum: *Quaestiones super libros Analyticorum, et Posteriorum.* 2. *Quaestiones super octo libros Phisicorum.* 3. *De generatione et corruptione.* 4. *De Coelo et Mundo.* 5. *Liber proportionum.* 6. *Logica.* 7. *Sophismata. Praedicta omnia habentur typis impressa.* 8. *De maximo, et minimo.* 9. *Super tabulas Alphonsi Regis etc.* 10. *De anima.* 11. *Super quatuor libros Sententiarum, et alia quaedam.*

Fr. Aldebrandinus Cavalcantes.

Aldebrandinus Cavalcantes, Nobilis Florentinus, inter primarios sui temporis Augustinianos doctrina quammaxime enituit. Fuit in primis theologus magni fastigii, atque summae auctoritatis concionator, qui nedum coaevos egregie concionando, verum etiam posteros optimis editis concionibus ad aeternae salutis viam persequendam est adhortatus. Commendabatur etiam insigni pietate, atque integerrima vitae conversatione, nec non singulari quodam animarum zelo, quarum lucrum duntaxat, non autem inanem aurae popularis sonitum suis sermonibus expetebat; quare a Gandolpho *concionator fervidus et fructuosus* jure appellatur. Memorant illum cum laude nostrates Pamphilus, Herrera, Crusenius, Torellius, Elssius, et alii, quibus consentiunt externi Possevinus, Poccientius, Verderius, Marraccius, et alii. Clarebat anno 1385. En sermones, quos Cavalcantes noster in lucem emisit: 1. *Sermones quadragesimales.* 2. *Sermones festivi, seu de San-*

ctis. 3. Sermones dominicales, et historiales edidisse constat, nam in fine aliorum sermonum scribit: *Si vis plus loqui de Epistola, vel de Evangelio, quaere inter sermones dominicales et historiales*.

Fr. Aloysius Marsilius.

Aloysius Marsilius, Nobilis Florentinus, vir fuit vere encyclopedicus, atque in primis eloquentissimus orator, philosophus excellentissimus, atque theologus singularis. Neque tamen doctrina tantummodo atque eruditione, verum etiam magna morum probitate, summa prudentia, atque mira rerum agendarum dexteritate praeeminebat. Perpauci inveniuntur praeclarissimi viri, in quos cumulatior quam in ipsum laudationum acervus tum a scriptoribus, tum a nobilissima Florentina civitate congestus fuerit. Sed assertum duplex testimoniis comprobemus. Divus Antoninus Florentinus, patriae Archiepiscopus 3. par. hist. tit. 22. cap. 2. haec habet: *Anno* 1387. *mense Novembris Clemens Antipapa destinavit solemnes oratores ex Avenione Florentiam, qui honorifice suscepti sunt, quibusdam Nobilibus obviam egredientibus. Magistratus tamen ante audientiam eorum, uti viri timorati, voluerunt habere consilium a venerabili S. Paginae Professore M. Aloysio Marsilio Ordinis Eremitarum peritissimo viro, et laudabilis vitae, ac famae eximiae, utrum liceret eos legatos audire. Quibus vir ille magni consilii respondit, licite fieri posse, quia exponendo rem utilem Christianitati, poterunt juvare, et executioni mandare; si contrarium proponerent, non*

Digitized by Google

exequi illa, sed eos licentiare a civitate. Quod fuit observatum etc. Franciscus Petrarcha, cui ob egregias dotes Marsilius noster acceptissimus erat, in suis ad ipsum scriptis epistolis haec illi inter alia fatur: *Magnam tui nominis uberem materiam et laetandi tribuis, et sperandi, ante alios mihi, quo fortasse non alius in te oculos altius defixit. Clarum tibi lumen ingenii Deus dedit, industriaeque nobilis stimulos addidit, atque ex his notitiam rerum variarum, pro aetate mirificam etc.* Erat tunc Aloysius adhuc juvenis, sed jam Augustinianus, uti observat Tiraboschius. In eisdem epistolis eximius Petrarcha amicum monet, ne dum Theologiae operam navat, litterarum amoenarum studia negligat, illumque hortatur ad calamo refutanda Averrohis deliramenta, quae tunc temporis nonnulli in Italia sectabantur. Item Poggius Florentinus in oratione 3. in Nicolai Nicoli funere haec de Marsilio narrat: *Cum floreret in hac civitate eximia virtus doctissimi omnium viri Ludovici Marsilii ex Religione Augustini, contulit (Nicolaus) se in ejus familiaritatem, ut una cum studiis doctrinae, vitae quoque, et morum institutionem perciperet. Erat domus Ludovici referta tunc egregiis adolescentibus, qui sibi vitam ejus, et mores proposuerant imitandos. Frequentabatur quoque ab optimis, ac praestantissimis viris hujus civitatis, qui ad eum velut ad divinum quoddam oraculum confluebant. Erudivit autem, liberaliterque instituit plures, qui viri doctissimi evaserunt, sed emersere inter alios praecipue Joannes Laurensis, Robertus Rossus, et hic noster Nicolaus, qui caeteris rebus posthabitis, nunquam a latere Ludovici discedens, optimis praeceptis vivendi institutus est.... Morum autem severitatem, et loquendi harmoniam quamdam, ac in reprehendendis vitiis li-*

Digitized by Google

bertatem ab illo hausit, qui erat promptissimus, et paratissimus ad vitiorum objurgationem etc. Ex hoc profecto praeclaro testimonio, quod est procul dubio majus omni laude, nullo negotio inferri potest quam merito Tiraboschius Marsilium nostrum appellarit virum sui aevi doctissimum, atque litterarum, scientiarumque studiosissimum instauratorem. Nam revera hanc utilissimam atque honorificentissimam litteris pristinum splendorem restituendi provinciam ipse tripliciter summa felicitate gessit, nimirum docendo, libros exarando, atque selecta classicorum volumina undique comparando. Tantam penes Florentinos praeclarissimis suis meritis gloriam atque auctoritatem consecutus fuit, ut non modo nobilissima Respublica illi difficiliora negotia expedienda commiserit, eumque oratorem, atque legatum ad amplissimos Principes non semel deputarit, verum etiam a Bonifacio IX. eum sibi in Episcopum postularit. At juvat epistolam, quam propterea ad praefatum Pontificem misit, in medium proferre. In ea itaque post laudatos aliquot eximios concives tamquam Episcopali honore dignos, haec de Marsilio adjunxit italico sermone: *E perchè fra gli altri risplende qual singolar lume di scienza Luigi Marsigli Eremitano, a giudicio ancor de' più dotti, Maestro incomparabile di Teologia, noi non possiamo pei tanti meriti, di cui è adorno, nelle nostre suppliche dimenticarlo. Quest' uomo ancora dunque sì celebre e si eccellente noi raccomandiam caldamente a V. S. perchè lo sollevi al reggimento di questa Chiesa. Basterebbe a ciò fare la fama, di cui egli gode, che non altrimenti che i raggi solari si sparge e risplende per ogni parte; e con ragione. Perciocchè nella famosissima Università di Parigi, non già per favor di Bolle, ma secondo le leggi di quello*

Digitized by Google

Studio con gran fatiche e sudori egli ha ottenuto il Magistero, ed ha stese sì ampiamente le sue cognizioni, che di lui si può dire ciò che diceasi già di S. Agostino Padre del suo Ordine, cioè che non è possibile legger cosa, cui Maestro Luigi non sappia. Post haec amplissimus Florentinorum Senatus commendat Pontifici insignem Marsilii morum probitatem, multamque prudentiam, quam ostenderat in sua Augustinensi Pisarum Provincia administranda, finemque epistolae imponit Sanctitatem Suam obsecrando, ut talem ac tantum virum Episcopum atque Pastorem ipsis constituere minime dedignetur. Haec tamen epistola tam praeclarissimis Marsilii elogiis referta, suo effectu vacavit, ideo forsitan quia in ipso ejusdem initio alii ante illum meritissimi viri ad infulam designabantur, ac proinde Aloysius noster Episcopalibus officiis minime distentus, majori utique litterarum emolumento, privatam vitam prosequutus fuit usque ad obitum, qui contigit die 21. Augusti, anni 1394; quamobrem commodius valuit in ipsa etiam provecta aetate concives suos, qui ad illum tamquam ad inexhaustum reconditae sapientiae fontem quotidie turmatim accedebant, omnigena eruditione expolire; quod revera tanta felicitate perfecit, ut ipse magna, immo praecipua pars fuerit cur Florentiae, atque idcirco in tota Italia, cum amoenarum litterarum, tum sublimium scientiarum studia luculentioribus radiis refulgere coeperint. De istis si mihi non credis, lege Tiraboschium: indicabo locum, nempe tom. XI. pag. 112. et seq. edit. Florent. 1778. Quantum autem Florentina civitas meritissimum concivem demortuum honorarit, ita describit Ammiratus, quem citat Gandolphus: *Obiit mense Augusti Fr. Aloysius de Marsiliis de Florentia Ordinis Erem. S. Augus-*

Digitized by Google

tini, et quia habitus fuit vitae et morum exemplaris, doctrinae et scientiae excellentis, et vir magnae eloquentiae, ac cum multis in negotiis domi forisque, diversis cum Principibus egregie suae Reipublicae inservisset; Magistratus ultra honorem delatum publicis expensis in exequiis, sepulcrum ipsius confici mandavit, quod hodie adhuc depictum in magna Ecclesia S. Mariae de Flore conspicitur. Ammirato accedit Paulus Minius, qui de Nobilitate Florentina verba faciens, haec de Marsilio dixit: *Ludovicus Marsilius sibi acquisivit famam singularissimam...... Unde Florentia illum donatum honoravit sepulcro, et epitaphio ad Sanctam Mariam de Flore.* Epitaphium autem istud est hujusmodi: *Florentina civitas ob singularem eloquentiam magni viri Luisii de Marsiliis sepulcrum ei publico sumptu faciendum statuit.* Vide nostrates fere omnes, ac inter externos quamplurimos potissimum jam laudatum Tiraboschium. Pauca scripsit vir sui aevi plane doctissimus, quia parum ei temporis ab aliis erudiendis vacavit. Quaedam tamen sui ingenii monumenta posteris reliquit, quae nimirum sunt: 1. *Quaestiones theologicae, lib.* 1. 2. *Comment. diversa, lib.* 1. 3. *Sermones varii, lib.* 1. 4. *Variarum epistolarum lib.* 1. 5. *Vetus et novum Testamentum carmine heroico, et alia.*

B. Alphonsus Vargas.

Beatus Alphonsus Vargas Toleti ex nobilissima familia ortum duxit. Admodum adolescens in patria fit noster. Parisiis magno cum honore studiorum cursum confe-

Digitized by Google

cit, ac lauream doctoralem promeruit. Tum ipse ex discipulo magister effectus, integro decennio philosophicas atque theologicas scientias docuit tanto auditorum profectu, ut vere de illo dici possit: *Quot habuit tirones, tot magistros effecit.* Incomparabilis ingenii vir raro exemplo magnam doctrinam cum singulari vitae sanctitate consociavit. Post reditum in Hispaniam eximiae illius virtutes eum prius ad Uxamae, deinde ad nobiliorem Pacis Augustae Episcopalem Cathedram evexerunt. Cum anno 1353. Innocentius VI. Avenione degens, in Italiam Card. Aegidium Albornoz valida manu comitatum misisset, ut complures Ecclesiasticae ditionis civitates a quibusdam Italiae tyrannis usurpatas recuperaret, iste quippe qui Alphonsi nostri non solum insignem prudentiam, verum etiam invictissimam magnanimitatem probe noverat, eum sibi in difficillima expeditione socium adscivit, atque deinceps ex ipsius consiliis et opera plurimum adjumenti percepit. Alphonso inconsulto momentosum aliquod nunquam moliebatur; quidquid autem eodem consulente aggrediebatur, illud optime semper gerebat. Ipsemet Alphonsus certaminis dux nonnullas urbes armis devicit, ac Faventiam obsidione ad deditionem adegit. Postea in Hispaniam reversus ex Pacensi Episcopali Cathedra ad Archiepiscopalem Hispalensem translatus fuit, quo tempore spirituale bellum suscipiens, cum Mahumetanis in aciem descendit, eorumque ingentem numerum ex mendacissimis Alcorani commentis ad tutissimam Evangelii veritatem reduxit. Vita cessit Hispali anno 1366. non sine magna opinione sanctitatis. Commendant amplissimum virum omnes nostrates, inter quos Rm̃us Coranus de illo haec scribit: *Commentatus est primum Sententiarum tam*

Digitized by Google

subtiliter, tam alte, tamque formaliter, et limate, ut nihil supra. Inter externos autem de illo mentionem faciunt cum laude praecipue Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Trithemius, Simlerus, Nicolaus Antonius, et alii. Ex hoc postremo Henricus Warton hoc de nostro Alphonso testimonium refert: *In hoc viro nescies, qua arte eximiam litterarum theologicarum peritiam, et professionem, religiosumque vitae institutum apud Augustinianos susceptum, cum militari vita, et cunctis quae in acie, et oppugnationibus ad profectum belli spectant, diu atque acriter exercitis, componas.* Eruditissimi viri scripta sunt: 1. *Lectura super primum Sentent. subtilissimi theologorum Monarchae Alphonsi Toletani, qui legit Parisiis* 1345. 2. *Quaestiones super libris de anima.* Praedicta habentur impressa. 3. *Liber de potentiis animae.* 4. *Super* 2. 3. *et* 4. *Sententiarum.* De hoc opere haec habet Gandolphus: *Zilettus impressor in dedicatoria scribit:* Propediemque praelo supponam opus super Sententias, aliasque ejusdem Alphonsi doctissimas lucubrationes. *Utinam nunc vel impressae, vel M. S. invenirentur!*

Fr. Andreas Bondimerius, et socii.

Andreas Bondimerius, Michael Maurocenus, Philippus Paruta, et Franciscus Contarenus, Nobiles Veneti, praedicationibus, atque exemplis excitati eximii Fr. nostri Gabrielis Garofoli Patritii Spoletani, clarissimi tunc temporis concionatoris, atque theologi celebratissimi, Ordinem Eremitanum in Coenobio S. Mariae de Nazaret

Digitized by Google

intra Venetiarum lacunas anno 1421. sunt amplexati. Hi post emissam Augustinianam professionem, duce praefato Fr. Gabriele Spoletano, in agro Patavino, obtenta facultate a Martino V. anno 1424. instituerunt Congregationem Canonicorum Regularium S. Spiritus de Venetiis. Hujus institutionis veritatem probat etiam acerrimus Eremitarum adversarius Gabriel Pennotus, qui quamvis asserat laudatos quatuor Nobiles Venetos praefatae Congregationis institutores, fuisse Clericos Regulares, subjungit tamen eosdem in conventu S. Mariae de Nazaret Ordinem Eremitanum antea professos fuisse. Dum autem idem Pennotus de praefata institutione verba faciens, de nostro Garofolo omnino silet, nil aliud profecto agit, quam suum in Eremitanos malevolum animum perperam prodit; siquidem extra omnem dubitationem est, eorumdem Augustinensium Institutorum caput fuisse praefatum Gabrielem Spoletanum, ut patet ex Coriolano fere contemporaneo, cujus haec sunt verba: *Similiter princeps suo tempore omnium Evangelizantium Magister Gabriel de Spoleto nostri Ordinis, instituit Ordinem S. Spiritus de Venetiis.* Sed audiamus ipsum Pennotum vel libentem, vel invitum palinodiam canentem. Ipse enim in lib. 2. suae historiae tripartitae cap. 54. num. 4. parum sibi constans, haec de nostris Venetis Patritiis adjecit: *Anno* 1424. *ex commissione Martini Papae V. dimisso Eremitico, Canonicum habitum, et institutum sumpserunt per manus D. Petri Marcelli Episcopi Patavini.* Profecto ex hac luculentissima ipsius Pennoti confessione luce meridiana patet, quam impudenter ipsemet antea ausus fuerit asserere, praefatae Congregationis auctores fuisse Clericos Regulares, non autem Eremitas Augustinianos: magna est enim

Digitized by Google

vis veritatis, ut etiam ab inimicis, invitis quidem, quandoque assensum extorqueat. Verum Garofolus noster antiquae Matris amore ductus, ad Augustinianam Eremum anno 1426. reverti 'maluit, caeteris foris remanentibus, ex quibus Andreas postea Venetiarum Patriarcha electus fuit, et Philippus Paruta post binos Episcopatus, tandem ad Cretensem Cathedram evectus. Hoc itaque non parum confert ad majus Eremitanae Familiae decus et ornamentum, tales instituisse alumnos, qui aliorum Ordinum fundatores extiterunt. Vide Torellium, Elssium, Gandolphum, et alios.

B. Andreas de Biliis, seu Biglia.

Beatus Andreas Biglia Mediolanensis sacrae Theologiae Doctor, triplici praeconio summopere ab omnibus commendatur: nobilitate generis, eruditionis amplitudine, vitaeque sanctimonia. Nam revera, si genus inspicias, Patritius erat Mediolanensis, si eruditionem contempleris, in arte oratoria Tullio, in Philosophia Aristoteli, in Theologia Augustino comparatur; si demum a sanctimonia illum laudare cupis, haec beati nomen ipsi conciliavit. Potissimum autem ob historicam peritiam ab eruditis celebratur. Is Latinam, Graecam, atque Hebraicam linguas cum egregie calleret, incipiens a Grammatica, ac sursum ad sublimiora procedens, quamplurima volumina omnigena doctrina referta accuratissime exaravit, quibus dum aliis impense profuit, sibi quoque ipsi immortalem famam acquisivit, ob incomparabilem ingenii felicitatem

Digitized by Google

pis Germaniae, Simlerus, et alii praeter allatos. Praeclara ingenii sui testimonia sunt sequentia, quae evulgavit volumina, nimirum: *Quaestiones super libros Analyticorum, et Posteriorum.* 2. *Quaestiones super octo libros Phisicorum.* 3. *De generatione et corruptione.* 4. *De Coelo et Mundo.* 5. *Liber proportionum.* 6. *Logica.* 7. *Sophismata. Praedicta omnia habentur typis impressa.* 8. *De maximo, et minimo.* 9. *Super tabulas Alphonsi Regis etc.* 10. *De anima.* 11. *Super quatuor libros Sententiarum, et alia quaedam.*

Fr. Aldebrandinus Cavalcantes.

Aldebrandinus Cavalcantes, Nobilis Florentinus, inter primarios sui temporis Augustinianos doctrina quammaxime enituit. Fuit in primis theologus magni fastigii, atque summae auctoritatis concionator, qui nedum coaevos egregie concionando, verum etiam posteros optimis editis concionibus ad aeternae salutis viam persequendam est adhortatus. Commendabatur etiam insigni pietate, atque integerrima vitae conversatione, nec non singulari quodam animarum zelo, quarum lucrum duntaxat, non autem inanem aurae popularis sonitum suis sermonibus expetebat; quare a Gandolpho *concionator fervidus et fructuosus* jure appellatur. Memorant illum cum laude nostrates Pamphilus, Herrera, Crusenius, Torellius, Elssius, et alii, quibus consentiunt externi Possevinus, Pocciantius, Verderius, Marraccius, et alii. Clarebat anno 1385. En sermones, quos Cavalcantes noster in lucem emisit: 1. *Sermones quadragesimales.* 2. *Sermones festivi, seu de San-*

Digitized by Google

ctis. 3. Sermones dominicales, et historiales edidisse constat, nam in fine aliorum sermonum scribit: *Si vis plus loqui de Epistola, vel de Evangelio, quaere inter sermones dominicales et historiales.*

Fr. Aloysius Marsilius.

Aloysius Marsilius, Nobilis Florentinus, vir fuit vere encyclopedicus, atque in primis eloquentissimus orator, philosophus excellentissimus, atque theologus singularis. Neque tamen doctrina tantummodo atque eruditione, verum etiam magna morum probitate, summa prudentia, atque mira rerum agendarum dexteritate praeeminebat. Perpauci inveniuntur praeclarissimi viri, in quos cumulatior quam in ipsum laudationum acervus tum a scriptoribus, tum a nobilissima Florentina civitate congestus fuerit. Sed assertum duplex testimoniis comprobemus. Divus Antoninus Florentinus, patriae Archiepiscopus 3. par. hist. tit. 22. cap. 2. haec habet: *Anno* 1387. *mense Novembris Clemens Antipapa destinavit solemnes oratores ex Avenione Florentiam, qui honorifice suscepti sunt, quibusdam Nobilibus obviam egredientibus. Magistratus tamen ante audientiam eorum, uti viri timorati, voluerunt habere consilium a venerabili S. Paginae Professore M. Aloysio Marsilio Ordinis Eremitarum peritissimo viro, et laudabilis vitae, ac famae eximiae, utrum liceret eos legatos audire. Quibus vir ille magni consilii respondit, licite fieri posse, quia exponendo rem utilem Christianitati, poterunt juvare, et executioni mandare; si contrarium proponerent, non*

Digitized by Google

exequi illa, sed eos licentiare a civitate. Quod fuit observatum etc. Franciscus Petrarcha, cui ob egregias dotes Marsilius noster acceptissimus erat, in suis ad ipsum scriptis epistolis haec illi inter alia fatur: *Magnam tui nominis uberem materiam et laetandi tribuis, et sperandi, ante alios mihi, quo fortasse non alius in te oculos altius defixit. Clarum tibi lumen ingenii Deus dedit, industriaeque nobilis stimulos addidit, atque ex his notitiam rerum variarum, pro aetate mirificam etc.* Erat tunc Aloysius adhuc juvenis, sed jam Augustinianus, uti observat Tiraboschius. In eisdem epistolis eximius Petrarcha amicum monet, ne dum Theologiae operam navat, litterarum amoenarum studia negligat, illumque hortatur ad calamo refutanda Averrohis deliramenta, quae tunc temporis nonnulli in Italia sectabantur. Item Poggius Florentinus in oratione 3. in Nicolai Nicoli funere haec de Marsilio narrat: *Cum floreret in hac civitate eximia virtus doctissimi omnium viri Ludovici Marsilii ex Religione Augustini, contulit (Nicolaus) se in ejus familiaritatem, ut una cum studiis doctrinae, vitae quoque, et morum institutionem perciperet. Erat domus Ludovici referta tunc egregiis adolescentibus, qui sibi vitam ejus, et mores proposuerant imitandos. Frequentabatur quoque ab optimis, ac praestantissimis viris hujus civitatis, qui ad eum velut ad divinum quoddam oraculum confluebant. Erudivit autem, liberaliterque instituit plures, qui viri doctissimi evaserunt, sed emersere inter alios praecipue Joannes Laurensis, Robertus Rossus, et hic noster Nicolaus, qui caeteris rebus posthabitis, nunquam a latere Ludovici discedens, optimis praeceptis vivendi institutus est.... Morum autem severitatem, et loquendi harmoniam quamdam, ac in reprehendendis vitiis li-*

Digitized by Google

bertatem ab illo hausit, qui erat promptissimus, et paratissimus ad vitiorum objurgationem etc. Ex hoc profecto praeclaro testimonio, quod est procul dubio majus omni laude, nullo negotio inferri potest quam merito Tiraboschius Marsilium nostrum appellarit virum sui aevi doctissimum, atque litterarum, scientiarumque studiosissimum instauratorem. Nam revera hanc utilissimam atque honorificentissimam litteris pristinum splendorem restituendi provinciam ipse tripliciter summa felicitate gessit, nimirum docendo, libros exarando, atque selecta classicorum volumina undique comparando. Tantam penes Florentinos praeclarissimis suis meritis gloriam atque auctoritatem consecutus fuit, ut non modo nobilissima Respublica illi difficiliora negotia expedienda commiserit, eumque oratorem, atque legatum ad amplissimos Principes non semel deputarit, verum etiam a Bonifacio IX. eum sibi in Episcopum postularit. At juvat epistolam, quam propterea ad praefatum Pontificem misit, in medium proferre. In ea itaque post laudatos aliquot eximios concives tamquam Episcopali honore dignos, haec de Marsilio adjunxit italico sermone: *E perchè fra gli altri risplende qual singolar lume di scienza Luigi Marsigli Eremitano, a giudicio ancor de' più dotti, Maestro incomparabile di Teologia, noi non possiamo pei tanti meriti, di cui è adorno, nelle nostre suppliche dimenticarlo. Quest' uomo ancora dunque sì celebre e sì eccellente noi raccomandiam caldamente a V. S. perchè lo sollevi al reggimento di questa Chiesa. Basterebbe a ciò fare la fama, di cui egli gode, che non altrimenti che i raggi solari si sparge e risplende per ogni parte; e con ragione. Perciocchè nella famosissima Università di Parigi, non già per favor di Bolle, ma secondo le leggi di quello*

Digitized by Google

Studio con gran fatiche e sudori egli ha ottenuto il Magistero, ed ha stese sì ampiamente le sue cognizioni, che di lui si può dire ciò che diceasi già di S. Agostino Padre del suo Ordine, cioè che non è possibile legger cosa, cui Maestro Luigi non sappia. Post haec amplissimus Florentinorum Senatus commendat Pontifici insignem Marsilii morum probitatem, multamque prudentiam, quam ostenderat in sua Augustinensi Pisarum Provincia administranda, finemque epistolae imponit Sanctitatem Suam obsecrando, ut talem ac tantum virum Episcopum atque Pastorem ipsis constituere minime dedignetur. Haec tamen epistola tam praeclarissimis Marsilii elogiis referta, suo effectu vacavit, ideo forsitan quia in ipso ejusdem initio alii ante illum meritissimi viri ad infulam designabantur, ac proinde Aloysius noster Episcopalibus officiis minime distentus, majori utique litterarum emolumento, privatam vitam prosequutus fuit usque ad obitum, qui contigit die 21. Augusti, anni 1394; quamobrem commodius valuit in ipsa etiam provecta aetate concives suos, qui ad illum tamquam ad inexhaustum reconditae sapientiae fontem quotidie turmatim accedebant, omnigena eruditione expolire; quod revera tanta felicitate perfecit, ut ipse magna, immo praecipua pars fuerit cur Florentiae, atque idcirco in tota Italia, cum amoenarum litterarum, tum sublimium scientiarum studia luculentioribus radiis refulgere coeperint. De istis si mihi non credis, lege Tiraboschium: indicabo locum, nempe tom. XI. pag. 112. et seq. edit. Florent. 1778. Quantum autem Florentina civitas meritissimum concivem demortuum honorarit, ita describit Ammiratus, quem citat Gandolphus: *Obiit mense Augusti Fr. Aloysius de Marsiliis de Florentia Ordinis Erem. S. Augus-*

Digitized by Google

tini, et quia habitus fuit vitae et morum exemplaris, doctrinae et scientiae excellentis, et vir magnae eloquentiae, ac cum multis in negotiis domi forisque, diversis cum Principibus egregie suae Reipublicae inservisset; Magistratus ultra honorem delatum publicis expensis in exequiis, sepulcrum ipsius confici mandavit, quod hodie adhuc depictum in magna Ecclesia S. Mariae de Flore conspicitur. Ammirato accedit Paulus Minius, qui de Nobilitate Florentina verba faciens, haec de Marsilio dixit: *Ludovicus Marsilius sibi acquisivit famam singularissimam..... Unde Florentia illum donatum honoravit sepulcro, et epitaphio ad Sanctam Mariam de Flore.* Epitaphium autem istud est hujusmodi: *Florentina civitas ob singularem eloquentiam magni viri Luisii de Marsiliis sepulcrum ei publico sumptu faciendum statuit.* Vide nostrates fere omnes, ac inter externos quamplurimos potissimum jam laudatum Tiraboschium. Pauca scripsit vir sui aevi plane doctissimus, quia parum ei temporis ab aliis erudiendis vacavit. Quaedam tamen sui ingenii monumenta posteris reliquit, quae nimirum sunt: 1. *Quaestiones theologicae, lib.* 1. 2. *Comment. diversa, lib.* 1. 3. *Sermones varii, lib.* 1. 4. *Variarum epistolarum lib.* 1. 5. *Vetus et novum Testamentum carmine heroico, et alia.*

B. Alphonsus Vargas.

Beatus Alphonsus Vargas Toleti ex nobilissima familia ortum duxit. Admodum adolescens in patria fit noster. Parisiis magno cum honore studiorum cursum confe-

Digitized by Google

cit, ac lauream doctoralem promeruit. Tum ipse ex discipulo magister effectus, integro decennio philosophicas atque theologicas scientias docuit tanto auditorum profectu, ut vere de illo dici possit: *Quot habuit tirones, tot magistros effecit.* Incomparabilis ingenii vir raro exemplo magnam doctrinam cum singulari vitae sanctitate consociavit. Post reditum in Hispaniam eximiae illius virtutes eum prius ad Uxamae, deinde ad nobiliorem Pacis Augustae Episcopalem Cathedram evexerunt. Cum anno 1353. Innocentius VI. Avenione degens, in Italiam Card. Aegidium Albornoz valida manu comitatum misisset, ut complures Ecclesiasticae ditionis civitates a quibusdam Italiae tyrannis usurpatas recuperaret, iste quippe qui Alphonsi nostri non solum insignem prudentiam, verum etiam invictissimam magnanimitatem probe noverat, eum sibi in difficillima expeditione socium adscivit, atque deinceps ex ipsius consiliis et opera plurimum adjumenti percepit. Alphonso inconsulto momentosum aliquod nunquam moliebatur; quidquid autem eodem consulente aggrediebatur, illud optime semper gerebat. Ipsemet Alphonsus certaminis dux nonnullas urbes armis devicit, ac Faventiam obsidione ad deditionem adegit. Postea in Hispaniam reversus ex Pacensi Episcopali Cathedra ad Archiepiscopalem Hispalensem translatus fuit, quo tempore spirituale bellum suscipiens, cum Mahumetanis in aciem descendit, eorumque ingentem numerum ex mendacissimis Alcorani commentis ad tutissimam Evangelii veritatem reduxit. Vita cessit Hispali anno 1366. non sine magna opinione sanctitatis. Commendant amplissimum virum omnes nostrates, inter quos Rm̃us Coranus de illo haec scribit: *Commentatus est primum Sententiarum tam*

Digitized by Google

subtiliter, tam alte, tamque formaliter, et limate, ut nihil supra. Inter externos autem de illo mentionem faciunt cum laude praecipue Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Trithemius, Simlerus, Nicolaus Antonius, et alii. Ex hoc postremo Henricus Warton hoc de nostro Alphonso testimonium refert: *In hoc viro nescies, qua arte eximiam litterarum theologicarum peritiam, et professionem, religiosumque vitae institutum apud Augustinianos susceptum, cum militari vita, et cunctis quae in acie, et oppugnationibus ad profectum belli spectant, diu atque acriter exercitis, componas.* Eruditissimi viri scripta sunt: 1. *Lectura super primum Sentent. subtilissimi theologorum Monarchae Alphonsi Toletani, qui legit Parisiis* 1345. 2. *Quaestiones super libris de anima.* Praedicta habentur impressa. 3. *Liber de potentiis animae.* 4. *Super* 2. 3. *et* 4. *Sententiarum.* De hoc opere haec habet Gandolphus: *Zilettus impressor in dedicatoria scribit:* Propediemque praelo supponam opus super Sententias, aliasque ejusdem Alphonsi doctissimas lucubrationes. *Utinam nunc vel impressae, vel M. S. invenirentur!*

Fr. Andreas Bondimerius, et socii.

Andreas Bondimerius, Michael Maurocenus, Philippus Paruta, et Franciscus Contarenus, Nobiles Veneti, praedicationibus, atque exemplis excitati eximii Fr. nostri Gabrielis Garofoli Patritii Spoletani, clarissimi tunc temporis concionatoris, atque theologi celebratissimi, Ordinem Eremitanum in Coenobio S. Mariae de Nazaret

Digitized by Google

intra Venetiarum lacunas anno 1421. sunt amplexati. Hi post emissam Augustinianam professionem, duce praefato Fr. Gabriele Spoletano, in agro Patavino, obtenta facultate a Martino V. anno 1424. instituerunt Congregationem Canonicorum Regularium S. Spiritus de Venetiis. Hujus institutionis veritatem probat etiam acerrimus Eremitarum adversarius Gabriel Pennotus, qui quamvis asserat laudatos quatuor Nobiles Venetos praefatae Congregationis institutores, fuisse Clericos Regulares, subjungit tamen eosdem in conventu S. Mariae de Nazaret Ordinem Eremitanum antea professos fuisse. Dum autem idem Pennotus de praefata institutione verba faciens, de nostro Garofolo omnino silet, nil aliud profecto agit, quam suum in Eremitanos malevolum animum perperam prodit; siquidem extra omnem dubitationem est, eorumdem Augustinensium Institutorum caput fuisse praefatum Gabrielem Spoletanum, ut patet ex Coriolano fere contemporaneo, cujus haec sunt verba: *Similiter princeps suo tempore omnium Evangelizantium Magister Gabriel de Spoleto nostri Ordinis, instituit Ordinem S. Spiritus de Venetiis.* Sed audiamus ipsum Pennotum vel libentem, vel invitum palinodiam canentem. Ipse enim in lib. 2. suae historiae tripartitae cap. 54. num. 4. parum sibi constans, haec de nostris Venetis Patritiis adjecit: *Anno* 1424. *ex commissione Martini Papae V. dimisso Eremitico, Canonicum habitum, et institutum sumpserunt per manus D. Petri Marcelli Episcopi Patavini.* Profecto ex hac luculentissima ipsius Pennoti confessione luce meridiana patet, quam impudenter ipsemet antea ausus fuerit asserere, praefatae Congregationis auctores fuisse Clericos Regulares, non autem Eremitas Augustinianos: magna est enim

Digitized by Google

vis veritatis, ut etiam ab inimicis, invitis quidem, quandoque assensum extorqueat. Verum Garofolus noster antiquae Matris amore ductus, ad Augustinianam Eremum anno 1426. reverti maluit, caeteris foris remanentibus, ex quibus Andreas postea Venetiarum Patriarcha electus fuit, et Philippus Paruta post binos Episcopatus, tandem ad Cretensem Cathedram evectus. Hoc itaque non parum confert ad majus Eremitanae Familiae decus et ornamentum, tales instituisse alumnos, qui aliorum Ordinum fundatores extiterunt. Vide Torellium, Elssium, Gandolphum, et alios.

B. Andreas de Biliis, seu Biglia.

Beatus Andreas Biglia Mediolanensis sacrae Theologiae Doctor, triplici praeconio summopere ab omnibus commendatur: nobilitate generis, eruditionis amplitudine, vitaeque sanctimonia. Nam revera, si genus inspicias, Patritius erat Mediolanensis, si eruditionem contempleris, in arte oratoria Tullio, in Philosophia Aristoteli, in Theologia Augustino comparatur; si demum a sanctimonia illum laudare cupis, haec beati nomen ipsi conciliavit. Potissimum autem ob historicam peritiam ab eruditis celebratur. Is Latinam, Graecam, atque Hebraicam linguas cum egregie calleret, incipiens a Grammatica, ac sursum ad sublimiora procedens, quamplurima volumina omnigena doctrina referta accuratissime exaravit, quibus dum aliis impense profuit, sibi quoque ipsi immortalem famam acquisivit, ob incomparabilem ingenii felicitatem

Digitized by Google

a quibusdam *Doctoris Angelici* nomenclatione donatus. Inter caetera autem ejus scripta auro cedroque dignissima praecipuam laudem meretur historia Mediolanensis ab anno 1402. usque ad 1431, quae fatentibus omnibus eruditis, tum stili elegantia, tum narrationum sinceritate, est opus omnium illius temporis excellentissimum. Tanta ferunt illum memoriae tenacitate praeditum fuisse, ut quidquid semel aut bis legisset, illud nunquam sibi amplius mente excideret, quapropter tantum postea sciebat, quantum antea legerat. Quidam scripserunt Andream istum Oecumenico Florentino Concilio interfuisse; at probabilius videtur ipsum ante ejusdem Concilii initium ex hac vita migrasse; opinantur enim melioris notae historici illum anno 1435. Senis in Tuscia, cum esset illius Provinciae Vicarius Provincialis, Creatori suo spiritum reddidisse, juxta quosdam adhuc juvenem, juxta alios autem valde senem, aut saltem prope sexagenarium. Ad rem apposite ait Possevinus: *Valde senex beato fine quievit, et in aede Divi Augustini sepultus est.* Extat in laudem hujus Andreae insigne Bartholomaei Fatii testimonium, quod piaculum esset omittere. En itaque illud: *Andreas Mediolanensis ex D. Augustini Ordine inter philosophos ac theologos clarus, Senis et alibi Philosophiam professus est. Studia quoque humanitatis coluit, historiam sui temporis scripsit, in qua quae sua aetate contigerunt, annotavit. Volumen praeterea de verborum latinorum interpretatione haud parvum reliquit. Inter oratores non multo minor, quam inter philosophos judicatus, ex praedicationibus quoque magnam laudem promeruit.* Laudatur praeterea ab omnibus nostratibus, atque ab externis fere innumeris, inter quos potissimum adeundus Tiraboschius. Lucubra-

Digitized by Google

tiones ejus sunt: 1. *Tractatus de Ordinis Eremitarum propagatione*, impr. 2. *In Evangelia opus maximum volumine et doctrina*. 3. *In primum Sententiarum opus imperfectum, cum praeveniente morte non potuerit illud perficere*. 4. *Ingens volumen sermonum ab Adventu usque ad finem Quadragesimae*. 5. *Principium expositionis in Genesim*. 6. *Annotationes in Terentium*. 7. *In primum et secundum Phisicorum*. 8. *Expositio, seu translatio ex Graecà in Latinam linguam Phisicae Aristotelis*. 9. *Interpretatio ex Graeco in Latinum libri Aristotelis de anima*. 10. *Comment. historica de detrimento Fidei in Oriente, seu de origine Turcarum*. 11. *Quaerelae pacis, lib*. 1. 12. *De pace cum Philippo Duce Mediolanensium componenda, ad Alphonsum Regem Aragoniae, lib*. 1. 13. *De suscipienda in Bohemos expeditione lib*. 1. 14. *De concordia et meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papae V. lib*. 2. 15. *De disciplina Ordinis admonitio habita in Capit. Bonon. lib*. 1. 16. *De pace et victoria Romanae Ecclesiae*. 17. *De amore ac magnitudine Crucis*. 18. *Historiarum Mediolanensium lib*. 1. imp. 19. *Historiarum Longobardorum lib*. 1. 20. *Hexameron, seu de Mundo sex diebus condito, insigne commentarium, ut ait Sixtus Senensis*. 21. *De arte dicendi lib*. 3. 22. *De non necessario mortis metu lib*. 1. 22. *De Coelo et Mundo lib* 4. *et alia plura*.

B. Andreas de Fabriano.

Beatus Andreas Sanuti, ex honestis parentibus inopibus rerum, sed divitibus virtutum, anno 1339. Fa-

Digitized by Google

briani natus est. A pia matre timore Domini cum lacte enutritus, coepit adhuc puerulus terrena despicere, atque coelestia solum inquirere; quare statim ac per aetatem ei licuit, de nuntio Mundi illecebris mittendo, atque monastico instituto amplectendo, maturo consilio deliberavit. Itaque in Fabrianensi coenobio, in quo tunc temporis complures vitae sanctimonia clarissimi viri degebant, Augustinianum habitum induit, ac post laudabiliter exactum tirocinium, solemnia vota emisit. Studio postea strenuam operam navando evasit insignis theologus, atque philosophus egregius, nec non magni nominis concionator. In scientiam tamen Sanctorum majori alacritate incumbens, ad altiorem christianae perfectionis gradum pervenit. D. Protoparentis Augustini hortamenta secutus, virtutum suarum fundamentum humilitatem posuit, atque super hanc firmissimam petram magnum construxit suae sanctitatis aedificium. Hujus sanctitatis luculenta indicia praestiterunt illustria miracula, quibus ante et post obitum claruit. Nam mortalitatem nondum exutus, signo Crucis plures obsessos a Daemone liberavit, atque mulierem quamdam difficultate pariendi animam agentem, e discrimine eripuit, nec non aliam mortuam ad vitam revocavit. Postea autem quam ad Superos evolaverat, domo quadam fortuito ruente, incolae tegularum lapidumque acervo immixti Andreae opem implorantes, ipse ne laederentur prohibuit. Item anno 1431. cum cujusdam Francisci Sanuti ipsius consanguinei multus ovium grex repentino Truenti fluminis impetu praeceps abriperetur, Andreas in auxilium invocatus, equo insidens una cum comite inter cita succrescentium aquarum volumina insperato apparuit, atque oves cunctas divinitus accita coele-

Digitized by Google

stium adjutorum manu e medio gurgite erutas ad alteram ripam in tuto collocavit. Incidit ejus beata mors in diem 10. Augusti anno 1389. Obiit autem Fabriani voluntariis potius corporis cruciatibus, atque quaesita carnis maceratione, quam morbo confectus. Ejus ossa Fabriani in quodam altari nostrae Ecclesiae adhuc servantur. Vide Torellium, et Elssium, aliosque nostrates.

B. Andreas de Luca.

Beatus Andreas de Luca, Iliceti multis sanctitatis exemplis conspicuam vitam ducebat, cum ab Urbano VI. propter Ecclesiae necessitates penes se vocatus, dulcissimam solitudinis quietem, quamvis plenus dierum, et aeger, deserere non dubitavit, ut voluntati Pontificis obtemperaret, qui una cum ipso alios item sanctitate celebres Augustinenses Ilicetanos Romam arcessiverat, ut ipsorum consiliis in Ecclesiae reformatione uteretur. Hos apud praefatum Pontificem laudaverat sanctissima virgo Catharina Senensis, quae etiam eidem persuasit, ipsum abs re minime facturum, si illos ad se utique consulendos vocare non dedignaretur. Hos inter fuit etiam B. Antonius de Nicea item Ilicetanus, eidem S. Catharinae admodum necessitudine conjunctus, ad quem ista complures epistolas misit, in quibus illum hortabatur, ut libenter ab Ilicetana silva egrederetur, seque apud Pontificem, a quo invitatus fuerat, conferre non renueret, proposito, quo illius animum facilius flectere posset, exemplo nostri B. Andreae de Luca, quem magnum servum dei appellavit, et

Digitized by Google

briani natus est. A pia matre timore Domini cum lacte enutritus, coepit adhuc puerulus terrena despicere, atque coelestia solum inquirere; quare statim ac per aetatem ei licuit, de nuntio Mundi illecebris mittendo, atque monastico instituto amplectendo, maturo consilio deliberavit. Itaque in Fabrianensi coenobio, in quo tunc temporis complures vitae sanctimonia clarissimi viri degebant, Augustinianum habitum induit, ac post laudabiliter exactum tirocinium, solemnia vota emisit. Studio postea strenuam operam navando evasit insignis theologus, atque philosophus egregius, nec non magni nominis concionator. In scientiam tamen Sanctorum majori alacritate incumbens, ad altiorem christianae perfectionis gradum pervenit. D. Protoparentis Augustini hortamenta secutus, virtutum suarum fundamentum humilitatem posuit, atque super hanc firmissimam petram magnum construxit suae sanctitatis aedificium. Hujus sanctitatis luculenta indicia praestiterunt illustria miracula, quibus ante et post obitum claruit. Nam mortalitatem nondum exutus, signo Crucis plures obsessos a Daemone liberavit, atque mulierem quamdam difficultate pariendi animam agentem, e discrimine eripuit, nec non aliam mortuam ad vitam revocavit. Postea autem quam ad Superos evolaverat, domo quadam fortuito ruente, incolae tegularum lapidumque acervo immixti Andreae opem implorantes, ipse ne laederentur prohibuit. Item anno 1431. cum cuiusdam Francisci Sanuti ipsius consanguinei mult
tino Truenti fluminis im
dreas in auxilium
mite inter cita ... ima inspe-
rato apparuit ... tus acc

stium adjutorum manu e medio gurgite crutas ad alteram ripam in tuto collocavit. Incidit ejus beata mors in diem 10. Augusti anno 1389. Obiit autem Fabriani voluntariis potius corporis cruciatibus, atque quaesita carnis maceratione, quam morbo confectus. Ejus ossa Fabriani in quodam altari nostrae Ecclesiae adhuc servantur. Vide Torellium, et Elssium, aliosque nostrates.

B. Andreas de Luca.

Beatus Andreas de Luca, Iliceti multis sanctitatis exemplis conspicuam vitam ducebat, cum ab Urbano VI. propter Ecclesiae necessitates penes se vocatus, dulcissimam solitudinis quietem, quamvis plenus dierum, et aeger, deserere non dubitavit, ut voluntati Pontificis obtemperaret, qui una cum ipso alios item sanctitate celebres Augustinenses Ilicetanos Romam arcessiverat, ut ipsorum consiliis in Ecclesiae reformatione uteretur. Hos apud praefatum Pontificem laudaverat sanctissima virgo Catharina Senensis, quae etiam eidem persuasit, ipsum abs re minime facturum, si illos ad se utique consulendos vocare non dedignaretur. Hos inter fuit etiam B. Antonius de Nicca item Ilicetanus, eidem S. Catharinae admodum necessitudine conjunctus, ad [illegible] ista complures epist[illegible], in quibus illum h[illegible] ut libenter ab Il[illegible] egre[illegible]tur, sequ[illegible]tificem, a quo inv[illegible], co[illegible] ren[illegible]sito, quo illius [illegible]ius [illegible]sset [illegible] nostri B. [illegible]dr[illegible] qu[illegible] ser[illegible]pellavit, et

Digitized by Google

cujus promptam obedientiam Pontifici vocanti summopere commendavit. Ad hunc B. Andream Spoleti degentem (forsitan dum iter Romam versus faciebat) eadem B. Catharina quamdam suam epistolam scripsit. Floruit Andreas noster circa annum 1380. Vide Torellium, et Elssium.

B. Andreas Regulinus Senensis.

Beatus Andreas Regulinus Senensis, insignis sanctimoniae vir, consanguineus fuit S. Bernardini Senensis, quem etiam per christianae perfectionis semitam sequi sategit. Is fuit unus ex illis Ilicetanis Augustinensibus, qui anno 1408. ut collabentem Canonicorum Regularium S. P. Augustini Ordinem sustinerent, indulto Gregorii XII. Congregationem Scopetinorum in conventu SS. Salvatoris instituerunt. In hoc consentientem habemus Augustinum Ticinensem Canonicum Regularem Lateranensem, qui in suo opere de Religionum origine haec scribit: *Ordo Canonicorum Regularium, qui vulgariter Scopetini nuncupantur, in Senensi agro S. Salvatoris a venerabili viro Stephano (Cioni de Senis) fuit institutus, cui coadjutor fuit Fr. Jacobus Andreas natione Senensis, Ordinis Eremitarum etc.* His adhaeserunt Philippus Agazarius de Senis, Joannes de Stagia, Dominicus de Hugolinis, Joannes de Salimbenis, iste Andreas Regulinus, ejusque germanus frater, Bartholomaeus Salvi, Christophorus Landucci, et alii, qui omnes Eremitarum cucullum cum Canonicorum supparo commutarunt, in hoc, meo videri, minime lau-

Digitized by Google

dandi, quod propter nimiam caritatem, qua Canonicis Regularibus prodesse cupierunt, ut ipsorum inopiae occurrerent, Eremitanam Familiam expoliarunt, dum SS. Salvatoris Ilicetanum coenobium, facultate a Pontifice obtenta, cum omnibus bonis mobilibus, et immobilibus sub Canonicorum potestatem reduxerunt. Verum antiquissimi, ac celeberrimi conventus alienationem nostrates minime aequo animo ferre voluerunt, quapropter manibus pedibusque omnem lapidem moverunt, ut illum recuperarent; quod tandem negotium, etiam propter ipsius Senensis Reipublicae cooperationem, ipsis bene vertit, dum praefatus Pontifex nedum coenobium antiquis dominis restituit, verum etiam novellis Scopetinis veniam dedit ad pristinum Eremitanum Institutum redeundi. Quamobrem ex illis, septem ad arcam, ut columba, reversi sunt, quinque duntaxat foris remanentibus. Inter septem fuit etiam noster B. Andreas Regulinus, qui apud nostrates sanctissime vitam finivit anno 1449. Quinque autem illi, qui inceptam Canonicorum professionem relinquere noluerunt, post varias vicissitudines, opera praesertim Guidi Antonii Comitis Urbinatis, aliud Augustiniani Ordinis coenobium in territorio Eugubino obtinere potuerunt, atque exinde paulatim postea Scopetinorum Congregatio per diversa Italiae loca propagata fuit. Vide nostrates Ambrosium Landuccium, Torellium, praefatum Augustinum Ticinensem, et alios.

Digitized by Google

B. Antonius ab Amandula.

Beatus Antonius ab Amandula ideo hisce nominibus vocatur quia prope Amandulam in Piceno anno 1355. in die S. Antonii Abbatis primitus ad vitae lumen venit. Parentes habuit honestos ac pios, patrem scilicet Simplicianum de domo Smeraldi, ut putat Torellius, matrem vero Joannam, cujus genus a scriptoribus omnino reticetur. Qui quidem sancti conjuges, quoniam post diutinam sterilitatem optatissimum filium interposita ad Deum prece divinitus impetrarunt, ita illum accepti beneficii memores, digne divino Datore majori studio instituere satagerunt. Hinc factum est, ut puer grandiusculus effectus, opera pietatis prona quadam proclivitate praeter coaevorum morem ardentius sectari coeperit, quare ad proximam paternae domui Benedictinorum Ecclesiam frequenter adibat, ibique magna monachorum admiratione tum Missarum celebrationi, tum caeteris divinis officiis in Deum totus absorptus interesse solebat. Perspexit quidam venerabilis coenobita optimam Antonii indolem, ac praematuram, ut utar scripturali phrasi, *spiritus ostensionem*; quare illum prius blanditiis sibi benevolum redditum, postea in litterarum atque Religionis rudimentis perhumaniter erudire coepit, sperans puerulum istum magnum aliquando in Ecclesia sanctitatis fructum laturum. Spes minime elusit sanctissimum hominem; nam ubi Antonius ad adolescentiam pervenit, Divi Nicolai Tolentinatis sanctitatis fama, quae tunc temporis potissimum vigebat, permotus, Eremitanum Ordinem in patrio coenobio amplecti voluit. Fulgidissimo hoc vitae exemplari sibi proposito,

Digitized by Google

fieri non potuit quin vir Deo dilectus et hominibus, in omni heroicarum virtutum genere quammaxime proficeret. Obedientiae fuit admirabilis, castitatis angelicae, paupertatis incomparabilis, atque inter haec modum superabat singularis ipsius humilitas. Vigiliis, jejuniis, orationibus, atque carnis afflictationibus ad extremum usque vitae spiritum fuit addictissimus. Ut propius D. Nicolaum imitari posset, Tolentinum mitti a Superioribus postulavit, votique compos factus, innumeris ibidem Tolentinatis Thaumaturgi sanctitatis monumentis excitatus, alacrius ad ipsius sequenda vestigia se convertit. Quapropter magnam subiit Daemonis invidiam, qui quemadmodum Nicolaum, ita Antonium multimodis divexare coepit. At fortissimus Christi athleta validissimo Dei praesidio innixus, diabolicam insectationem contempsit. Sciens autem protypum suum Nicolaum intercessione Myrensis Antistitis in lucem editum fuisse, statuit Barium proficisci sanctissimo Praesuli pro tali, tantoque dono gratias acturus. In Apulia aliquandiu commoratus ut plenius suae erga Myrensem Pontificem devotioni satisfaceret, in patriam tandem revertitur, atque dum appropinquaret moenibus civitatis, singulae campanae, nemine pulsante, festivissimum sonitum ultro dederunt, ut sic cuncti concives monerentur, non quidem hominem qualemcumque, sed magna virtute praestantem, seu potius Angelum ad ipsos remeare. Itaque Amandulam reversus Antonius, sanctissimae vitae exemplis factus fuit spectaculum Deo, Angelis, et hominibus. Prior electus, coenobium, quod antea nimis angustum erat, amplificandum curavit; quod opus cum perficeretur, piissimus P. Prior ingentis miraculi patratione magis magisque apud omnes sanctitatem suam commendavit. Nam

Digitized by Google

intra Venetiarum lacunas anno 1421. sunt amplexati. Hi post emissam Augustinianam professionem, duce praefato Fr. Gabriele Spoletano, in agro Patavino, obtenta facultate a Martino V. anno 1424. instituerunt Congregationem Canonicorum Regularium S. Spiritus de Venetiis. Hujus institutionis veritatem probat etiam acerrimus Eremitarum adversarius Gabriel Pennotus, qui quamvis asserat laudatos quatuor Nobiles Venetos praefatae Congregationis institutores, fuisse Clericos Regulares, subjungit tamen eosdem in conventu S. Mariae de Nazaret Ordinem Eremitanum antea professos fuisse. Dum autem idem Pennotus de praefata institutione verba faciens, de nostro Garofolo omnino silet, nil aliud profecto agit, quam suum in Eremitanos malevolum animum perperam prodit; siquidem extra omnem dubitationem est, eorumdem Augustinensium Institutorum caput fuisse praefatum Gabrielem Spoletanum, ut patet ex Coriolano fere contemporaneo, cujus haec sunt verba: *Similiter princeps suo tempore omnium Evangelizantium Magister Gabriel de Spoleto nostri Ordinis, instituit Ordinem S. Spiritus de Venetiis.* Sed audiamus ipsum Pennotum vel libentem, vel invitum palinodiam canentem. Ipse enim in lib. 2. suae historiae tripartitae cap. 54. num. 4. parum sibi constans, haec de nostris Venetis Patritiis adjecit: *Anno 1424. ex commissione Martini Papae V. dimisso Eremitico, Canonicum habitum, et institutum sumpserunt per manus D. Petri Marcelli Episcopi Patavini.* Profecto ex hac luculentissima ipsius Pennoti confessione luce meridiana patet, quam impudenter ipsemet antea ausus fuerit asserere, praefatae Congregationis auctores fuisse Clericos Regulares, non autem Eremitas Augustinianos: magna est enim

Digitized by Google

vis veritatis, ut etiam ab inimicis, invitis quidem, quandoque assensum extorqueat. Verum Garofolus noster antiquae Matris amore ductus, ad Augustinianam Eremum anno 1426. reverti maluit, caeteris foris remanentibus, ex quibus Andreas postea Venetiarum Patriarcha electus fuit, et Philippus Paruta post binos Episcopatus, tandem ad Cretensem Cathedram evectus. Hoc itaque non parum confert ad majus Eremitanae Familiae decus et ornamentum, tales instituisse alumnos, qui aliorum Ordinum fundatores extiterunt. Vide Torellium, Elssium, Gandolphum, et alios.

B. Andreas de Biliis, seu Biglia.

Beatus Andreas Biglia Mediolanensis sacrae Theologiae Doctor, triplici praeconio summopere ab omnibus commendatur: nobilitate generis, eruditionis amplitudine, vitaeque sanctimonia. Nam revera, si genus inspicias, Patritius erat Mediolanensis, si eruditionem contempleris, in arte oratoria Tullio, in Philosophia Aristoteli, in Theologia Augustino comparatur; si demum a sanctimonia illum laudare cupis, haec beati nomen ipsi conciliavit. Potissimum autem ob historicam peritiam ab eruditis celebratur. Is Latinam, Graecam, atque Hebraicam linguas cum egregie calleret, incipiens a Grammatica, ac sursum ad sublimiora procedens, quamplurima volumina omnigena doctrina referta accuratissime exaravit, quibus dum aliis impense profuit, sibi quoque ipsi immortalem famam acquisivit, ob incomparabilem ingenii felicitatem

Digitized by Google

a quibusdam *Doctoris Angelici* nomenclatione donatus. Inter caetera autem ejus scripta auro cedroque dignissima praecipuam laudem meretur historia Mediolanensis ab anno 1402. usque ad 1431, quae fatentibus omnibus eruditis, tum stili elegantia, tum narrationum sinceritate, est opus omnium illius temporis excellentissimum. Tanta ferunt illum memoriae tenacitate praeditum fuisse, ut quidquid semel aut bis legisset, illud nunquam sibi amplius mente excideret, quapropter tantum postea sciebat, quantum antea legerat. Quidam scripserunt Andream istum Oecumenico Florentino Concilio interfuisse; at probabilius videtur ipsum ante ejusdem Concilii initium ex hac vita migrasse; opinantur enim melioris notae historici illum anno 1435. Senis in Tuscia, cum esset illius Provinciae Vicarius Provincialis, Creatori suo spiritum reddidisse, juxta quosdam adhuc juvenem, juxta alios autem valde senem, aut saltem prope sexagenarium. Ad rem apposite ait Possevinus: *Valde senex beato fine quievit, et in aede Divi Augustini sepultus est.* Extat in laudem hujus Andreae insigne Bartholomaei Fatii testimonium, quod piaculum esset omittere. En itaque illud: *Andreas Mediolanensis ex D. Augustini Ordine inter philosophos ac theologos clarus, Senis et alibi Philosophiam professus est. Studia quoque humanitatis coluit, historiam sui temporis scripsit, in qua quae sua aetate contigerunt, annotavit. Volumen praeterea de verborum latinorum interpretatione haud parvum reliquit. Inter oratores non multo minor, quam inter philosophos judicatus, ex praedicationibus quoque magnam laudem promeruit.* Laudatur praeterea ab omnibus nostratibus, atque ab externis fere innumeris, inter quos potissimum adeundus Tiraboschius. Lucubra-

Digitized by Google

tiones ejus sunt: 1. *Tractatus de Ordinis Eremitarum propagatione*, *impr.* 2. *In Evangelia opus maximum volumine et doctrina.* 3. *In primum Sententiarum opus imperfectum, cum praeveniente morte non potuerit illud perficere.* 4. *Ingens volumen sermonum ab Adventu usque ad finem Quadragesimae.* 5. *Principium expositionis in Genesim.* 6. *Annotationes in Terentium.* 7. *In primum et secundum Phisicorum.* 8. *Expositio, seu translatio ex Graeca in Latinam linguam Phisicae Aristotelis.* 9. *Interpretatio ex Graeco in Latinum libri Aristotelis de anima.* 10. *Comment. historica de detrimento Fidei in Oriente, seu de origine Turcarum.* 11. *Quaerelae pacis, lib.* 1. 12. *De pace cum Philippo Duce Mediolanensium componenda, ad Alphonsum Regem Aragoniae, lib.* 1. 13. *De suscipienda in Bohemos expeditione lib.* 1. 14. *De concordia et meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papae V. lib.* 2. 15. *De disciplina Ordinis admonitio habita in Capit. Bonon. lib.* 1. 16. *De pace et victoria Romanae Ecclesiae.* 17. *De amore ac magnitudine Crucis.* 18. *Historiarum Mediolanensium lib.* 1. *imp.* 19. *Historiarum Longobardorum lib.* 1. 20. *Hexameron, seu de Mundo sex diebus condito, insigne commentarium, ut ait Sixtus Senensis.* 21. *De arte dicendi lib.* 3. 22. *De non necessario mortis metu lib.* 1. 22. *De Coelo et Mundo lib* 4. *et alia plura.*

B. Andreas de Fabriano.

Beatus Andreas Sanuti, ex honestis parentibus inopibus rerum, sed divitibus virtutum, anno 1339. Fa-

Digitized by Google

briani natus est. A pia matre timore Domini cum lacte enutritus, coepit adhuc puerulus terrena despicere, atque coelestia solum inquirere; quare statim ac per aetatem ei licuit, de nuntio Mundi illecebris mittendo, atque monastico instituto amplectendo, maturo consilio deliberavit. Itaque in Fabrianensi coenobio, in quo tunc temporis complures vitae sanctimonia clarissimi viri degebant, Augustinianum habitum induit, ac post laudabiliter exactum tirocinium, solemnia vota emisit. Studio postea strenuam operam navando evasit insignis theologus, atque philosophus egregius, nec non magni nominis concionator. In scientiam tamen Sanctorum majori alacritate incumbens, ad altiorem christianae perfectionis gradum pervenit. D. Protoparentis Augustini hortamenta secutus, virtutum suarum fundamentum humilitatem posuit, atque super hanc firmissimam petram magnum construxit suae sanctitatis aedificium. Hujus sanctitatis luculenta indicia praestiterunt illustria miracula, quibus ante et post obitum claruit. Nam mortalitatem nondum exutus, signo Crucis plures obsessos a Daemone liberavit, atque mulierem quamdam difficultate pariendi animam agentem, e discrimine eripuit, nec non aliam mortuam ad vitam revocavit. Postea autem quam ad Superos evolaverat, domo quadam fortuito ruente, incolae tegularum lapidumque acervo immixti Andreae opem implorantes, ipse ne laederentur prohibuit. Item anno 1431. cum cujusdam Francisci Sanuti ipsius consanguinei multus ovium grex repentino Truenti fluminis impetu praeceps abriperetur, Andreas in auxilium invocatus, equo insidens una cum comite inter cita succrescentium aquarum volumina insperato apparuit, atque oves cunctas divinitus accita coele-

Digitized by Google

stium adjutorum manu e medio gurgite erutas ad alteram ripam in tuto collocavit. Incidit ejus beata mors in diem 10. Augusti anno 1389. Obiit autem Fabriani voluntariis potius corporis cruciatibus, atque quaesita carnis maceratione, quam morbo confectus. Ejus ossa Fabriani in quodam altari nostrae Ecclesiae adhuc servantur. Vide Torellium, et Elssium, aliosque nostrates.

B. Andreas de Luca.

Beatus Andreas de Luca, Iliceti multis sanctitatis exemplis conspicuam vitam ducebat, cum ab Urbano VI. propter Ecclesiae necessitates penes se vocatus, dulcissimam solitudinis quietem, quamvis plenus dierum, et aeger, deserere non dubitavit, ut voluntati Pontificis obtemperaret, qui una cum ipso alios item sanctitate celebres Augustinenses Ilicetanos Romam arcessiverat, ut ipsorum consiliis in Ecclesiae reformatione uteretur. Hos apud praefatum Pontificem laudaverat sanctissima virgo Catharina Senensis, quae etiam eidem persuasit, ipsum abs re minime facturum, si illos ad se utique consulendos vocare non dedignaretur. Hos inter fuit etiam B. Antonius de Nicea item Ilicetanus, eidem S. Catharinae admodum necessitudine conjunctus, ad quem ista complures epistolas misit, in quibus illum hortabatur, ut libenter ab Ilicetana silva egrederetur, seque apud Pontificem, a quo invitatus fuerat, conferre non renueret, proposito, quo illius animum facilius flectere posset, exemplo nostri B. Andreae de Luca, quem magnum servum dei appellavit, et

Digitized by Google

cujus promptam obedientiam Pontifici vocanti summopere commendavit. Ad hunc B. Andream Spoleti degentem (forsitan dum iter Romam versus faciebat) eadem B. Catharina quamdam suam epistolam scripsit. Floruit Andreas noster circa annum 1380. Vide Torellium, et Elsium.

B. Andreas Regulinus Senensis.

Beatus Andreas Regulinus Senensis, insignis sanctimoniae vir, consanguineus fuit S. Bernardini Senensis, quem etiam per christianae perfectionis semitam sequi sategit. Is fuit unus ex illis Ilicetanis Augustinensibus, qui anno 1408. ut collabentem Canonicorum Regularium S. P. Augustini Ordinem sustinerent, indulto Gregorii XII. Congregationem Scopetinorum in conventu SS. Salvatoris instituerunt. In hoc consentientem habemus Augustinum Ticinensem Canonicum Regularem Lateranensem, qui in suo opere de Religionum origine haec scribit: *Ordo Canonicorum Regularium, qui vulgariter Scopetini nuncupantur, in Senensi agro S. Salvatoris a venerabili viro Stephano (Cioni de Senis) fuit institutus*, *cui coadjutor fuit Fr. Jacobus Andreas natione Senensis*, *Ordinis Eremitarum etc.* His adhaeserunt Philippus Agazarius de Senis, Joannes de Stagia, Dominicus de Hugolinis, Joannes de Salimbenis, iste Andreas Regulinus, ejusque germanus frater, Bartholomaeus Salvi, Christophorus Landucci, et alii, qui omnes Eremitarum cucullum cum Canonicorum supparo commutarunt, in hoc, meo videri, minime lau-

Digitized by Google

dandi, quod propter nimiam caritatem, qua Canonicis Regularibus prodesse cupierunt, ut ipsorum inopiae occurrerent, Eremitanam Familiam expoliarunt, dum SS. Salvatoris Ilicetanum coenobium, facultate a Pontifice obtenta, cum omnibus bonis mobilibus, et immobilibus sub Canonicorum potestatem reduxerunt. Verum antiquissimi, ac celeberrimi conventus alienationem nostrates minime aequo animo ferre voluerunt, quapropter manibus pedibusque omnem lapidem moverunt, ut illum recuperarent; quod tandem negotium, etiam propter ipsius Senensis Reipublicae cooperationem, ipsis bene vertit, dum praefatus Pontifex nedum coenobium antiquis dominis restituit, verum etiam novellis Scopetinis veniam dedit ad pristinum Eremitanum Institutum redeundi. Quamobrem ex illis, septem ad arcam, ut columba, reversi sunt, quinque duntaxat foris remanentibus. Inter septem fuit etiam noster B. Andreas Regulinus, qui apud nostrates sanctissime vitam finivit anno 1449. Quinque autem illi, qui inceptam Canonicorum professionem relinquere noluerunt, post varias vicissitudines, opera praesertim Guidi Antonii Comitis Urbinatis, aliud Augustiniani Ordinis coenobium in territorio Eugubino obtinere potuerunt, atque exinde paulatim postea Scopetinorum Congregatio per diversa Italiae loca propagata fuit. Vide nostrates Ambrosium Landuccium, Torellium, praefatum Augustinum Ticinensem, et alios.

Digitized by Google

B. Antonius ab Amandula.

Beatus Antonius ab Amandula ideo hisce nominibus vocatur quia prope Amandulam in Piceno anno 1355. in die S. Antonii Abbatis primitus ad vitae lumen venit. Parentes habuit honestos ac pios, patrem scilicet Simplicianum de domo Smeraldi, ut putat Torellius, matrem vero Joannam, cujus genus a scriptoribus omnino reticetur. Qui quidem sancti conjuges, quoniam post diutinam sterilitatem optatissimum filium interposita ad Deum prece divinitus impetrarunt, ita illum accepti beneficii memores, digne divino Datore majori studio instituere satagerunt. Hinc factum est, ut puer grandiusculus effectus, opera pietatis prona quadam proclivitate praeter coaevorum morem ardentius sectari coeperit, quare ad proximam paternae domui Benedictinorum Ecclesiam frequenter adibat, ibique magna monachorum admiratione tum Missarum celebrationi, tum caeteris divinis officiis in Deum totus absorptus interesse solebat. Perspexit quidam venerabilis coenobita optimam Antonii indolem, ac praematuram, ut utar scripturali phrasi, *spiritus ostensionem*; quare illum prius blanditiis sibi benevolum redditum, postea in litterarum atque Religionis rudimentis perhumaniter erudire coepit, sperans puerulum istum magnum aliquando in Ecclesia sanctitatis fructum laturum. Spes minime elusit sanctissimum hominem; nam ubi Antonius ad adolescentiam pervenit, Divi Nicolai Tolentinatis sanctitatis fama, quae tunc temporis potissimum vigebat, permotus, Eremitanum Ordinem in patrio coenobio amplecti voluit. Fulgidissimo hoc vitae exemplari sibi proposito,

Digitized by Google

fieri non potuit quin vir Deo dilectus et hominibus, in omni heroicarum virtutum genere quammaxime proficeret. Obedientiae fuit admirabilis, castitatis angelicae, paupertatis incomparabilis, atque inter haec modum superabat singularis ipsius humilitas. Vigiliis, jejuniis, orationibus, atque carnis afflictationibus ad extremum usque vitae spiritum fuit addictissimus. Ut propius D. Nicolaum imitari posset, Tolentinum mitti a Superioribus postulavit, votique compos factus, innumeris ibidem Tolentinatis Thaumaturgi sanctitatis monumentis excitatus, alacrius ad ipsius sequenda vestigia se convertit. Quapropter magnam subiit Daemonis invidiam, qui quemadmodum Nicolaum, ita Antonium multimodis divexare coepit. At fortissimus Christi athleta validissimo Dei praesidio innixus, diabolicam insectationem contempsit. Sciens autem protypum suum Nicolaum intercessione Myrensis Antistitis in lucem editum fuisse, statuit Barium proficisci sanctissimo Praesuli pro tali, tantoque dono gratias acturus. In Apulia aliquandiu commoratus ut plenius suae erga Myrensem Pontificem devotioni satisfaceret, in patriam tandem revertitur, atque dum appropinquaret moenibus civitatis, singulae campanae, nemine pulsante, festivissimum sonitum ultro dederunt, ut sic cuncti concives monerentur, non quidem hominem qualemcumque, sed magna virtute praestantem, seu potius Angelum ad ipsos remeare. Itaque Amandulam reversus Antonius, sanctissimae vitae exemplis factus fuit spectaculum Deo, Angelis, et hominibus. Prior electus, coenobium, quod antea nimis angustum erat, amplificandum curavit; quod opus cum perficeretur, piissimus P. Prior ingentis miraculi patratione magis magisque apud omnes sanctitatem suam commendavit. Nam

Digitized by Google

cum quadam die mensae cum fratribus accumberet, inopinato surgens Antonius, ad locum operis ire festinat; quo ut pervenit, statim vidit quemdam caementarium ex alto praecipitem ruentem, quem ipse mirantibus omnibus, suis brachiis excipiens, ad humum blande demisit. In quo sane duplex Antonii miraculum apparuit, nempe praesensionis, dum inopinato surgens, ad locum operis properavit, et sustentatus, dum hominem illum jam jam praecipitio collidendum, tamquam levem plumam in aere sustinuit, incolumemque humi deposuit. Inter caetera autem, quibus a Deo abunde insignitus fuit, illustria miracula, hoc procul dubio tum sui frequentia, tum ipsa rei novitate meretur peculiariter recenseri. Nam cum Antonius opus haberet, ut tunicam sibi lavaret, nil aliud agebat, quam illam sub dium extendebat; ac mox, quamvis sudum undique in coelo emicaret, coacervatim nubes glomerari in aere conspiciebantur, quae sine mora congruam pluviam demittentes, ad purgandam Antonii tunicam fullonis officium praestabant. Quapropter quoties vicini illum tunicam explicantem cernebant, toties pluviam continuo casuram tuto conjiciebant. Hinc profecto ratio patet magni utique imperii, quod hactenus in nubes Beatus noster mirum sane in modum efficaciter exercet, dum a concivibus haud perperam vel ad serenitatem impetrandam, vel ad pluviam obtinendam saepe saepius invocatur.

Gratia insuper curationum praeditus, quamcumque etiam insanabilem aegritudinem vel solo Crucis signo, vel ipsis indicta tantum Pater et Ave recitatione, ab infirmis procul pellebat; quare quotidie matres pueros male habentes ad illum adducebant, quos ipse solito Crucis signo

Digitized by Google

illico sanabat omnes, ac ne sibi istud merito verteretur, soli Deo, cujus est salus, gratias agendas praedicabat. Neque vero miraculis tantum, sed etiam aliis quoque dotibus Antonius noster adhuc vivens coruscavit. Nam dum orationibus operam dabat, frequentibus afficiebatur ecstasibus, quibus nedum extra sensus rapi, verum etiam ad aerem levari saepe saepius ab adstantibus visus fuit. Erga patriam summo amore flagrans, illam adhuc vivens ab imminenti discrimine liberavit. Nam cum quadam die valida militum manus collem, in quo Amandula est sita, animo illam depopulandi ascendere coepisset, obvium illis se praebuit Antonius, monens eos, ut hac relicta, aliam viam inferiorem carperent, quae alio quam Amandulam ducebat. Illi autem sanctissimi viri monitum flocci facientes, initam viam prosequi maluerunt. Verum quid tum? Ipsorum equis, continuatis offendiculis, uno post alium ad humum labentibus, qui antea sponte regredi noluerunt, coacti sunt reverti inviti; atque hinc factum fuit, ut unius Antonii opera ab ingruenti depopulationis exitio Amandulensis civitas incolumis evaserit. Prophetiae dono illustris futurae mortis diem et horam fratribus praenuntiavit; quare Sacramentis Ecclesiae rite susceptis, diebus meritisque plenus die 25. Januarii, anno 1450. ex hac vita migravit, aet. ann. 95. Statim post obitum coepit pluribus coruscare miraculis, quae non ita multo post religiosum cultum illi conciliarunt; quapropter Summus Pontifex Clemens XIII. ejusdem cultus antiquitate rite probata, Antonium Beatorum catalogo adscripsit. Demortui corpus, quod juxta ipsius voluntatem, ante januam Sacrarii sub nuda humo sepultum fuerat, post triginta circiter menses ejusdem monitu inde elatum, in arca lignea

Digitized by Google

repositum fuit, unde postea in aliam item ligneam translatum, ibidem etiam nunc integrum, et incorruptum, magna veneratione colitur. Vide Torellium, Elssium, et Ordinis Breviarium.

B. Antonius de Nicea.

Beatus Antonius Niceae in Provincia natus, fama permotus, quae ubique locorum maxime tunc temporis percrebuerat de insigni sanctitate Eremitarum Augustinensium, qui Ilicetanam silvam in Hetruria prope Senas incolebant, in ipsorum societatem cooptari voluit, licet jam antea Eremitanum Institutum in sua provincia Provinciae professus fuisset. Itaque inter Ilicetanos a B. Nicolao Tinio de Marescottis admissus, in medio sanctorum virorum non minori ipse quam caeteri vitae sanctitate clarescere coepit. Eximiae ipsius virtutes magnam illi existimationem, atque benevolentiam conciliarunt penes praeclarissimam virginem D. Catharinam Senensem, quae etiam rara ejusdem merita patefecit Summo Pontifici Urbano VI. apud hunc agens, ut sanctissimum coenobitam Romam ad se vocaret, magno utique in tot Ecclesiae calamitatibus sua prudentia, atque sanctitate auxilio ipsi futurum. Non despexit Sanctissimus Dominus commendationem tantae mulieris, ac proinde sine mora Antonium Romam arcessivit. Nolens tamen humillimus Eremita jucundissimam sibi solitudinis beatitatem relinquere, de Ilicetana silva egredi supersedebat. Quapropter eum B. Catharina repetitis precibus, atque hortamentis perurgere coepit,

Digitized by Google

inter caetera haec ad illum scribens: *Avvedrommi* (excribam verba prout jacent apud Torellium) *adunque se in verità avete conceputo amore alla riformazione della S. Chiesa, perciocchè se sarà così in verità, venirete a seguire la volontà del Benefattore nostro Signore Iddio, e del Vicario suo. Uscite dal bosco, e venite ad entrare nel campo della battaglia; ma se voi non farete questo, vi averete a scordare della volontà di Dio, e però vi prego per l'amor di Gesù Cristo nostro Redentore, che prestamente veniate, e senza indugio alla richiesta, che il Santo Padre vi fà etc.* Ivit itaque Romam B. Antonius, atque ibidem Pontifici in negotiis Ecclesiae componendis egregiam praestavit operam. Tandem meritis, ac virtutibus plenus, cum magna opinione sanctitatis ex hac vita migravit anno 1391. Vide Landuccium, et Torellium, aliosque nostrates praesertim Ilicetanos.

B. Antonius de Ravenna.

Beatus Antonius de Ravenna quamvis ignotae sit prosapiae, ignotaeque nativitatis, est tamen notae sanctitatis. Pauca quidem de praeclaris ipsius meritis nostrates auctores litteris mandarunt; sed ea nihilominus, quae breviter de illo scripserunt, satis superque sufficiunt Antonii nomini immortalitate donando. Nam Ambrosius Coriolanus, V. Alphonsus de Orosco, et Hieronymus Romanus illum, inter caeteras egregias virtutes, singulari castimonia, atque incredibili prorsus abstinentia praeditum fuisse tradiderunt. Ipsius angelicae puritatis nitor adeo splendebat,

Digitized by Google

ut multi in castissimam illius vitae conversationem tamquam in nitidissimum speculum inspicientes, e vitiorum coeno ad virtutis sequelam conversi fuerint. Tanta est enim religiosi hominis illibatae castimoniae vis, ut ipsos praevaricantium animos vel etiam invitos tacite ad resipiendum alliciat. Abstinentiae autem adeo fuit rigidus custos, ut nunquam post susceptam Religionem, aut carnes degustarit, aut vinum vel siceram biberit. Obiit autem anno 1391. in magna opinione sanctitatis, statimque post obitum beati tum titulo, tum imaginibus honorari coepit. Vide laudatos auctores, nec non Torellium, et Elssium.

V. *Antonius de Fano Senior.*

Venerabilis Antonius de Fano Senior appellatus, ut ab altero ejusdem nominis, ejusdem patriae, ejusdemque meriti item Augustiniano secernatur, quo anno, quibus parentibus exortus fuerit, et quando Eremitanum Ordinem amplexatus, dignosci non potest. Constat tamen jam inde ab anno 1389. nedum ipsum Augustinianae Familiae nomen dedisse, verum etiam Philosophiae curriculum in Studiis Ordinis peregisse. Post reliqua studia completa Lectoris gradum assecutus, quippe qui regularis observantiae zelo se succensum ostendebat, saepe saepius a Superioribus huc, atque illuc missus fuit, ut religiosam disciplinam aut vigentem sustineret, aut collapsam erigeret. Quapropter circa annum 1420. eligitur Prior monasterii S. Mariae extra Florentiam, quod supra caetera omnia observantiae laude praeeminebat. Ibidem vir exi-

Digitized by Google

miae pietatis, atque singularis prudentiae, Mantellatarum confessarius constitutus fuit. Deinde volens B. Augustinus de Favaronibus Romanus, tunc temporis Supremus Ordinis Moderator, exactiorem disciplinam in Panormitano coenobio instituere, nullum alium in toto Ordine Antonio virum praestantiorem se invenire posse putavit, cui hoc negotium gerendum committeret. Appulit itaque Panormum Fanensis illustris, atque ibidem summa dexteritate, ac pari exitus faustitate Supremi Antistitis propositum executioni mandavit. Panormitani coenobii religiosa instauratione prospere, feliciterque completa, ut quae ibidem optime gesserat, eadem etiam in singulis Calabriae monasteriis gereret, industrius Augustinianae disciplinae instaurator illius provinciae Vicarius Generalis constituitur. Quo auctus honore nedum strictiori observantiae in illa monasteria invehendae sedulo incumbebat, verum etiam, ut erat Theologiae Lector egregius, Calabros Augustinenses alumnos scite docebat, quo duplici instaurandi, et docendi munere duplex etiam istud commodum in Ordinem conferebat, ut scilicet tum fratrum animos sanctioribus praeceptis imbueret, tum ipsorum mentes optimis disciplinis instrueret. Verum communis observantiae tenor haudquaquam Antonii voluntatem perfectiora cupientem contentam reddebat; quare a Summo Pontifice Martino V. circa annum 1430. postulavit, et obtinuit, ut sibi liceret in quodam prius a se delecto illius regionis secessu cum aliquot sociis duntaxat Deo vacans latitare. Brevi autem potuit quaesita frui solitudinis beatitate, nam duobus post annis, quam illic sedem fixerat, anno scilicet 1432. extremum sanctissimae vitae diem morte confecit. Vide Torellium, et Elssium, aliosque nostrates.

Digitized by Google

B. Antonius de Fano Junior.

Beatus Antonius de Fano Junior ibidem honesta stirpe ortus, ubi ad adolescentiam pervenit, saeculo valedicens, intra Augustinianam Eremum Dei obsequio se totum mancipavit. Post Philosophiae studium in sua Picena provincia completum, Valentiam in Hispaniam Theologiam discere mittitur. Ibidem brevi adeo doctrina, atque sanctitate conspicuus evasit, ut ipsemet Alphonsus V. Aragoniae Rex tanti viri fama permotus, illum quamvis adhuc valde juvenem, et alienigenam, universali omnium admiratione, suum sibi confessarium elegerit. Summam interdum ipsius prudentiam atque probitatem expertus, illi gravissima quaeque Regni negotia tractanda commisit. Et revera legatum Romam pro pace cum Martino V. componenda missurus, nullum alium praefatus Rex hujusmodi rei gerendae magis quam suum confessarium idoneum in toto Regno existimavit. Nec tamen sua Regem spes fefellit; nam, uti notat individuus Fanensis nostri sodalis Fr. Antonius de Rocca-Contrata, *non propter mundanam scientiam, astutiam, et sagacitatem, quia parum in his sentiebat; sed propter ejus vitae laudabilem famam, et approbatam sanctitatem, Deus mirabilia fecit per eum*; idest expetitae pacis negotium prospere, feliciterque per B. Antonium confectum fuit. Erat autem tunc Antonius non plus 37. annos natus. Qua occasione Romae degens, interfuit translationi S. Matris Monicae, pro cujus exuviis Ordini vindicandis suam etiam validissimam operam interposuisse creditur; quapropter ipsemet Martinus V. in quodam suo sermone, quem ad rem apposite tunc in S. Augustini tem-

plo pronunciavit, de illo etiam honorificam mentionem fecit, ut refert Torellius. Altera item ejusdem Regis una cum Matthaeo Fujades viro illustri, ad Eugenium IV. legatione, anno 1432. nobilitatus fuit. Eodem anno, uti opinatur laudatus Torellius, dives meritis ac virtutibus ad regionem immortalitatis transmigravit. Ejus vitae sanctitas, ex accepto jam inde ab obitu beati titulo, satis superque innotescit. Vide Herreram, Torellium, Elssium, aliosque nostrates.

Fr. Antonius Rampelogus.

Antonius Rampelogus Januensis, suo aevo fuit unus ex iis, qui Scripturae Sacrae, et Juris tam Pontificii, quam Caesarii peritissimi habebantur. Vir ingenio praestans, atque clarus eloquio, fuit etiam omnium concionatorum sui saeculi facile princeps. Et revera extabat olim, uti notat Gandolphus, in nostro Savonensi S. Augustini coenobio liber manuscriptus cujusdam Augustiniani anonymi, in quo de nostro Rampelogo haec legebantur: *Interea sermones R. Patris Fratris Antonii Rampelogi populo ita gratissimi erant, quod relictis omnibus aliis praedicatoribus, ad eumdem omnes avide confluebant, quippe ad virum perdoctum, et elegantem, qui librum Figurarum Bibliae pulcherrimum edidit.* Hic liber egregius, qui juxta Tiraboschium modo vocatur *Aurea Biblia*, *modo Figurae Bibliorum*, modo autem *Repertorium Biblicum*, quamvis ante illius correctiones a nostratibus Magistris Antonio Zerra Senensi, et Aurelio Plumbinensi peractas, nonnullis men-

Digitized by Google

dis minime caruerit, semper tamen apud omnes in summo pretio est habitus, uti patet ex innumeris propemodum editionibus, quae ubique locorum, ejusdem operis concionatoribus praesertim utilissimi factae fuerunt. Dixi: juxta Tiraboschium, nam Gandolphus noster tribus superius allatis titulis tria diversa Rampelogi opera indigitari affirmat. Fuit autem Rampelogus noster anno 1390. Lector sacrae Theologiae Genuae, deinde Patavii, postea Bononiae, ac demum Neapoli, cujus civitatis Augustinianis alumnis praefatum notissimum librum nuncupavit. Nomine Reipublicae Genuensis interfuit Oecumenico Concilio Constantiensi, in quo singulari prudentia, summaque eruditione, praesertim contra Hussitas dimicando, immortale sibi nomen acquisivit. Non constat quo anno naturae satisfecerit, quamvis certum sit ipsum circa medietatem XIV. Ecclesiae saeculi, mortalitatem exuisse. Illum laudibus efferunt omnes nostrates, inter quos celebratissimus historicus Jacobus Philippus Forestus Bergomensis ad annum 1355. haec de praestantissimo sodale scripsit: *Declamator sui saeculi famosissimus et celeberrimus, etiam ipse haec tempora praedicando, et docendo, monendo, et castigando clariora reddidit. Qui et christianis populis ad bene beateque vivendum, verbo pariter, et exemplo, quoad vixit, incessanter viam optime ostendit.* Inter externos consulere poteris Trithemium, Petrum de Alva, Abbatem Justinianum, Oldoinum, Gesnerum, ac tandem, ne plures commemorem, Sixtum Senensem, qui inter alia haec etiam de illo affirmat: *Claruit in Concilio Constantiensi contra Hussitas disputans.* Opera autem eximii Genuensis haec sunt: 1. *Praefatum opus Figurarum Bibliorum etc.* 2. *Aureum Bibliorum Repertorium etc. imp.* 3. *Biblia aurea,*

imp. 4. *Dictionarium pauperum, imp.* 5. *Speculum salvationis humanae, imp.* 6. *Insigne opus casuum conscientiae.* 7. *Quadragesimale.* 8. *Aliqua volumina sermonum, quibus concionatores plurimum juvari consueverunt.* 9. *Figurarum moralium compendium.*

FF. Arnoldi Sancius, et Ruffus Tolosani.

Arnoldus Sancius Tolosae in Gallia natus, postquam Augustinianae Familiae nomen dedit, multo doctrinae splendore Eremitanum Ordinem illustravit. Is non solum Theologiam, verum etiam utramque Jurisprudentiam optime callebat. Hunc laudat Possevinus, qui refert illum in lucem emisisse aliquot volumina, quae nimirnm sunt: 1. *Super lib. Sent. lib.* 4. 2. *De praescriptionibus lib.* 3. *De generibus usurae lib.* 1. 4. *De restitutione lib* 1. Florebat circa annum 1390. Honorabilem etiam de illo mentionem facit Nicolaus Beltrandus scribens de gestis Tolosanorúm. Arnoldus iste alius omnino est ab alio Arnoldo cognomine Ruffo item Augustinensi Tolosano, qui juxta Elssium clarebat anno 1431, at juxta praefatum Beltrandum, quem sequitur Torellius, anno 1463. Verum quidquid sit de tempore, quo floruerit, nos hic illum ideo reponimus, quia res ipsa ita postulare videtur. Itaque Arnoldus Ruffus, quemadmodum Sancius, eximius fuit sacrae Theologiae Doctor, et vir, ut illum Beltrandus appellavit, magnae sanctitatis, et doctrinae, Quippe qui non ea, quae sua erant, sed quae Christi, jugiter quaerebat, gratis, quas didicerat scientias, ad majorem Dei gloriam,

Digitized by Google

caeteris communicabat. Divinis operibus, toto vitae suae tempore semper intentus, tandem, ut scribit saepius laudatus Beltrandus, plenus dierum, et sanctarum actionum migravit ad Dominum. Scripsit annotationes in D. P. Augustinum de *Civitate Dei*, et quaedam alia super alios ejusdem tractatus. Vide inter caeteros Torellium, et Elssium.

Fr. Augustinus Campellus de Leonissa.

Augustinus Campellus de Leonissa, quae est nobile Aprutii oppidum, tum divinarum, tum humanarum disciplinarum peritia maxime clarus, fuit in sacra Theologia Baccalaureus, et Magister Biblicus. Quippe qui plures pro Apostolica Sede labores utiliter sustinuerat, infula Ecclesiae Bovensis in Calabria ab Eugenio IV. remuneratus fuit. Verumtamen (heu quam cito transit gloria Mundi!) vix inauguratus Episcopus, post initam per procuratorem Episcopalis Cathedrae possessionem, cum Romae degens iter Bovam pararet, inopinata aegritudo omnem illi viam in Calabriam interclusit, aditumque e contra ad aeternitatis regionem aperuit; quare ideo duntaxat infulam accepisse videtur, ut magis oneratus ad Christi tribunal intraret. A vita autem descivit Romae anno 1435, fuitque in templo S. Augustini sepultus. Quidam Campellum istum vocant de Gonessa; at hoc nomine non aliud nisi Leonissae oppidum indigitatur, ut videre est apud Gandolphum, et Constitutiones Ordinis Romae editas anno 1649. in quibus Leonissae coenobium appellatur de Gonessa. Alii vero ex hujusmodi nominis ambiguitate binos putant extitisse Leo-

Digitized by Google

nissanos Augustinenses conspicuos; at contrà Gandolphus opinatur tantum fuisse unum, alterum vero a quibusdam excogitatum, inter larvas amandandum. In hac autem scriptorum discrepantia si tu mavis, erudite lector, binos Leonissanos Augustinenses admittere, rem facis Ordini gloriosiorem. Laudant eximium Campellum, praeter nostrates, Frisius, Marraccius, Toppius, Ughellus, Jacobillus, et alii. Scripsit autem: 1. *Sermones* 50. *super Orationem Dominicam.* 2. *Sermones* 28. *super Salutationem Angelicam.* Hi omnes Sermones typis consignati fuerunt.

Fr. Augustinus de Cumis.

Augustinus de Cumis patria Mediolanensis, Eremitano Ordini adscriptus, tum doctrina, tum morum probitate, suo aevo maxime floruit. *Nam* (verba sunt Gandolphi) *exemplaritas et puritas vitae eum populis venerabilem reddidit, litteratura vero concionando et scribendo ostensa, inter Doctorum choros aggregavit.* Nominatur cum laude non solum a nostratibus auctoribus, verum etiam ab Abbate Piccinello in Mediolanensi Athenaeo, et Joanne Baptista Carisio in Theatro sacro. Vitae cursum implevit anno 1451. Nomen suum posteris commendavit aliquot eruditis exaratis voluminibus, quae videlicet sunt: 1 *De* 4. *virtutibus cardinalibus lib.* 1. 2. *De septem peccatis mortalibus lib* 1. 3. *De oculo morali, tractatus unicus.* 4. *Sermones varii, lib.* 1. Vide Torellium, Elssium, et Gandolphum.

Digitized by Google

B. Augustinus de Favaronibus Romanus.

Beatus Augustinus de Favaronibus vere fuit, ut verbis utar nostri eruditissimi Ambrosii Coriolani, *alter Augustinus, sic enim Aurelii Augustini opera familiaria habebat, ut ab eo edita viderentur, sic copiosus, et profundus theologus, ut flumen quoddam divinae sapientiae videretur.* Sed ne cui suspecta Augustiniani scriptoris auctoritas videatur, in medium proferam eruditissimi Ughelli de nostro Augustino valde praeclarum testimonium. Ait enim de praestantissimo Augustiniano Antistite: *Vir eximia scientia doctus, ingenio subtilis, moribus, et sanctimonia vitae celebris, cujus monumenta illustria recenset Anastasis Augustiniana. Post annos duodecim (totidem in suo Magisterio Generali consumpserat) in magna humilitate, et zelo Ecclesiasticae disciplinae in Archiepiscopali honore vita traducta, bonorum fruge ditatus, in senectute bona, virgo et humilis ad aeternae salutis tramitem feliciter Prati in Hetruria properavit anno 1443, ubi summa veneratione in templo S. Augustini humatus colitur, titulum viri beati a suis adeptus, pluraque memorantur gloriosae suae sanctitatis argumenta.* Et revera si innumeros consulas sive nostrates, sive externos auctores, qui calamum pro nostro Augustino laudando strinxerunt, facile perspicies, ab omnibus illum excelsis praeconiis exornari tamquam hominem eximiae integritatis, mirae prudentiae, singularis sanctitatis, atque omnigenae eruditionis. Potissimum autem theologica scientia, atque concionandi peritia praeeminebat. Tam illustria insignis Augustinensis merita Summum Ecclesiae Hierarcham Urbanum VI. minime latuerunt,

Digitized by Google

qui propterea illum anno 1379. ad trutinam revocandis S. Birgittae revelationibus addixit. Anno 1419. in Capitulo Astae apud Subalpinos celebrato renuntiatur Ordinis Generalis, quo nomine 12. annos Augustinianam Rempublicam summa industria administravit. Ad supremum Ordinis fastigium evectus, quippe qui vir erat regularis observantiae promovendae studiosissimus, quaedam coenobia selegit, in quibus ad perfectiorem normam religiosa observantia revocaretur; inter quae quoniam Perusinum S. Mariae Novellae monasterium prae caeteris postea florere coepit, idcirco hinc exorta Congregatio decem circiter coenobiis constans, Perusina appellata fuit. Plurimam item iniit gratiam, atque existimationem apud Summum Pontificem Eugenium IV. a quo propterea anno 1431. Archiepiscopus Nazarenus, (Baruli in Apulia) et Episcopus administrator Caesenatis Ecclesiae creatus fuit. Interfuit meritissimus Antistes Concilio Oecumenico Basileensi, in quo sectione XIX. damnatus fuit ob quasdam minus ponderatas propositiones ipsius libellus de *humana Christi natura*, salva tamen Auctoris persona, cujus summa pietas ac doctrina toti Mundo notissima erat. Quoniam autem erat Summo Pontifici Eugenio addictissimus, idcirco in praefato Concilio, ut utar scripturali phrasi, cum refractariis portionem suam non posuit. Tandem anno 1443. uti patet ex superius allato Ughelli testimonio, Prati in Hetruria extremum sanctissimae vitae diem confecit, tantam superstitibus, posterisque suae sanctitatis famam relinquens, ut non solum beati titulum obtinuerit, verum etiam ipsius reliquiae per 46. annorum spatium, nempe usque ad annum 1489. in magna populi veneratione habitae fuerint. Nam eodem anno Rm̃us Anselmus de Montefalcone Gene-

Digitized by Google

ralis praecepit Priori ac Fratribus conventus Pratensis, ut nullus auderet in posterum alicui ostendere reliquias Rmi Augustini de Roma, sine sua expressa licentia, vel Provincialis, *et haec ut majori desiderio dictae reliquiae venerentur.* Ita iisdem fere verbis Gandolphus. Commendant praestantissimum virum omnes nostrates scriptores, quibus subscribunt Trithemius, Possevinus, Sixtus Senensis, Bellarminus, Gesnerus, Frisius, Ughellus, Henricus Warthon Anglus, aliique externi. De litteraria republica optime meritus fuit multorum operum editione, quae nimirum sunt: 1. *De principatu, et potestate Papae.* 2. *Super primum Sent. volumen magnum, quod in compendium redactum fuit a nostrate doctissimo Guilelmo Becchio.* 3. *Super* 2. 3. 4. *Sent.* 4. *In Epist. ad Corinthios.* 5. *Super Epist. ad Philippenses.* 6. *Super Epist. ad Galatas.* 7. *Super alias Epist. lib.* 10. 8. *Super Apocalypsim D. Joannis.* 9. *De charitate Christi erga electos lib.* 1. 10. *De principatu Christi secundum naturam assumptam lib.* 1. 11. *De Sacerdotio Christi, et electorum.* 12. *De libero arbitrio lib.* 1. 13. *De peccato originali lib.* 1. 14. *De potestate Principum in collatione bonorum suorum Ecclesiis lib.* 1. 15. *De Sacramento unitatis Christi, et Ecclesiae lib.* 1. 16. *De perfecta justitia militantis Ecclesiae lib.* 1. 17. *De meritis Christi lib.* 1. 18. *Comment. super lib. Ethicorum Aristotelis, et alia plurima.*

Digitized by Google

B. Bandinus de Scottis.

Beatus Bandinus de Scottis, vel ut alii malunt, de Balzettis, quo tempore sanctitate claruerit, inter sese variant auctores. Nam quidam illius transitum anno 1270. assignant, uti Torellius, alii autem 1388. quemadmodum Crusenius, alii tandem 1391. sicut Pamphilus. Nos autem relicta legentibus facultate quamlibet hac de re opinionem amplectendi, Episcopo Signino subscribentes hoc loco illum reponimus. Itaque Bandinus noster Senis in Tuscia ortus, utpote qui jam inde a puero quae sursum sunt, non quae super terram, quaerere coeperat, contempta nobilissimae domus amplitudine, religiosam humilitatem in Ilicetano Augustinensi coenobio amplecti voluit. Quamobrem intra ilicum silvam, quae Augustinianam sanctitatem adhuc olet, vix ingressus, vegetiores eos atque venustiores virtutum flores ibidem omni studio colligere sategit, qui aut nullatenus, aut difficillime intra deliciis affluentia divitum habitacula reperiri possunt. In illo igitur celebratissimo sanctorum virorum receptaculo Bandinus consistens, brevi ita supra caeteros vitae sanctimonia, ac prudentiae laude praeeminere coepit, ut propterea a superioribus Prioratus officium suscipere coactus fuerit; quod munus, invitus licet, semper quoad vixit, magna utique dexteritate, ac maximo regularis disciplinae bono, retinere debuit. Hae autem fuerunt eximiae sanctissimi Prioris virtutes: membrorum corporis mortificatio hominum fidem excedens, jejunium, et abstinentia singularis, oratio fervens et assidua, humilitas, obedientia, paupertas, castitas, ac reliquae monasticae vitae piae exercitationes

Digitized by Google

nunquam satis verbis explicandae. Prae caeteris tamen stuporem, atque admirationem affert ipsius claustralis silentii inviolata observantia, qua ita se Deo acceptum reddidit, ut etiam ingens miraculum ad hujusmodi instituti probationem ab ipso obtinere meruerit. Nam cum quadam die furem coenobii asellum abigentem vidisset, ipse ne silentii legem frangeret, neque abigeatorem prohibuit, neque Fratribus abigeatum indicavit; sed templum ingressus rem totam Dei curae commisit, obsecrans benignissimum Dominum, ut Fratrum asellum ad suam caulam reduceret. At mirum! Nondum prece peracta, inter medios Iliceti ilices una simul immoti constitere abactus, et abigeus, nec ultra progredi valuerunt; quare ad saniorem mentem reversus latro, suae culpae venia impetrata, jumentum coenobitis restituit. Sic unius silentium nullo negotio obtinuit, quod multorum clamor et rumor aut vix, aut ne vix quidem consequi potuisset. Tandem diligentissimus silentii custos, diebus meritisque plenus, mortalem vitam exuit Iliceti, ut immortalem indueret in coelis, juxta laudatum Pamphilum, anno 1391. Statim post obitum beati nomine a Fidelibus nuncupari coepit. Adeas Torellium, Elssium, Crusenium, Pamphilum, aliosque nostrates.

Fr Bankinus Anglus.

Bankinus Londinensis a Pitsaeo inter praecipuos Angliae scriptores, et a Bzovio inter praestantiores illius aevi theologos, qui lingua et calamo adversus nefaria Wiclefi dogmata strenuissime dimicarunt, jure meritoque

Digitized by Google

adnumeratur. Is humaniores litteras egregie doctus, ut sublimioribus disciplinis imbueretur, ad Oxoniense Athenaeum Superiorum jussu se contulit. Ibidem post laudabiliter completum philosophici, atque theologici studii curriculum, primarius sacrae Theologiae Professor constituitur, quo auctus honore, in sapientissima illa Academia cum praelectionum excellentia, tum disputationum acumine, summum omnium plausum assequebatur. Nec tamen in cathedra solum docendo, verum etiam in suggestu concionando plurimum valebat. Multo praeterea Catholicae Fidei zelo commendabatur, idque facto luculenter ostendit, dum anno 1382. in Concilio Londinensi Wiclefitarum errorum monstra validissimis armis jugulavit. Ex hoc patet, Bankinum nostrum floruisse, uti notat etiam Elssius, circa praefatum annum 1382. Praeter laudatos Pitsaeum, et Bzovium, meritis praeconiis exornant dignissimum sodalem, Herrera, Pamphilus, Torellius, Elssius, aliique nostrates. Quae composuit volumina, haec sunt: 1. *Contra positiones Wiclefi lib.* 1. 2. *Variarum determinationum lib.* 1. 3. *Sermonum ad populum lib.* 1. *et alia.*

B. Benedictus de Sulmone.

Beatus Benedictus de Deo a Sulmone, vir singularis observantiae, ac mirae pietatis, divinitus invitatus fuit ad coenobium S. Mariae Novellae Perusiae aedificandum. Nam ipsemet Dominus, qui ab illis videtur, qui munda habent corda, quadam die apparens ei, praecepit illi, ut Perusiam se conferret, ibique in Dei-

parae honorem Ecclesiam, ac monasterium sui Ordinis extrueret. Audiit vocem Domini obsequentissimus Benedictus, ac sine mora Perusiam convolavit, divinum mandatum expleturus. Quo ubi pervenit, apparuit illi quoque Beatissima Coelorum Regina, eique locum, et formam, atque exemplar futuri aedificii designavit. Coelestibus hisce auspiciis fretus venerabilis homo Dei, nullo negotio brevi potuit acceptum a Deipara ipsiusmet domus protypum executioni mandare. Nam pii quidam viri, ad hoc procul dubio supernae vocationis gratia a Domino excitati, ut propositum aedificium construere posset, opportuna Benedicto loca, et adminicula, sua sponte tradiderunt, seque insuper Augustinianae militiae adscripserunt. Haec contigerunt circa annum 1422. Opere itaque ex Dei praescripto, atque Deiparae nutu faustissime completo, venerabilis Benedictus novi coenobii Praesul renuntiatus, exactissimam disciplinam in illud invexit, eamque semper, quoad vixit, in pristino fulgore sedulo custodivit. Quamobrem nil sane mirum est, si novella illa plantatio tanti viri industria exculta et irrigata, adeo majori in dies atque majori bonarum frugum feracitate florere coeperit, ut tandem Caput evaserit perinsignis Perusinae Congregationis, quae suo tempore, non minus quam caeterae eximiae ipsius sorores, multo excellentium virtutum splendore communem Matrem tantopere collustravit. Ad praefatam Perusiae Congregationem pertinuit etiam Fulginate S. Nicolai coenobium, pro quo ab Olivetanis Patribus acceptando, anno 1438. per Gerardum Ariminensem Supremum Ordinis Moderatorem, idem Benedictus Vicarius Generalis constitutus fuit. Istud autem coenobium tunc extra urbem situm erat, postea vero decursu temporis intra moenia transla-

Digitized by Google

tum fuit. Decessit piissimus vir multorum bonorum operum meritis cumulatus, in praedicto S. Mariae Novellae Perusino coenobio, anno 1438. Vide nostrates Herreram, Torellium, et Elssium.

Fr. Bernardinus Pugalis de Tolosa.

Bernardinus Pugalis Tolosanus, non modo doctrinae, atque eruditionis laude, verum etiam vitae integritate, ac sanctimonia, nec non prudentiae magnitudine seipsum apud omnes commendatissimum reddidit. Doctorali sacrae Theologiae laurea decoratus, varias summi pretii lucubrationes litteris consignavit, quibus cum de Theologia, tum de Philosophia optime meritus fuit; erat enim magni fastigii theologus, primique subsellii Peripateticus philosophus. Summopere laudatur a Nicolao Beltrando in suo opere *de gestis Tolosanorum*, in quo haec de illo valde honorifica verba exaravit: *Bernardus Pugalis Doctor quidem magnae peritiae, prudentiae, et sanctimoniae, qui non modo vivens, sed etiam mortuus Tolosana sublimavit gymnasia.* Celebratur etiam a Possevino in suo *Apparatu Sacro.* Haec autem sunt quaedam ex iis, quae posteris reliquit, sui excellentis ingenii monumenta: 1. *Super* 1. *Sent. lib.* 1. 2. *Super* 2. *Sent. lib.* 1. 3. *De usuris lib.* 1. 4. *In Epist. ad Romanos lib.* 1. 5. *Super Epist. ad Corinth.* 6. *De intensione, et remissione formarum lib.* 1, *et alia multa.* Florebat circa annum 1398.

Digitized by Google

Fr. Bernardus Angelerius.

Bernardus Angelerius, Nobilis Florentinus, amplissimis meritis tum suam ipsius prosapiam, tum Eremitanum Ordinem magis magisque nobilitavit. Non solum enim mira morum probitate, verum etiam divinarum litterarum scientia longe ab aliis excellebat. Quantam hujusmodi harum virtutum excellentia apud Ordinem existimationem sibi conciliarit, vel ex eo patet, quod ante magistralem lauream acceptam, jam semel, et iterum Procuratoris Generalis officium illi commissum fuerit. Illud autem jure optimo sibi debitum, suae theologicae doctrinae insigne et ornamentum, in Oxoniensi Academia accepit anno 1388. Anno vero 1392. meritissimus Bernardus, Pisarum provinciae praeficitur, ac dignum se Provincialatum gessit. Neque tamen Augustinianae Religioni tantum, sed externis etiam, egregiis animi dotibus, Angelerius noster plurimum profuit. Nam tum vitae integritate cunctis recte vivendi efficacissima exempla praebuit, tum excellentissimis concionibus ad divinae legis sequelam audientes allexit, tum demum valde utilissimo libro evulgato, cui titulus *Speculum caritatis,* coaevorum atque posterorum Fidelium corda ad vehementiorem Dei amorem inflammavit. Laudant Angelerium nostrum, Pamphilus, Crusenius, Herrera, Elssius, aliique nostrates, quibus consonant Pocciantius, Possevinus, aliique externi.

Digitized by Google

Fr Bertholdus Ruchavoser.

Bertholdus Ruchavoser Ratisbonensis, fuit philosophus atque theologus magni nominis, ut ait Gandolphus. Ab anno 1388. usque ad 1392. Oxonii ad graviores disciplinas potiendas sedulo peracutam mentem intendit. Oxoniensis sacrae Theologiae Doctoris infulis redimitus, in suam Germaniam revertitur, locupletissimam suarum scientiarum apothecam Augustinianis alumnis patefacturus. Verum paucioribus nequaquam vires suppetebant ad tam copiosam penum exhauriendam; quapropter Bertholdus noster in Viennensem Universitatem assumptus fuit, pluribus sapientiae suae thesauros aurea perspicacissimi ingenii clavi panditurus, hunc etiam interea amplissimum honorem assecutus, ut primus ante omnes in eadem Academia theologicam cathedram conscenderit. Magna insuper prudentia, regendique dexteritate praeditus, antea Prioris, postea vero Provincialis nomine Bavariae coenobia optime administravit. Postremum autem hoc munus, quod octo circiter annos, magno zelo, summaque diligentia gesserat, in Capitulo provinciali ultro dimisit. Anno tamen 1435. a Supremo Ordinis Antistite Gerardo Ariminensi, Vicarius Generalis constituitur. Circa idem tempus videtur e Mundo exiisse, nam nulla amplius deinceps, in codicibus actorum illius provinciae, de illo mentio facta reperitur. Commendant Ratisbonensem praestantissimum, Pamphilus, Milensius, Elssius, aliique nostrates, cum quibus conveniunt Possevinus, Marraccius, aliique externi. Scripta ejus sunt: 1. *Super Apocalypsim lectiones* 107. *quibus has binas quaestiones adjunxit: Utrum nempe Christus omnem*

Digitized by Google

Sanguinem, qui de corpore suo effluxerat, resurgendo receperit, atque an Baptisma noxam deleat cujuscumque peccati. 2. *Expositio in Evang. Joannis.* 3. *Super Salutationem Angelicam, et Salve Regina.* 4. *Super Mag. Sent.* 5. *Quaestiones in lib. Arist. de anima, et quaedam alia.*

Fr. Bindus Guerri Senensis.

Mirum sane est, quemadmodum Ordinis annales legenti patet, quam copiosam sanctorum virorum frugem praeclarissima Senarum urbs in Augustinianam Eremum anteactis temporibus contulerit. Fuit procul dubio Ilicetana silva feracissimum Augustinianae sanctitatis viridarium, cujus nobiliora germina e viciniori Senensi plantario omni tempore in ipsum transerta fuerunt. Neque vero tantummodo sanctitatis, verum etiam doctrinae sobole antiquissima Brenti civitas Augustinianam Eremum consevit. Et revera a sanctitate jam laudavimus Senenses BB. Antonium de Monticiano, Humbertum de Accarigiis, Joannem Guccium de Incontris, Petrum de Rosia, atque Petrum de Salimbenis, et alios, quibus reliquos numero plures in posterum adjiciemus. A doctrina autem jam debitum commendationis tributum persolvimus celebratissimo Gerardo, cui vel solum sui ipsius nomen praeclarissimum est elogium. Huic in praesentiarum adjungam Bindum Guerri, qui Eremitanam Familiam magno doctrinae splendore sua aetate illustravit. De hoc praestantissimo sodale ait eximius noster Landuccius: *Plura opuscula dictavit . . . . quae cum eramus Prior dicti monasterii*

Digitized by Google

(S. Augustini de Urbe) *per pluries legimus, vidimusque maximam doctrinam, eruditionem, et pietatem in se includere.* Florebat itaqué Bindus noster, sacrae Theologiae Doctor, circa finem Ecclesiae saeculi XIV; nam, uti notat Gandolphus, spiritum restituit Creatori suo, anno 1390. cum esset provinciae Senensis Vicarius Generalis. Honoris causa nominatur a nostratibus Herrera, Landuccio, Elssio, et Gandolpho, nec non ab Ugurgerio Dominicano in *Pompis Senensibus.* Scripsit opus sequens, cui initium: *Incipit quoddam opus compositum per fratrem Bindum Guerri de Senis Ord. Eremit. discurrendo per omnes litteras Alphabeti, ac signando figuras novi et veteris Testamenti.* In fine autem operis habetur: *Explicit tabula super librum fratris Bindi Guerri de Senis Ordinis Eremitarum, expleta* 1335. *die* 7. *Junii. Laus sit tibi Christe, quoniam liber explicit iste.* Scripsit etiam alia, uti patet ex praefato Landuccio.

B. Bonaventura Baduarius Cardinalis.

Baduariorum progenies ab oppido Peraghae, cujus Comitatum obtinebat, etiam Peraghina nuncupata, ortum duxit a gente Romana Arria, unde prius vocari coepit Paduaria, quasi Paduae Arria, eo quia Patavii sedem suam fixerat, ac postea Baduaria, littera initiali P cum B commutata. Ex hac nobilissima progenie, atque ex domo Principum Carrariensium, ex parte matris, uti putat Gandolphus, bini prodierunt Augustiniani praestantissimi, nempe Bonaventura, et Bonsemblantes, germani

Digitized by Google

fratres, ambo doctrinae, atque pietatis laude apud eruditorum coetum celebratissimi.

Natus est itaque Bonaventura Patavii die 22. Junii, anno 1332. In ipso adolescentiae flore, paternae domus splendore, ac divitiis contemptis, intra Augustinianam Eremum in Patavino coenobio, Eremitarum cucullum induens, meliorem partem elegit. Postea juramentorum vinculis jam Augustinianae Religioni perpetuo adstrictus, Parisios se contulit, ubi tum prius discipulum, tum deinde magistrum agens, decem annos summa cum laude transegit. Inde autem cum doctorali laurea insignitus, omnique liberalium disciplinarum genere instructus, in Italiam remeasset, statim tam e suggestu concionando, quam e cathedra docendo, omnium Italorum sermonibus amplissimum de se locum dedit. Quapropter anno 1362. a Summo Pontifice Innocentio VI. inter novem eximios Doctores adnumeratus fuit, qui ipsius jussu Bononiam convenerunt, ad erigendum in illo celeberrimo Athenaeo Theologorum Collegium. Francisco Petrarchae arctissimae amicitiae, atque necessitudinis glutino conjunctus fuit; quapropter tum ille, in obitu fratris Bonsemblantis, Bonaventuram per epistolam plenam utriusque germani laudibus est consolatus, tum iste vicissim anno 1374, die 18. Julii in frequentissimis illius exequiis eloquentissimam orationem funebrem tanto poeta, tantoque oratore dignissimam recitavit. Sed accipe nunc epistolae consolatoriae Petrarchae ad Bonaventuram aliquantulam delibationem, ut ex ea quamdam etiam haud certe exiguam in antecessum praegustes nostri Bonsemblantis laudationem. En itaque quaedam ipsissima excellentissimi poetae verba: *Quis non hominum vos spectabat oculis, atque animo suspensus,*

Digitized by Google

praesertim ubi casus aliquis forte vos jungeret in consessu publico, aut in via? Quis non vos amabat, et laudabat, et mirabatur? Fraternitas ipsa miraculo addebat, ac raritas, par statura, eadem quasi corporis habitudo, una prope duobus fratribus aetas erat, una certe professio, una conversatio, unus habitus, una Religio, unus Ordo, unus splendor Magisterii; pluris existimabantur tales duo fratres, quam quatuor alii, pares licet. Felices parentes dicebantur, qui tale par hominum genuissent. Felix Patavium, ubi geniti essetis, et enutriti; nihil est enim quod unamquamque patriam tam felicem faciat, quam suorum civium virtus, et gloria.

Anno 1378. Baduarius noster in comitiis generalibus Veronae habitis ad supremum Augustiniani Ordinis fastigium evectus fuit, rexitque naviter Religionis clavum septem annos. Post exortum, Urbano VI. Pontifice, exitiosissimum Clementis VII. Pseudo-Pontificatum, meritissimus Eremitarum Antistes Urbani partes totis viribus defendendas suscepit; quapropter ab eodem legitimo Pontifice, hortante etiam S. Catharina Senensi, Sacro Cardinalium Collegio, anno 1379, adscriptus fuit. Purpura jam indutus, utpote vir erat magno consilio, multa prudentia, ac singulari animi constantia, summaque rerum agendarum dexteritate praeditus, non semel a laudato Pontifice huc atque illuc ad tollendos erumpentes schismatum tumultus Legatus missus fuit. Ad rem apposite quamdam honorifitentissimam, atque exitu felicissimam ad Uladislaum Poloniae Regem Cardinalis Bonaventurae legationem, ad nutum praefati Urbani VI. susceptam, refert coaevus scriptor Andreas Gatarus Patavinus, uti videre licet apud Tiraboschium.

Digitized by Google

Item anno 1381. una cum duobus aliis Cardinalibus, Dominicano uno, et altero Franciscano, eodem Pontifice mandante, leges composuit pro Scholis theologicis Universitatum Italicarum, atque insuper Bullam subscripsit ejusdem Urbani, pro concedenda Carolo Duratio Regni Siciliae dominatione. Subscripsit autem tali forma: *Fr. Bonaventura Presbyter Cardinalis tit. S. Caeciliae.* Profecto ex hac subscriptione patet, illos hallucinari, qui Baduarium nostrum existimant anno 1379. necatum fuisse, ac propterea iis potius adhaerendum, qui integerrimi viri execrabilem proditionem anno 1388. assignant. At postrema vitae eximii Purpurati audiamus a Ciacconio, cujus in vita Urbani VI. haec de illo habentur verba: *Ecclesiasticae libertatis unicus assertor, et patronus cum esset, ortis inter eum, et Franciscum Carrariensem Patavii Dominum ob jus Ecclesiasticum simultatibus, impiis Principis conatibus constantissime sese opposuit, et iniqua ejus postulata insigni constantia contempsit. Haud multo post tantae virtutis vir Romae dum pontem Elium transiens, ad Basilicam Vaticanam ire pergeret, sagitta ab incerto emissa immaniter transfixus, nefarie interfectus est, ita occulte, ut neque de homicida, neque de tanti sceleris auctore quidquam unquam certi sciri potuerit. Caeterum omnes suspicati sunt Carrariensem iratum per occultos sicarios id egisse.* Quae cum ita sint, plurimi emunctae naris scriptores Baduario nostro martyrii palmam attribuunt, quippe pro tuenda Ecclesiae libertate impiorum telis interempto. Hi nimirum sunt Paulus Cortesius, Volaterranus, Trithemius, Panvinius, Scardeonius, et alii. Refert autem Gandolphus, quod olim in antiquo Sacello Apostolici Palatii illius effigies conspiciebatur, titulo radiisque beati insignita. Congerunt in eximium Pur-

Digitized by Google

puratum amplissimam omnium laudum copiam tum nostrates, tum externi scriptores. Inter nostrates potissimum recensentur Cherubinus Ghirarduccius in sua historia Bononiensi, Angelus Portenarius in Felicitate Patavina, Curtius in Elogiis, Herrera, Elssius, Torellius, Gandolphus, Panvinius, aliique. Inter externos autem praestantissimi Augustiniani Ecclesiae Principis laudatores praecipue nominandi sunt Abraham Bzovius, Henricus Warthon, Daniel Papebrochius, Tiraboschius, Moronius, ac uno verbo omnes ii, qui Bibliothecas conscripserunt. Eruditissimi Cardinalis egregia opera sunt: 1. *Commentaria in libros Sententiarum quatuor tomis distincta.* 2. *Vita Christi, vel meditationes devotae in Vitam Christi, opus divisum in capita* 95. 3. *Speculum Beatissimae Virginis Mariae.* Haec omnia fuerunt typis mandata. 4. *Tractatus unicus de Conceptione B. Mariae Virginis.* 5. *Sermonarium scholasticum in Evangelia totius anni.* 6. *Ternarium, sive trinum bonum de regimine conscientiae.* 7. *Commentaria in Epistolam Catholicam S. Jacobi Apostoli.* 8. *Sermones de tempore.* 9. *Sermones de Sanctis.* 10. *Sermones ad Clerum.* 11. *Breviloquium, in quo procedit subtilissimo modo theologico a prima causa ad suos effectus etc.*

V. *Bonsemblantes Baduarius.*

Venerabilis Bonsemblantes Baduarius, B. Bonaventurae germanus frater, eidem fuit etiam doctrina, ac pietate aequalis. Franciscus Petrarcha, cujus amicissimus fuit, appellavit illum: *Magnam gloriam suae patriae, ma-*

Digitized by Google

gnum Ordinis sui decus, et eximium. Luculentissimum Bonsemblantis doctrinae testimonium extant varia, quae in lucem emisit, valde insignia volumina; sanctitatem vero aperte indigitat a scriptoribus illi donatum, modo venerabilis, modo autem beati nomen; utramque demum validissime confirmat amplissima Petrarchae auctoritas. Ut major insuper inter ipsum, atque Cardinalem fratrem aequalitas inveniatur, videtur ipse etiam ejusdem proditoris perfidia e medio sublatus fuisse. *Cum enim,* (verba sunt poetae praestantissimi) *Missam devotissime celebrasset, non multo post seria inter verba cum amicis, repente se deficere cognoscens, suam in cellulam properavit, lectuloque acclivis, Davidicum psalmum illum famosissimum Miserere mei Deus incipiens, antequam explesset, religiosam illam, atque ut sic dixerim, exceptae actionis animam exhalavit.* Contigit insignis Augustiniani Magistri inopinata mors Venetiis die 28. Octobris, anno 1369, aetatis suae 42. Statim suspicio exorta fuit, Franciscum Carraram Patavii Dominum, amborum hostem Baduariorum, qui illius tyrannidem sacerdotali libertate execrabantur, atque Ecclesiae jura contra iniquissima ipsius machinamenta invicto pectore tuebantur, mandata veneni propinatione illi vitam fraudulenter ademisse. Huic autem suspicioni aliquod adminiculum praestare videntur acta subsequentis Capituli generalis, in quibus haec inter alia sancita sunt: *Item eidem Patri Priori Generali committimus definiendo, quod omnes quaestiones, et causas cum omnibus suis dependentiis terminare valeat, principalissime causam mortis reverendae memoriae M. Bonsemblantis.* Laudant Augustinianum praestantissimum omnes fere scriptores, tum exteri, tum nostrates, qui de Eminentissimo Bonaventura ser-

Digitized by Google

monem faciunt. Haec autem sunt hujus Bonsemblantis opera: 1. *Lectura super* 1, 2, *et* 3. *Sent.* 2. *Quaestiones diversae tam philosophicae, quam theologicae.* 3. *Sermones multi ad Clerum.*

B. Christianus Francus de Pedemontio.

Beatum Christianum Subalpinum quidam Carmaniolensem putant. Is admodum juvenis Eremitanum Ordinem amplexatus, statim perfectioris vitae se percupidum ostendit. Quamobrem postquam comperisset exactiorem quamdam observantiam in aliquot Romanae, atque Perusinae, aliarumque provinciarum coenobia, per V. Matthaeum de Interocrea, invectam fuisse, maluit hujus novellae plantationis particeps fieri. Itaque una cum V. Desiderio germano fratre, aliisque consanguineis, Romam se contulit ad B. Augustinum de Favaronibus Supremum totius Ordinis Antistitem, initi consilii exequendi veniam postulaturus. Summa laetitia excepit piissimus Generalis sanctissimum hominem, eumque statim voti compotem fecit, mittens illum cum sociis Neapolim in coenobium S. Joannis de Carbonaria. Ibidem Christianus ita omni ope atque opere a Matthaeo inceptum novae Reformationis opus promovere sategit, ut merito nobilissima illa adhuc vigens Neapolitana S. Joannis Congregatio ab ipso instituta fuisse credatur. Nam postquam praefatum S. Joannis de Carbonaria coenobium magna cum prudentiae laude, amplissimoque regularis disciplinae emolumento, Prioris nomine aliquandiu administrasset, V. Matthaeo Vicariatum gene-

Digitized by Google

ralem eorum conventuum, in quibus nova observantia recepta fuerat, propter senium dimittenti successit. Deinde vero cum propter nimiam coenobiorum recens disciplinae genus sectantium frequentiam, Gerardus de Arimino B. Augustini successor, in binos praedictum Vicariatum divisisset, dum ad pristinum munus ultra Romam fungendum Matthaeus revocatur, ipsi e contra idem officium citra exercendum remansit. Tunc primum laudatus Supremus Ordinis Moderator illi potestatem fecit S. Joannis Priorem ad libitum creandi, atque etiam ubi opus foret, destituendi, nec non quoscumque ex quacumque provincia ad suam Reformationem accedentes fratres excipiendi; in quo sane celeberrimae illius Congregationis vera origo consistit. Qualis autem Pedemontanus noster in suae vitae ratione fuerit, et quibus meritis cumulatus, paucis verbis eruditissimus noster Generalis Coriolanus scriptor coaevus satis expressit dicens: *Vigesimus nonus fuit B. Christianus Francigena* (idest Francus) *qui in Sancto Joanne de Carbonaria austeritate vitae, et multis miraculis claruit.* Decessit autem ibidem anno 1413. Consule Augustinianos auctores.

Fr. Christophorus de Bononia.

Christophorus de Bononia tum apud coaevos, tum apud posteros doctrinae amplitudine se commendatissimum reddidit. De hoc eximio viro ita scribit Elssius: *Hujus magnum in Italia erat nomen circa annum* 1419. Erat enim in primis theologus praestantissimus, atque divini verbi

Digitized by Google

praeco admodum disertus; quapropter ad Bononiense theologorum Collegium aggregari meruit. Anno 1414. sacram Theologiam ex cathedra in Metropolitana S. Petri publice, plaudentibus omnibus, legebat; anno vero 1424. conciones utiles habuit in celebri D. Petronii templo, ut iisdem verbis notat Gandolphus. Anno 1419. erat Prior Bononiensis S. Jacobi conventus, fuitque etiam primus ante omnes confessarius nobilissimae Archiconfraternitatis S. Mariae *de Morte*, cujus proinde gratia regulas quasdam pro *Confortatorum* schola composuit. Florebat adhuc anno 1428. E vivis abscessit Bononiae, ibique sepelitur. Opera quae exaravit, sunt: 1. *Decachordium*, *liber profundae doctrinae*. 2. *Expositio super Cantica Canticorum.* 3. *Praefatae regulae, seu directiones pro schola Confortatorum etc.* Laudant illustrem Augustinianum Bononiensem, praeter nostrates scriptores, Nicolaus Paschalis Alidosius agens de Doctoribus Bononiensibus, nec non Joannes Antonius Bumoldus in Bibliotheca Bononiensi, et alii.

Fr. Dionysius de Murcia.

Dionysius de Murcia Hispanus a nostro V. Alphonso de Orosco appellatur scriptor celebris, pastor bonus, et largus eleemosynarius. Is post indutum Augustinianum cucullum, in Parisiensi Academia prius addiscendis, deinde vero, magistrali laurea obtenta, sacris litteris edocendis plures annos impendit. Multa doctrinae atque eruditionis copia instructus, in Italiam venit, ibique aliquandiu Vicarium Generalem egit provinciae Nea-

Digitized by Google

politanae. Postea in Siciliam appulsus, regius Capellanus constituitur, ac paulo post, nimirum anno 1363. ab Urbano V. Messanensis Archiepiscopus creatur. Ab eodem Pontifice, et Joanna I. Regina Neapolitana ad Fridericum III. Trinacriae Regem pro pace componenda Legatus mittitur; qua legatione diuturnum atque cruentum bellum, quod cis, et ultra fretum saeviebat, industria potissimum, atque dexteritate Dionysii sedatum fuit. Meritissimus Antistes suis eximiis virtutibus talem se in omnibus praebuit, ut a Siciliae Optimatibus viri venerabilis, et magnae auctoritatis nomen obtinuerit. Videtur suae vitae cursum confecisse circa annum 1380. Nostratibus Dionysium commendantibus accedit etiam Rochus Pyrrhus par. II. agens de Ecclesia Messanensi. Scripsit: 1. *Commentaria super libros Sententiarum, lib. 4.* 2. *Sermones notabiles ad Clerum, et populum.*

Fr. Facinus Astensis.

Facinus Astensis, patria Pedemontanus, vulgo Longobardus appellatur, eo quia religiosa professione ad Insubriae provinciam pertinuit. Is fuit Sacrae Scripturae cognitione admodum conspicuus, atque, uti notat Pamphilus, Philosophia Aristotelica apprime eruditus. Quoniam autem peracuta mentis perspicacia, magnoque ingenii acumine potissimum pollebat, idcirco in subtilissimis disputationibus pertractandis, atque implicatissimis difficultatibus enodandis pernavum se, atque sagacissimum ostendit. Supra caetera autem, id quod omnium maxi-

Digitized by Google

mum est, spectatissima vitae ratione refulgebat, quapropter duplici, uno altero majori, doctrinae atque probitatis honore commendabatur. De clarissimo Pedemontano Augustinensi haec habet Petrus de Alva in Bibliotheca Conceptionis: *Facinus Astensis in 3. Sententiarum quaest. 6. asserit Virginem Mariam fuisse absque originali labe conceptam, ut refert Joannes Vitalis in Defensorio, lib. 4. etc.* Ex nostris vide Herreram, Crusenium, Torellium, Elssium, Gandolphum, et alios; inter externos autem praeter laudatum Petrum de Alva consulere potes Possevinum, atque Rossotum Abbatem Cisterciensem in Syllabo scriptorum Pedemontii, etc. Plura scripsit, inter quae sequentia tantum ab auctoribus notantur: 1. *Quaestiones in Mag. Sententiarum, et in lib. Arist. de anima.* 2. *Quaestiones in lib. Physicorum, quas Augustinianis Bononiae Studentibus dicavit.* Florebat circa annum 1400.

B. Felix de Massa.

Beatus Felix Massae in maritima Senensi regione ex antiquissima atque nobilissima Tancredorum progenie ortus, cum jam inde a puero religiosum aliquod Institutum amplecti in animo haberet, auditis postea, quae de coelesti conversatione Ilicetanorum Augustinensium Patrum ubique praedicabantur, post odorem currens sanctitatis ipsorum, intra eamdem ilicum silvam absconditam cum ipsis in Deo vitam perpetuo ducturus se recepit. Itaque lectissimus adolescens in illam sanctorum virorum societatem adscitus, statim ab ipso tirocinio sublimiores

Digitized by Google

religiosae perfectionis virtutes omni studio aemulari satagit. Quoniam autem adhuc in saeculo aetatem agens, rara morum probitate, spectata religione, insigni modestia, atque angelico quodam puritatis nitore commendabatur, ita Eremitanum habitum vix indutus, antiquis hisce virtutibus ampliora incrementa dedit. Nam cum vitae integritatem uberiori bonorum operum patratione perfecit, tum pietatem majori orationum assiduitate auxit, cum modestiam cuculli clypeo protexit, tum virginitatem corporis castigatione fulcivit, cum demum cunctas simul hujusmodi virtutes, divini, quo aestuabat, amoris igne lucidiores effecit. Quapropter minime profecto mirandum est, si ipsamet praeclarissima virgo B. Catharina Senensis arctissima sui amicitia, intimaque familiaritate Felicem nostrum cohonestarit, uti liquido patet ex illius ad ipsum scripta epistola 144. Tandem servus bonus, et fidelis uberrimam meritorum suorum segetem, quam intra Ilicetanam silvam collegit, secum super humeros bajulans, intravit in gaudium Domini sui anno 1385. Statim post obitum beati nomine nuncupari coepit, quo etiam titulo a scriptoribus tam Augustinianis, quam Senensibus, omni tempore, decoratus fuit. Vide ex nostris Landuccium, Herreram, Torellium, Elssium, et alios.

V. *Franciscus Mellinus Romanus.*

Venerabilis Franciscus Mellinus Romanus, ex clarissimo Mellinorum sanguine per patrem, atque Pontianorum per matrem, originem duxit. Pater ipsius Urbis

Digitized by Google

Praefectus fuit, ac germanus frater Joannes Baptista S. Romanae Ecclesiae Cardinalis. Adhuc in saeculo agens, ab Urbano VI. creatus fuit Canonicus S. Joannis Lateranensis. At piissimus vir Deo propius adhaerendi percupidus, hujus dignitatis splendorem cum claustri humilitate commutare maluit. Itaque Augustinensium S. Mariae de Populo sanctissimae conversationis exempla miratus, illis se votorum vinculis perpetuum socium adjunxit. Quamobrem factus Augustini discipulus, brevi eximius evasit sacrae Theologiae Magister, atque excellentissimus in primis Evangelii praeco, neminem in tota Italia concionandi gloria superiorem habens. Singulae propterea peninsulae urbes pro summa felicitate habebant, si hunc Eremitanum Chrysostomum e sacris rostris perorantem aliquando audire poterant. Hinc factum est, ut magnam tum apud Principes, tum apud populos gratiam atque benevolentiam sibi comparaverit. Qua prospera fortuna in Religionis Augustinianae bonum atque utilitatem bene utens, praesertim quia optimis virtutibus omnium sibi animos facile devinciebat, teste Platina cum Ughello, tum multos praeclarissimos viros ad Eremitanum Institutum amplectendum adduxit, tum a variis populis atque Principibus plurium coenobiorum aedificationem praefato Ordini obtinuit. Exemplum fuere Cajetanum, illius amore, a Cajetanis, Suessanum a Suessanis, atque alia ab aliis alibi extructa coenobia, nec non S. Joannis de Carbonaria Ecclesia a Ladislao Rege Neapolitano, quamvis non ita pietati addicto, ejusdem gratia ad ampliorem ambitum producta, atque magnificentius exornata. Perspecta praestantissimi viri virtute Martinus V. Romanus Pontifex illum quamvis invitum administratorem constituit perinsignis monasterii Cryptae-

Digitized by Google

Ferratae Ordinis S. Basilii, quo etiam nomine paulo post ab eodem Pontifice ad praedicti Ordinis Siciliae coenobia Visitator Apostolicus missus fuit. Post hanc legationem, magno utique praefatae Religionis emolumento, singulari prudentia completam, a laudato Summo Pontifice Senogalliae in Piceno Episcopus creatur. Anno vero 1431. meritissimus Antistes Romae in Apostolico Palatio, uti narrant superius allati Platina, et Ughellus, tragicam mortem oppetiit. Nam cum occasione primi Concistorii post electionem Eugenii IV. simul cum multis aliis tum Praesulibus, tum Proceribus in Aula Pontificia interesset, repente auditur inopinatus trabium fragor, perinde ac si tota esset Aula pessum itura. Quare subito timore perciti omnes, cito citius fugam arripientes, turmatim ad ostium confluunt, ibique uti solet, loci angustia exitum praepediente, conglobatim stipantur. Medius inter sese urgentium turbam, caeteris statura minor, atque corpore exilior, infelix premebatur Franciscus; quare, proh dolor! spiritus praeclusione extremum halitum efflavit. Doluit quammaxime Pontifex miserrimum tanti viri interitum, doluit Sacrum Purpuratorum Collegium, doluit tandem Clerus, populusque Romanus. Congruis honoribus in templo S. Mariae de Populo sepultus fuit. Praeter laudatos auctores vide Augustinianos scriptores.

Fr. Franciscus Mellinus Florentinus

Iste alter Franciscus Mellinus, vulgo *Zoppo* nuncupatus, Florentiam patriam habuit. Vir fuit valde doctus,

Digitized by Google

multumque pietati addictus, in quo eruditionis splendor addebat religioni ornamentum. Inter primarios sui temporis praedicatores merito ab omnibus habebatur, quippe qui strenuissima quadam Apostolici muneris perfunctione, mira prudentia, ac raro irreprehensibilis vitae exemplo communita, quamplurimos peccatores a pravis veteris habitibus, ad novi hominis indumentum traducebat. Quantam propterea apud municipes suos gratiam inierit atque auctoritatem, luculentissimum hoc indigitat argumentum. Nam cum nostra S. Spiritus Ecclesia flammis fortuito consumpta fuisset, amplissima Florentinorum Respublica unius Mellini suasione eo inducta fuit, ut in ejus locum magnificentissimum illud templum, prout nunc visitur, artifice Brunelleschio, sufficeret, quod sane est totius Italiae miraculum. Quoniam autem Mellinus noster non solum eloquio in suggestu, verum etiam calamo ad scamnum plurimum valebat, proinde varias etiam posteris relinquendas conciones litteris consignavit. Florebat circa annum 1444. Memorant illum honoris causa Pocciantius, et Possevinus, nec non complures nostrates scriptores; prae caeteris autem inspice Torellium, et Elssium.

Fr. Gabriel de Garofolis

Gabrielem de Garofolis Patritium Spoletanum, virum sua aetate facile omnium eruditissimum, Coriolanus noster merito appellat: *Divini verbi praeconem, excellentissimum debellatorem haereticorum, et Religionum institutorem.* At operae pretium duco sapientissimi Augustiniani An-

Digitized by Google

tistitis verba aliquantulo fusiori stilo explanare. Fuit itaque in primis Gabriel noster praestantissimus Evangelii praeco, atque ut alia utar praefati Coriolani phrasi, *princeps suo tempore omnium Evangelizantium*, quo in munere, mirabili nimirum, atque vere singulari eloquentia praepollebat, adeo ut omnium ubique in se admirationem converteret. Quapropter si universorum alibi, potissimum tamen Venetiis anno 1421. incredibili quadam ac propemodum divina praedicationis laude singulorum exspectationem vicit, omniumque ibidem, ac praesertim Nobilium animos benevolentiae atque existimationis nexibus sibi devinxit. Deinde fuit etiam excellentissimus haereticorum debellator, nam illorum geniminum viperarum, hypocritarum nempe Fraticellorum foedissimam sectam, qui simulata falsae pietatis specie homines deludebant, atque in abditis locis turpia atque nefanda perpetrabant, aliorumque hujusmodi monstrorum haeresum capita validissimis linguae et calami ictibus percussit, vulneravit, contrivit. Fuit tandem Religionum institutor; nam, ut alio loco notavimus, una cum quatuor aliis piissimis viris ex primaria Venetiarum Nobilitate, quos ipsemet in coenobio S. Mariae de Nazareth ad Augustinianum Institutum erudierat, fundavit in regione Veneta Congregationem Canonicorum Regularium S. Spiritus, quam tamen paulo post jam rite constitutam, atque a Martino V. approbatam, sociis gubernandam reliquit, ut ad pristinam Eremitanorum societatem reversionem faceret. Paucis igitur hisce verbis nostri Coriolani de nostrate Gabriele sententia enucleata, dabo nunc ordine temporum digestam actorum illius brevissimam narrationem. Itaque sapientisimus Augustinianus sacrae Theologiae Doctor anno 1409. una

cum pluribus aliis Eremitani Ordinis theologis interfuit Concilio Pisano, cum esset Bononiae Studiorum Regens. Anno 1410. Provincialis ac Vicarii Generalis nomine Spoletanae provinciae gubernaculum tenebat, 1419. veniam impetravit a P. Rmo Generali B. Augustino Romano eundi ad visitanda ea loca, quae Mundi Salvator pretioso Sanguine consecravit, 1420. item Vicarius Generalis fuit Provinciae Marchiae Tarvisinae, ac Prior coenobi S. Mariae de Nazareth prope Venetias, ubi cum caeteris praefatam Congregationem instituendi consilium iniit, ac tandem 1429. ad Episcopalem Cathedram Nuceriae Paganorum in Regno Neapolitano a laudato Martino V. assumptus fuit. Verum post annum quartum quam infula redimitus fuerat, Spoletum ad suos invisendos proficiscitur, atque eadem occasione, inibi, ubi ea acceperat, ossa deposuit anno 1433. Ibidem apud suos congruis honoribus in sepulcro marmoreo reconditus fuit, hoc apposito epitaphio:

Gabriel Antistes sacro diademate fulgens,
Scriptor quondam toto celeberrimus Orbe,
Librorum textor, studiorum fervida lampas,
Hoc tegitur tumulo conditus exiguo.

Excelsis praeconiis exornatur ab omnibus nostratibus scriptoribus, nec non ab Ughello, Trithemio, Possevino, Jacobillo, Gesnero, Tiraboschio, aliisque quamplurimis externis, inter quos Jacobus Zeno vocat illum: *Magni nominis virum, sacrisque literis eruditissimum.* Scripsit: 1. *Adversus haereses libros tum utiles, tum necessarios.* 2. *Adversus pestiferam sectam Fraticellorum tractatus plurimos, et celeberrimos.* 3. *Sermones in Evangelia, quae in feriis*

Digitized by Google

Quadragesimae, Dominicis, aliisque Festis recitantur. 4. *Sermones de diebus festis B. Mariae Virginis.*

Fr. Galfridus Hardebius.

Galfridus Hardebius Anglus, in Licestriensi coenobio nostrae Eremitanae Familiae se socium adjunxit. Hujus singularis fuit scientias adipiscendi ardor. Quamobrem vir rari ingenii jam antea amoenioribus literis satis expolitus, apud Oxoniensem Academiam in Philosophia primum, ac deinde in Theologia mirificum profectum fecit. Postea vero in eadem Universitate sacrae Theologiae infula redimitus, in Professorum Collegium cooptatur. Cathedra itaque conscensa, vetus ac novum Testamentum, plaudentibus omnibus, summa eruditione explanare coepit. Profundissimam item doctrinam, atque peracutam mentis perspicaciam, tum in omnigenis scholasticis concertationibus conficiendis, tum in universis erroribus refutandis, palam ostendit. Quapropter supremae eruditorum classi merito a collegis Doctoribus adscriptus fuit. Tanta insuper eloquentia, tantaque concionandi gratia praeditus erat, ut inter omnes totius magnae insulae praestantissimos Evangelii praecones unus ipse caeteris dignior haberetur, qui coram Rege, Regnique Proceribus verbum Domini praedicaret. Quo in munere egregio obeundo tantum sibi Aulae favorem conciliavit, ut ipsemet Rex Eduardus III. non solum in consiliarium quoad politicam rerum gestionem, verum etiam in suae conscientiae moderatorem eum sibi assumpserit. Nec tamen in Ordine munerum splendore va-

Digitized by Google

cavit; nam summa prudentia, atque industria totius Angliae Provincialatum gessit. Evangelicae paupertatis sectator studiosissimus, validissimum hoc Christianae perfectionis fulcrum adversus impugnatores multo rationum pondere communivit. In defendenda autem Ecclesiae immunitate contra Regii Concilii decreta D. Thomae Cantuariensis fortitudinem aemulatus fuit. Praeterea zelo Augustinianae Religionis flagrantissimus, illius antiquissimam ab Augustino originem contra Armachanum strenuissime propugnavit. Tandem virtutibus clarus, meritisque cumulatus, piam justorum mortem obivit Londini anno 1360. fuitque apud nostrates sepultus. Commendant meritissimum Augustinianum coenobitam omnes nostrates, excepto Torellio, quibus accedunt Pitsaeus, Possevinus, Marraccius, Vossius, atque Ludovicus ab Angelis Lusitanus, qui lib. 4. de vita et laudibus S. P. Augustini haec scripsit: *Hoc argumentum diluit Galfridus Hardeby doctus Ordinis Eremitarum auctor lib. de vita Evangelica*, *demonstrans Augustinum, in illo Confessionum libro decimo, se describere Episcopum, et in desertum regredi (sicut habebat in votis) prohibitum a Deo esse, quod et nos fatemur.* Haec autem sunt opera, quae doctissimus Galfridus elaboravit: 1. *De vita Evangelica lib.* 1. In hujus libri fine duas quaestiones ad nostrum Ordinem spectantes pertractat, nempe: 1. *Utrum Ordo Eremitarum S. Augustini fuerit per Romanam Ecclesiam confirmatus.* 2. *Utrum D. Augustinus Ordinis Eremitarum fuerit auctor, et professor.* 2. *De perfectione Evangelicae paupertatis lib.* 2. *contra Armachanum, qui affirmabat turpe esse Christianos sua voluntate fieri mendicos.* 3. *Quodlibeta Oxoniensia, lib.* 1. 4. *Ordinariae quaestiones, lib.* 1. 5. *Determinationum lib.* 1. 6. *Lectionum in novum*

Digitized by Google

Testamentum lib. plures. 7. *Postillae Scripturarum, lib.* 1. 8. *Sermonum de tempore lib.* 1. 9. *Sermonum de Sanctis lib.* 1. 10. *Sermonum in Festivitatibus Beatae Mariae Virginis lib.* 1. 11. *De rebus gestis Ordinis nostri lib.* 1. *et alia plura.*

B. Georgius de Cremona.

Beatus Georgius de Cremona, a quibusdam Gregorius male appellatus, in praefata civitate ex familia de Lazolis ortum duxit. Adolescens in Cremonensi coenobio Augustiniano Ordini se adoptavit. Ibidem prius Philosophiae, ac postea Patavii Theologiae cursum laudabiliter emensus, magistralem lauream obtinuit. Factus deinde Prior conventus Patavini, ita egregie in hoc munere se gessit, ut cum vellet Rmus P. Generalis Gerardus de Arimino in novum Cremae coenobium, quod tunc extruebatur, exactiorem observantiam inducere, nullum alium, cui hujusmodi negotium committeret, Georgio digniorem existimarit. Ivit igitur Cremam Georgius, atque ibidem celebratissimae de Lombardia Congregationis fundamenta jecit, cujus non solum ipse institutor, verum etiam primus Vicarius Generalis fuit. In eadem Cremensi civitate vir doctissimus, atque in rebus spiritualibus ferventissimus, prout illum vocat Elssius, zelo Apostolicae praedicationis, teste Calvio, multarum conversionum fructum reportavit. Deinde, anno nempe 1443. Mediolanum se contulit, ut ibidem suae Congregationis Coronatae coenobium a fundamentis excitaret. In illa itaque Metropoli

Digitized by Google

degens, vix dici potest quantam sibi omnium civium benevolentiam, atque existimationem conciliarit; siquidem mystica quadam atque arcana vi, velint, nolint, corda hominum demulcet probata coenobitarum virtus. Nam erat Georgius singulis Mediolanensibus splendidissimum religiosae perfectionis exemplum. Quandoquidem Dei cultus, animarum salus, concionandi frequentia, confessionum auditio, fraterna aberrantium correctio, omniumque ad divinae legis amorem adhortatio, atque alia id genus gloriam Dei, et proximi bonum respicientia benefacta foris erant assidua Georgii facinora, quae insuper tanta vultus hilaritate, tantaque comitatis exhibitione, ac singulari quadam sui ipsius diverso cujusque ingenio accommodatione fungebatur, ut quaecumque singulis dabat monita salutis, ea ab omnibus, utpote tali modorum suavitate respersa lubentiori animo exciperentur. Domi autem solitudo, silentium, orationes, corporis excruciationes, gemitus, lacrymae, caeteraeque hujusmodi piae sanctorum hominum exercitationes, unicae ipsi jucundissimae deliciae erant. Tandem dum saevissima lues Mediolanensem urbem, totamque Insubriam depopularetur, ipse quoque ejusdem morbi victima occumbens, praedicta prius proxima lethiferae pestis cessatione, ad Superos evolavit anno 1451. Post mortem plurima miracula perpetravit, inter quae binos nobiles viros, nempe Aloysium Monetam Mediolanensem, atque Bonifacium de Cremona a variis languoribus liberavit, qui propterea in grati animi significationem vota sua illi ad sepulcrum ipsius obtulerunt. Praeterea binis Augustinensibus Fratribus, nempe P. Pastori de Taurino eximio concionatori, atque cuidam P. Stephano aliquando apparuit, quorum primo immanissimorum

Digitized by Google

dolorum perpessionem ademit, alteri vero vicinae mortis nuntium praebuit. Quamobrem hisce aliisque praeclarissimis signis ita Georgii sanctitas declarata fuit, ut Usuardus illius nomen in Martyrologium retulerit his verbis: 16. *Augusti Mediolani in monasterio Coronatae depositio Beati Georgii Conf. Ord. FF. Erem. S. Augustini, qui vitae sanctitate, et miraculorum gratia insignis fuit.* Ejus corpus, ut notat Elssius, anno 1652. in praefatae Ecclesiae instauratione integrum in arca plumbea repertum fuit. Lege Pamphilum, Cruscnium, Herreram, Torellium, Elssium, et alios.

Fr. Georgius Dux Teccensis.

Georgius filius Friderici II. Ducis Teccae, et Comitis Brisgoviae in Svevia, atque Annae filiae Ulrici Comitis Helffesteini, paternae domus amplitudinem atque potentiam flocci faciens, natalium splendorem Augustinianae tunicae humilitate hominibus abscondere statuit, ut nobilior atque major appareret in conspectu Dei. Refragabantur sanctissimae Georgii voluntati terni germani ipsius fratres, Ludovicus nempe, Fridericus, et Uldaricus, qui illum propterea a religioso proposito abducere omnimode satagebant. At juvenis Deo devotus probe sciens, illum qui non odit fratres suos, non posse Christi esse discipulum, carnem ac sanguinem minime respexit, sed intus in corde suo Dei potius vocantis, quam fratrum avocantium vocem audiens, fortis et constans in sua vocatione permansit. Dato itaque Augustinianae Familiae nomine sacra-

Digitized by Google

rum litterarum studia impense excolere coepit; quapropter evasit sacrae Theologiae Magister valde doctus. Cum autem magna insuper probitatis atque prudentiae laude floreret, varia idcirco conspicua munia in Ordine obtinuit; nam tum Bavariae Provincialis, tum coenobii Mindelheimensis in Svevia Prior fuit. Tandem in hoc eodem coenobio naturae concessit anno 1392. fuitque ibidem sepultus. Praeter nostrates Cruseninm, Herreram, Milensium, Torellium, Elssium, et alios, clarissimum Svevum Augustinensem laudant etiam bini externi Teutonici scriptores, nempe Reusnerus in suis genealogiis Germaniae Principum, nec non Martinus Crussius in Sveviae annalibus.

V. Gerardus de Arimino.

Venerabilem Gerardum de Arimino, utpote virum non minus vitae integritate, quam eruditionis copia valde conspicuum, Caesenatis Ecclesiae Clerus anno 1431. in suum sibi Episcopum elegerat. Verumtamen cum praestantissimus Augustinianus Magister Romam ad Martinum V. pro sui consecratione profectus fuisset, ut illum vidit Pontifex, statim in aliud de ipso consilium venit. Nam cum sub idem tempus Supremum nostri Ordinis Antistitem B. Augustinum de Roma, Archiepiscopum Nazarenum (Baruli) inaugurasset, huic Gerardum in totius Augustiniani Ordinis regimine, putans eum hoc loco Ecclesiae utiliorem futurum, sufficere maluit, commissa interea de plenitudine potestatis praefato Augustino Caesenatis Ecclesiae administratione. Spes autem minime fefellit Supremum

Ecclesiae Caput, nam V. Gerardus diuturno, quo Augustini naviculae clavum tenuit, tredecim circiter annorum spatio, tum Ecclesiae universae, tum Eremitanae Familiae plurimum profuit. In primis enim cum vir Apostolicae Sedi addictissimus, difficillimis iis temporibus, quae tam facile schismaticis perturbationibus obnoxia erant, Religionis habenas suscepisset, omni ope atque opere eniti coepit, ut omnes et singuli Augustiniani Patres sui ipsius exemplum imitantes, legitimo Pontifici arctissime semper adhaererent. Quamobrem cum Basileensi Concilio interesset, ubi illud in conciliabulum evasit, statim ipse cum omnibus suis, numero duodecim, inde abscessit. Adfuit etiam Concilio Florentino, cujus acta inter primos subscripsit. Haec sunt eximia a praestantissimo viro extra Ordinem peracta facinora. Apud Ordinem autem innumera sunt, quae optime gessit. Plura etenim passim per varias Europae provincias coenobia aedificavit, plura etiam, non quidem, uti aliquando a quibusdam, qui conscientiae tutamento parum prospiciunt, fieri solet, sive per fas, sive per nefas, sed optimo semper jure acquisivit, in plurimis tandem perfectiorem regularis disciplinae observantiam instituit, iisque spectatissimae vitae viros, qui nunc vel beatorum, vel venerabilium nomine honorantur, semper praefecit; quippe qui non ipsorum erga seipsum favorem, sed virtutem duntaxat in hominibus respiciebat. Tandem amplissimus Praesul de Augustiniana Familia optime meritus, propter senium Generalatum dimisit anno 1443: atque eodem anno cum magna sanctitatis opinione ex hac vita migravit. Quidam putant ab Eugenio IV. electum fuisse S. R. Ecclesiae Cardinalem, quamquam hujusmodi electio in lucem nunquam prodierit. Scripserunt de

Digitized by Google

nostro Gerardo Card. Scripandus, Crusenius, Herrera, Torellius, Elssius, et alii Augustiniani auctores.

B. Gregorius de Arimino

Beatus Gregorius Ariminensis merito inter primos adnumeratur, qui quovis tempore Augustinianum Nomen doctrina atque pietate maxime illustrarunt. Is adolescentiam nondum egressus, Eremitanum Ordinem ingreditur, ibique talis postea evasit, qualem universalis ipsius fama per Catholicum Orbem declarat. Sublimiores disciplinas in Italia primum, ac deinde in Gallia, et Anglia persecutus, in iis tantum profecit, ut propter profundissimam Philosophiae scientiam inter Nominalium principes, atque propter vastissimam litterarum divinarum peritiam inter primarios Scholasticos recenseri meruerit, *Lucerna splendens* propterea recte appellatus. Parisiensem Academiam mira facundia, divinaque sapientia celebravit, ob subtilissimam mentis aciem *Doctoris acuti*, nec non propter gravissimum rationum pondus, atque solidissimam argumentorum auctoritatem *Doctoris authentici* nomen assecutus. Ibidem in Sententiarum explanatione aemulum sustinuit celebratissimum Joannem Duns Scotum, in qua tamen nobilissima praestantissimorum virorum contentione Subtilis nequaquam superavit Authenticum. Commendat autem, atque exaltat mirum in modum scholasticam eximii Ariminensis gloriam multo utique laudabilius insignis pietatis ornamentum, quo item meruit beati titulo a scriptoribus nuncupari. Sed ne luculentissima tanti viri praeconia aequo majora

Digitized by Google

partium studio ostentare videar, utramque ipsius amplissimam doctrinae, atque sanctitatis laudem aliorum testimoniis comprobabo. Itaque in primis piissimus aeque atque eruditissimus noster B. Jordanus de Saxonia, quem etiam propter eumdem nostratem Ariminensem laudandum citat Tiraboschius, haec de illo habet: *Vir fuit magnae scientiae, et vitae sanctae, singulariter Parisiis honoratus a tota Universitate propter opera sua notabilia, audiebatur libenter, et omnibus erat speculum tam in moribus, quam in scientia.* Jordano consonat Emus noster Norisius de Gregorio affirmans: *Nullus veterum Scholasticorum in Augustini lectione Gregorium superavit.* Necui tamen Augustinianorum Augustinianum laudantium auctoritas forte suspecta videatur, afferam modo alia de praeclarissimo nostrate Doctore utique clariora externorum testimonia. Nam eruditissimus Franciscus Macedo in Concentu Euchologico haec de nostro Ariminensi verba exaravit: *Insignis hic Doctor, vere Aquilae Augustini pullus, ad eum, et cum eo semper volat. Nemo eo Augustini mentem accuratius inquisivit, nemo felicius invenit, nemo verius intellexit, nemo fidelius exposuit: ubique magistrum eum suum, et profitetur, et sequitur, eique se discipulum praebet, nihil nisi praejudicatum ab Augustino definit, ejusque doctrinam cum Pauli doctrina conjungit.* Mencius autem Dominicanus a nostro Gandolpho citatus scripsit: *Gregorii acutissimum ingenium, ac disputandi stylum theologi admirantur.* Verum dum tantopere Gregorius noster ab omnibus ob doctrinae amplitudinem, atque sanctimoniae splendorem commendatur, non minus tamen, ob magnam insignis prudentiae praestantiam, praeconiorum meretur. Quamobrem anno 1357. in Monte-Pessulano apud Narbonensem Galliae provinciam ce-

Digitized by Google

lebratissimo V. Thomae de Argentina in Generalatu successit. At paulo post, uno nempe anno, et dimidio, cum brevissimo temporis intervallo de re Augustiniana multimodis benemeritus fuisset, praestantissimum antecessorem suum, Viennae in Austria in eodem cubiculo extremum diem obiens, ad idem quoque sepulcrum secutus fuit. Item in hoc ipso sepulcro, paucis post annis, repositus fuit vir nunquam satis laudandus noster B. Jordanus de Saxonia, ut uno universim ore affirmant nostrates auctores. O felix tumulus, qui horum trium Augustinensium heroum sacros cineres concludis! Incidit autem beata Gregorii mors prope finem anni 1358. Praeter Augustinenses universos laudant eximium Ariminensem Doctorem Sabellicus, Volaterranus, Ciacconius, Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, Tiraboschius, aliique innumeri externi. Egregia ipsius opera sunt: 1. *Lectura in primum, et secundum lib. Sent. pluries imp.* 2. *De impraestantiis Venetorum, et de usuris, imp.* 3. *Commentaria in tertium, et quartum Sent. vol.* 2. *de quibus scribit praefatus Macedo: Cum ille justos commentarios in* 4. *libros Sententiarum scripsisset, duo in* 3. *et* 4. *perierunt, magno theologicae Reipublicae detrimento*. 4. *Super omnes Epist. D. Pauli lib.* 14. 5. *Comment. in Epistolam D. Jacobi.* 6. *Sermones de tempore.* 7. *Sermones de Sanctis.* 8. *Tractatus de intensione, et remissione formarum.* 9. *Quaestiones Metaphysicales.* 10. *Plurima carmina latina, et italica, uti testatur Raphael Adimarius in lib. de situ Ariminensis civitatis.* 11. *Tractatus de conditionibus Florentinorum.*

Digitized by Google

B. Guilelmus de Tolosa.

Beatum Guilelmum Tolosae in Gallia natum plurimum commendant scriptores, tum a doctrina, tum a sanctitate. Is enim postquam primitias adolescentiae suae Augustiniana professione perpetuo Domino devovisset, in Parisiensi Athenaeo tantam divinarum scientiarum copiam acquisivit, quantam deinde et acceptae magistralis laureae ornamentum, et sibi apud omnes comparatum insignis concionatoris nomen declararunt. Excellentissimum hoc verbi Dei praedicandi ministerium, zelo nimirum Apostolico, fungens, mirum est quantum animarum fructum reportarit. Siquidem auream concionum suarum eloquentiam spectatissimae vitae ratione quammaxime corroborabat. Erat enim vir magnae pietatis, multaeque orationis, atque valde mortificationi addictus, obedientiae speculum, atque humilitatis exemplar, fervore divinae caritatis, illibataeque virginitatis honore dignus Angelis comparari. Refert enim aliis verbis Bertrandus ita valido Guilelmum nostrum perpetuae vigilantiae clypeo nitidissimum suae puritatis lilium jugiter usque ad extremam vitae horam communiisse, ut nunquam immundus spiritus venenata lethiferi halitus immissione illud labefactare potuerit. Itaque Guilelmus tanto insignium meritorum splendore clarescens, apud omnes tamquam vir sanctus habebatur. Quamobrem aliquando pia quaedam mulier ad ipsum accedens, pecuniam ei tradidit, ut pro defunctis exoraret. Accipit pecuniam Guilelmus, non quidem auri amore captus, sed potius sciens, quid mox ipse esset facturus, ac statim hanc duntaxat brevissimam orationem protulit, *Requiescant in pace.*

Digitized by Google

Mirata mulier si tam facile homo Dei pecuniam suam sibi adjudicaret, rogavit illum, utrum esset alias propter acceptam pecuniam preces habiturus. Cui ille, pecunia extemplo restituta: *Stulte loqueris*, inquit, *bona mulier*, nam hoc pauciloquium multo pluris valet quam pecunia tua. Scribe illud in schedula, et appende utraque in statera, ac statim comperies schedulam praeponderantem. Domum reversa mulier absque ulla mora interposita facere aggreditur quod monita fuerat, atque trutina apprehensa, in una lance pecuniam, in altera vero scripta in schedula verba reponit. Sed mirum! Repente schedulae lancem, perinde ac si multo pondere premeretur, toto impetu demitti deorsum, alteram autem aere licet gravem, pluma tamen leviorem sursum efferri vidisses. Quamobrem postea mulier coepit magis magisque evulgare Guilelmi sanctitatem. Inter caetera autem virtutum suarum decora, et ornamenta, commendabatur etiam Tolosanus noster insigni quadam atque singulari devotione erga SS. Domini Passionem; quapropter nihil antiquius in votis habebat, quam ut sibi feria sexta mori contingeret. Fecit ei Dominus juxta desiderium cordis sui; ac proinde anno 1369. die Veneris 18. Maii, octogenario major, meritis onustus intravit in gaudium Domini sui. Sacrum ipsius corpus, ob magnam opinionem sanctitatis, more Sanctorum supra humum repositum fuit prope sacellum, in quo solebat incruentam victimam Domino litare. Statim post obitum, teste nostrate Magistro Fr. Simpliciano Sammartino, multis coepit coruscare miraculis. Consule Eremitanos scriptores, atque praefatum Nicolaum Bertrandum in libro de gestis Tolosanorum, nec non Saussajum in supplemento Martyrologii Gallicani, in quo ita legitur: *Tolosae depositio S. Guilelmi de Na-*

Digitized by Google

tholosa (nam ita quoque nominatur) *Confessoris Ordinis S.Augustini , pietate , humilitate , et zelo Dei clari , qui in laudem Christi , sicut optaverat , deficiens , in amoris jubilo expiravit.* Gandolphus ob quaedam opuscula illum reponit inter Ordinis scriptores.

Fr. Guilelmus Egmundus.

Guilelmus Egmundus Anglus , suo aevo non minus integerrimae vitae exemplo , quam doctrinae splendore Augustinianum Institutum illustrabat. Is enim in duplici virtutis , atque scientiae semita pari gradu alacriter procedendo , in utraque perfectus evasit. Fuit itaque in primis , ut iisdem fere verbis testantur nostrates Gandolphus , et Elssius , philosophus acutus , theologus profundus , concionator facundus , fervidus, vehemens , atque ad persuadendum summa dexteritate pollens. Neque tamen minus in cathedra , quam in suggestu laudabiliter se gessit. Nam post confectum in Angliae Academiis studiorum curriculum, acceptamque sacrae Theologiae magistralem lauream , publicus professor constitutus , magno cum plausu , ingentique discipulorum profectu , docendi munus multo tempore exercuit. Tandem Romam se contulit , ibique ob splendidissima ipsius tum pietatis, tum eruditionis merita, instante Henrico Belfortio Lincolniensi Episcopo,creatus fuit Episcopus Pittinensis, atque ejusdem Belfortii Suffraganeus. Floruit circa annum 1373. juxta Pamphilum contra Pitsaeum, qui illum anno 1390. assignat. At Pamphilus de Egmundo adhuc in claustro degente, Pitsaeus vero de eodem

Digitized by Google

jam facto Episcopo verba facere videntur. Scripsit: 1. *Replicationes scholasticas*, *lib.* 1. 2. *Sermonum ad plebem lib.* 1. *et alia.*

Beatus Guilelmus Fletaeus.

Beatus Guilelmus Fletaeus Anglus, vir insignis pietatis, cum post datum Augustinianae Religioni nomen in Angliae Academiis, jam Baccalaurei gradu insignitus, multa eruditionis laude floreret, audita sanctitatis fama, quae de Augustiniana Iliceti silva etiam ad Britanniae littora pervenerat, Cathedrae splendorem, spemque doctoralis infulae parvipendens, in Italiam venit, ut perfectiorem Ilicetanam observantiam sibi amplecti liceret. Venia itaque Romae a Supremo Ordinis Antistite obtenta, statim Ilicetum se contulit piissimus Anglus Eremita, ut in illo florentissimo Augustinianae sanctitatis viridario magis magisque ad pietatem, atque religiosam perfectionem proficeret. Factus igitur consors Ilicetanorum Fratrum, qui revera juxta Ven. Joachimi prophetiam aemulabantur vitam angelicam, nunquam se illorum contubernio indignum ostendit.

Ibidem enim in perfecta morum integritate, atque assidua heroicarum virtutum exercitatione usque ad extremum fere suae vitae diem constanter perseveravit. Dixi fere: nam quidam putant illum Iliceti, quidam vero in Anglia sanctissimam vitam finiisse. D. Catharinae Senensis, ob spectatissimam probitatem, intima familiaritate cohonestabatur, cujus etiam, proprio confessario absente, con-

Digitized by Google

fessiones aliquando audivit. Eadem Sanctimonialis virgo, ad valde in Christo dilectissimum Fletaeum septem variis temporibus epistolas scripsit plenas spiritualis amoris, et benevolentiae, multamque ipsius erga illum existimationem redolentes, quae etiamnunc in suo epistolarum libro legi possunt. In harum prima seraphica mulier suum Guilelmum de Anglia una cum FF. Antonio de Nicea, Joanne de Senis, Felice de Massa, aliisque sanctitate conspicuis Ilicetanis coenobitis etiam atque etiam hortata fuit, ut Ecclesiae pacem Domino commendarent. In sexta autem, ut reliquas silentio praetereamus, illum monuit, ut quoad Missae celebrationem admussim Prioris mandatis obtemperaret; ex quo nimirum patet, piissimum Fletaeum, ut uberiores ex hoc divino convivio perciperet spirituales delectationes, Missam aequo longius protrahere solitum fuisse. Hinc discas oportet, benevole Lector, dummodo sacerdotali dignitate praefulgeas, te in Sacro faciendo non debere aequo esse longiorem, neque etiam justo breviorem; inter utrumque autem medius tutissimus ibis, si hora plusve minusve dimidia Missam persolves. Item Guilelmus iste Augustinianus ille fuisse videtur, qui in vita ejusdem D. Catharinae apud Bzovium dicitur Nannium quemdam Senensem hominem perditissimum ad eam colloquendam induxisse, quo efficacissimo colloquio hic repente ex lupo in agnum mutatus, ad meliorem frugem se recepit. Futurorum praescius, dicitur etiam annis ante plus 150. Angliae apostasiam praenunciasse. Hujus rei testis est Pitsaeus eximius scriptor Catholicus Anglus, cujus haec sunt verba ab Herrera allata: *Dicitur in suis precibus, et contemplationibus miras divinitus habuisse revelationes, praesertim de futuris Anglorum calamitatibus.* Tandem splendi-

Digitized by Google

dissimum hoc Angliae lumen desiit fulgere in terris, ut majori splendore clarescere inciperet in coelis circa annum 1380. annos natus circiter 70. Laudant amplissimum Augustinensem Eremitam omnes nostrates, quibus consonant praefatus Pitsaeus, Bartholomaeus Carthusianus, Bzovius, Stephanus Ugurgerius, Frisius, Possevinus, aliique externi. Scripsit: 1. *Epistolas ad diversos, lib.* 1. 2. *Praedictionum ad populum Angliae lib.* 1. 3. *Quaedam alia opuscula, quae notantur a Gandolpho.*

Fr. Guilelmus Saphontius Tolosanus.

Frater Guilelmus Saphontius Tolosanus, quem Possevinus errato assignat anno 1350. floruit circa medietatem saeculi subsequentis. Quoniam autem binae extant, una nempe in Hispania, et altera in Gallia, Tolosates civitates, ideo hic notandum venit, Saphontium nostrum Gallo-Tolosanum, non autem Hispanum fuisse. De hoc praestantissimo Augustiniano Magistro in suo libro de gestis Tolosanorum praeclarum istud elogium concinnavit eximius Nicolaus Bertrandus: *Tanto valuit ingenio, tamque acerrimus disputator fuit, ut in confutandis aliorum dictis parem habuerit neminem.* Neque vero tantum disputandi subtilitate, verum etiam concionandi peritia plurimum praestabat, ideo hoc nomine multo magis laudandus, quia magnam concionum suarum eloquentiam, atque amplissimam eruditionem mira quadam vitae integritate atque veneranda morum gravitate magis magisque commendabat. Anno 1427. et 1452. duobus praefuit Capitulis

Digitized by Google

provincialibus Tolosae celebratis, fuitque aliquando ejusdem Tolosani coenobii Prior. Videtur e Mundo exiisse valde senex circa annum 1453. Suae doctrinae monumenta reliquit 1. *Super Mag. Sent. lib.* 4. 2. *De Deo uno, et trino lib.* 1. 3. *De rerum diversitate lib.* 1. 4. *De idiomatum differentia lib.* 1. *et alia.* Praeter laudatos Possevinum, et Bertrandum memorant meritissimum Guilelmum nostrates Herrera, Simplicianus Sammartinus, Torellius, Elssius, et alii.

Fr. Guilelmus Wellis, alias Fontanus.

Frater Guilelmus a patriae nomine anglice Wellis, latine vero Fontanus cognominatus, jure merito peculiarem quemdam locum sibi vindicat inter primarios Augustinenses scriptores, quos nobilissima Britanniae insula ante exitiosissimam Henrici VIII. apostasiam omni tempore affatim protulit. Is Augustiniana professsione, prout ex Lelando refert Pitsaeus, ad Linnense coenobium pertinuit, seu, ut apud nos usitato stilo utar, praefati conventus filius fuit. In Cantabrigiensi Universitate Magisterii honores et ornamenta assecutus, disputationum acumine, concionum eloquentia, atque limatorum librorum editione in magnam omnium existimationem venit. Summa insuper prudentia, singularique regendi dexteritate cum polleret, viginti circiter annos Anglicanam provinciam optime gubernavit. Senioris quoque nomine nuncupatur, ut ab altero secernatur ejusdem cognominis Guilelmo Anglo Augustiniano, item sacrae Theologiae Magistro, atque Angliae

Digitized by Google

Provinciali, qui rexit ab anno 1435. usque ad 1438. Demum Fontanus noster fato concessit in praefato Linnensi coenobio anno 1423. juxta Gandolphum contra Pitsaeum, qui illum biennio ante inter plures amandavit. Nominatur honoris causa a nostratibus Herrera, Pamphilo, Torellio, et aliis, nec non a Pitsaeo, Possevino, Frisio, et aliis externis. Litteris consignavit: 1. *Distinctiones in Psalterium*, *lib.* 1. 2. *Commentaria in septem Psalmos Poenitentiales*, *lib.* 1. 3. *Postillationes Evangeliorum*, *lib.* 1. 4. *Declamationes vulgares*, *lib.* 1. 5. *Disputationes theologicas*, *lib.* 1. *Et alia.*

B. Gundisalvus de Lagos.

Beatus Gundisalvus de Lagos, in Lusitano Algarbiae Regno apud praefatam urbem honeste natus, Ulyssipone Augustinianam tunicam induit. Ut erat juvenis spectatissima virtutis indole, atque singulari innocentia praeditus, statim factus est omnibus splendidissimum vitae morumque exemplar. Cum nihil magis in deliciis haberet, quam ut angelicam puritatem ab omni labe incolumem perpetuo custodiret, ideo tam multiplici, eaque assidua corporis castigatione, veluti quadam impervia spinarum sepe, venustissimum virginitatis florem undique circumsepsit, ut nunquam invidi serpentis conculcationi patuerit. Hisce autem egregiis virtutibus cumulatus Gundisalvus non sibi tantum, sed aliis quoque prodesse satagebat. Nam cum esset congrua scientia instructus, ad populum conciones habendo, utilissimam magno, quo aestuabat, Apos-

Digitized by Google

tolici zeli fervore, tum Dei gloriae, tum animarum saluti operam navavit. Prae caeteris autem praecipuam laudem meretur eximium ipsius humilitatis studium, quo jure promerita Doctoris insignia nunquam admittere voluit, mallens sine inani Magisterii honore magister esse rudium atque puerorum, quam infularum ornamento contentus, execrabili inertiae torpore marcescere; non latebat enim optimi consilii virum, non propter ea privilegia obtinenda, quae quandoque doctiores inutiles reddunt, sed propter majorem Dei gloriam, proximique utilitatem, scientiam esse comparandam. Denique Gundisalvus noster, post plures passim Prioratus optime gestos, in coenobio Turrium-Veterum ad Superos evolavit anno 1422. ut notat Elssius. Statim post obitum tum miraculis coruscare, tum Fidelium pietate honorari coepit; quamobrem anno 1492. sacrum ipsius corpus opera P. Leonelli in praefato coenobio Prioris ad honestiorem locum translatum fuit. Aliam memorat Elssius ejusdem corporis ad novam Ecclesiam translationem habitam anno 1581. Tandem immemorabili Gundisalvi cultui Pius Sextus Apostolicae sanctionis signum apposuit. Lege Pamphilum, Elssium, et Ordinis Breviarium.

Fr. Henricus Budericus.

Henricus Budericus hoc cognomine vocatur ab oppido Buri in Suffolciensi Angliae regione sito. Is quippe qui jam inde a pueritia animo conceptae vehementissimae litterarum addiscendarum cupiditati excellentissimum insuper quoddam ingenium adjungebat, primum apud Angli-

Digitized by Google

canas, ac deinde etiam apud exteras Academias maximum in studiis profectum fecit. Post multas in scholasticis certaminibus triumphorum palmas acquisitas, in Angliam rediit Parisiensi doctorali infula condecoratus. Hic statim in conciones ascendere, atque indidem locupletissimum reconditae eruditionis thesaurum conterraneis suis communicare coepit. Quamobrem frequentissimis habitis ad populum sermocinationibus magna doctrina refertis, atque singulari quodam mirae eloquentiae lepore exornatis, summam sibi apud omnes auctoritatem conciliavit. Qua quidem haudquaquam se indignum fuisse acutissimis editis libris palam ostendit. Has autem egregias praeclari ingenii dotes nobiliori animi virtutum ornamento magis magisque commendabat; siquidem excellebat etiam tum peculiari vitae integritate, tum demum magna in negotiis peragendis prudentia, atque dexteritate. Quapropter suorum nactus benevolentiam, atque existimationem, ad Provincialis honorem elatus fuit, tantaque deinceps, quanta nemo unquam, concreditam sibi provinciam sedulitate administravit. Floruit autem circa annum 1380. Celebratur a nostris, nec non a Pitsaeo, Guilelmo Eysengrenio, Marraccio, Possevino, Frisio, aliisque externis. Opera per quae nomen suum immortalitati commendavit, sunt: 1. *Super Mag. Sent. lib.* 4. 2. *Sermonum de B. Vergine lib.* 1. 3. *Sermonum per annum lib.* 1. 4. *Quaestionum theol. lib.* 1.

Digitized by Google

Fr. Henricus de Gauda.

Henricus de Gauda, vel Gaudanus, natione Batavus, Religione Augustinianus fuit. Hujus a scriptoribus valde praedicatur tum morum excellentia, tum doctrinae amplitudo. Scribunt enim illum integrae, atque religiosae vitae ratione commendabilem fuisse, nec non theologicarum scientiarum eruditione, sacrarum Scripturarum notitia, atque disputationum acumine caeteris sui aevi Doctoribus longe praestasse. In Academia Heidelbergensi facile fuit, teste Trithemio, omnium professorum princeps, atque ibidem, ut utar verbis nostri Elssii, omnium consensu palmam tenuit. Nominant illum honoris causa Possevinus, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Franciscus Suuertius in Athenis Belgicis, nec non laudatus Trithemius, quibus accedunt fere omnes nostrates. Scripsit autem: 1. *In primum Sent. lib.* 1. 2. *Orationes varias*, *lib.* 1. 3. *De celebratione Missarum lib.* 1. 4. *Quaestiones disputatas*, *lib.* 1.

B. Hermannus de Schildicz.

Beatus Hermannus de Schildicz, sive de Scildis Westphalus, sacrae Theologiae Doctor, immo, uti probat noster Schiphovverus in Chron. Oldemburgensibus, primus omnium in sua Westphalia doctoralibus infulis insignitus, vir fuit raro ingenio praeditus, litterarum divinarum studiosissimus, in Scripturis admodum versatus, atque omni

Digitized by Google

fere scientiarum genere instructus. Prae caeteris autem plurimum illum commendabilem reddidit eximia ipsius vitae sanctitas, qua etiam apud scriptores beati titulum promeruit. Hoc enim nomine ob singularem sanctimoniae laudem illum donarunt amplissimi viri Card. Seripandus, Ven. Alphonsus de Orosco, Ambrosius Coriolanus, aliique emunctae naris tum nostrates, tum externi scriptores. Immo, uti indigitat ipsius epitaphium a nostro Milensio allatum, *tam exquisitae erat probitatis, ut parum esset, si sanctus, nisi in omnibus sanctus diceretur.* Sed B. Hermanni praeconia a B. Jordano de Saxonia audiamus, qui in suo egregio opere de vitis Fratrum haec de illo litteris consignavit: *Vir fuit multae scientiae, et bonae vitae, magni zeli ad Ordinem pro disciplina, et justitia.* Praeter nostrates laudant etiam doctissimum aeque ac sanctissimum Hermannum Sixtus Senensis, Marraccius, Trithemius, Possevinus, Gesnerus, Frisius, aliique externi auctores. Multa egregie scripsit, quae nimirum sunt: 1. *Super* 1. *Sent. lib.* 1. 2. *Lectura in Genesim, lib.* 1. 3. *Hexameron duplex, lib.* 1. 4. *In Cantica lib.* 1. 5. *Super Orationem Dominicam dupliciter lib.* 2. 6. *Super Ave Maria lib.* 1. 7. *De quatuor sensibus S. Scripturae lib.* 1. 8. *Breviloquium, lib.* 1. 9. *Expositio Missae, lib.* 1. 10. *Manuale Sacerdotum, lib.* 1. 11. *De Conceptione B. Mariae Virginis lib.* 1. 12. *De vitiis capitalibus lib.* 1. 13. *De decem praeceptis lib.* 1. 14. *Tractatus de compensatione poenarum cum Horis Canonicis, lib.* 4. 15. *De modo studendi pro juvenibus lib.* 1. 16. *Introductorium Juris, lib.* 1. 17. *De vera et falsa amicitia lib.* 1. 18. *Opus quadragesimale de* 42. *mansionibus, lib.* 1. 19. *De quinque sensibus lib I.* 20. *Collationes praedicabiles per totum annum, lib. I.* 21. *Contra errores Flagel-*

Digitized by Google

lantium lib. I. 22. *De divisione Philosophiae lib. I.* 23. *Sermonum ad Clerum lib. I.* 24. *Sermonum ad populum lib. I.* 25. *In Ethicam Arist. lib.* 10. 26. *In tres lib. Rhetoricorum ejusdem lib.* 3. 27. *Diversarum quaestionum lib. I. Et alia plura.*

B. Hieronymus de Recineto.

Beatus Hieronymus Recineti in Piceno ex illustri Ghirardutiorum prosapia ortus, adhuc adolescens in Augustinianum monachum est attonsus. Eremitanae itaque militiae adscriptus, quamvis caeteris quoque religiosae perfectionis virtutibus praefulgeret, praecipue tamen mirifica dissidentes componendi gratia enituit. In hoc autem sublimi fraternae caritatis munere exercendo tantae auctoritatis, tantaeque industriae fuit, ut non solum privatis in domibus singulos singulis, sed etiam in mediis civitatibus populos populis reconciliare potuerit, *Domino cooperante sequentibus signis.* Nam cum aliquando ad gravissimas quasdam discordias componendas, quae Firmanos inter et Asculanos exortae fuerant, quaeque jam jam in cruentissimum bellum evasurae erant, iter faceret, atque ubi ad Truenti ripam pervenit, prae nimia imbrium copia solito tumidiorem amnem vado trajicere non posset, strato super aquas exundantes pallio, veluti quadam vectus cymba, ad alteram oram transgreditur. Hujus rei luculentissimum testimonium extat in Recinetensi Martyrologio jussu Episcopi Rutilii Benzoni anno 1611. in lucem edito, in haec nimirum verba: *Hodie mane (Dominica 2. Quadragesimae)*

Digitized by Google

publicus concionator a civitate conductus concionem habet in aede S. Augustini, ibique publicos pacis, et amicitiarum conciliatores, civicarumque simultatum dissuasores, viros octo, totidemque foeminas probatae vitae enunciat. Quo solemnis revocatur memoria B. Hieronymi civis nostri, cujus ossa in ea aede sub altari sita sunt, qui olim ad componendas ejusmodi discordias (inter Firmanos, et Esculanos cives) profectus, Truenti flumen, quod vadari non poterat, strato super aquas pallio tamquam phasello trajecit. Neque vero tantum dum viveret, verum etiam post obitum ingentia miracula Hieronymus perpetravit. Nam cum anno 1368. die quarta, vel quinta Martii placidissimam Sanctorum mortem Recineti oppetiisset, atque deinde, uti mos est, sacrum ipsius corpus inter exequiarum solemnia coram frequentissimo populo in medio Ecclesiae super feretrum jaceret, Deo procul dubio inspirante, qui quandoque etiam in hoc Mundo electos suos clarificare studet, P. Prior virtute sanctae obedientiae illi praecepit, ut aliquod suae sanctitatis signum ostenderet. Sed mirum! Audit statim exanime corpus vocem praecipientis, atque extemplo manum movet, intra tunicae manicam injicit, indeque Priori profert olentissimum florum recentium fasciculum. Obstupuere omnes tria in uno miraculo ingentia portenta demirantes, atque exinde sanctissimum coenobitam publico religionis cultu honorare coeperunt. Hic autem cultus a Fidelibus Hieronymo exhibitus, aliis atque aliis in dies succedentibus signis, magis magisque in posterum invaluit, quamobrem a Pio VII. Pontifice Maximo Apostolicae sanctionis munimen tandem obtinuit. Servantur nunc sacrae Hieronymi exuviae in praefata Ordinis Ecclesia sub altari majori, ad quod de integro propterea ex-

Digitized by Google

tructum opera praesertim P. M. Prioris Aloysii Mattioli, anno 1856. solemniter translatae fuerunt. Adeas Herreram, Pamphilum, Torellium, Elssium, aliosque nostrates, nec non Ordinis Breviarium.

B. Jacobus Bussolarius.

Hujus apud annales Italicos celebratissimum est nomen. Verum absit a me, ut velim ipsius politicam celebritatem utcumque ostentare; nam e contra exemplo calamitatum, quae propter politicarum rerum gestionem huic Bussolario contigerunt, cujuscumque Ordinis coenobitas, sive nigram, sive albam, sive coeruleam, sive cineraceam, sive alio demum quocumque id genus colore distinctam tunicam induant, vel cooperiant cucullo caput, aut galero redimiant, vel caligas tibiis inducant, aut nudatis cruribus incedant, vel lumbos funiculis, aut zonis sive coriaceis, sive laneis sibi praecingant, vel tandem scholae vacent, aut choro inserviant, omnes et singulos etiam atque etiam monitos volo, ne se ullimode unquam politicis rebus commisceant. Nostrum est Religionem curare: sufficiat ergo nobis amplissimum hoc, maximique momenti negotium: patriam milites armis tueantur, populos contineant constitutae a Deo potestates, rem publicam Reges moderentur, nos autem coenobitae Breviario recitando, Sacris faciendis, Sacramentis administrandis, verbo Dei praedicando, aliisque hujusmodi sacerdotalis ministerii sublimioribus officiis tantummodo jugiter operam navemus; nam si secus agimus, Apostolum contem-

Digitized by Google

nimus dicentem: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus.*

Itaque Jacobus noster Papiae natus, a patris professione, qui tornatorem agebat, Bussolarii cognomen accepit, nam insubrico dialecto tornatores *bossolari* dicuntur. Fratrem habuit Bartholomaeum item Augustinianum, Episcopum insulae Aenariae, quae jacet ad sinum Neapolitanum prope Misenum. Cum esset ingenita quadam praeditus pietatis indole, ipsas juvenilis aetatis primitias in Eremo Augustiniana Domino sacravit, evasitque deinceps religiosus irreprehensibilis vitae, multae orationis, atque magnae poenitentiae. Nec minus tamen doctrina, quam religione commendabatur. Nam erat theologus valde clarus, atque excellentissimns in primis concionator. Quamobrem adeo sibi Papiensium animos devinxerat, ut eos quocumque vellet ad nutum flecteret. Hinc exordium sumpsit miserrima illa politicarum vicissitudinum series, quae tandem incauto coenobitae acerbissimam malorum iliadem procreavit. E quibus tamen post diuturnam 14. annorum perpessionem ereptus, pristinaeque libertati restitutus, ad Aenariam insulam apud fratrem Episcopum se recepit, ibique, ut fuit semper vir spectatae morum probitatis, ita pie sancteque vixit, ut ab illis insulanis tum ante pro sancto haberi, tum post mortem beati nomine nuncupari meruerit. Narrat Ughellus illum in eadem insula apud Dominicanos sepultum fuisse, ideo forsitan quia tunc temporis nondum illic Augustinianum coenobium extabat, atque circa annum 1480. ad decentiorem locum translatum, apposito ad tumulum hoc epitaphio: *Beatus frater Jacobus Bussolarius nuncupatus sub isto altari* 1480. *die* 16. *Augusti fuit translatus. Per annos* 14. *a Joanne Galeatio Me-*

Digitized by Google

diolanensi martyrium carceris pro veritate suscepit. Papiam, Alexandriam de omni malo ad omne bonum reduxit, omnes dignitates abhorruit, et nunquam propriam habuit. Deo gratias. Amen. Quamvis non constet quo anno decesserit, certum tamen est, illum fratri Bartholomaeo, qui obiit anno 1389. ad orcum praeivisse. Vide Torellium, Elssium, aliosque nostrates, nec non rerum Italicarum scriptores.

B. Jacobus de Ancona.

Beatus Jacobus de Ancona, ignotae nobis prosapiae, nostri Anconitani coenobii alumnus fuit. Is dicitur ab Elssio profetico spiritu praeditus, miraculis multifariam celeber, sanctitate illustris, vir magnae perfectionis, et diversis virtutibus splendens. Sed supra omnia cunctis admirationem affert singularis ipsius patientia. Nam cum teterrima quaedam lepra a vertice usque ad talos, veluti quodam indumento, totum illius corpus foedissimis ulceribus contexisset, novellus Job libenter sustinens, Dominum suum quotidie benedicebat, qui illum cruciatuum suorum aliquatenus participem reddere non dedignabatur. Quam vehementer exoptaret, ut Apostoli phrasi utar, mortificationem Jesu in suo corpore circumferre, et ut passio Ipsius in ulceribus suis manifestaretur, hoc luculentissimo patet exemplo. Nam cum putida ejus ulcera molestissimis vermibus scaterent, qui hiatu degluptam acerbiori cruciatu vivam carnem depascebant, si quis forte ex his edacibus tortoribus sua sede excussus ad humum delapsus fuisset, illum statim manibus arreptum in pristinum locum restitue-

Digitized by Google

bat. O vehementissimam patiendi cupiditatem! O novum martyrii genus inter nobiliores palmas deputandum!

Timore autem ne eodem leprae morbo caeteri quoque fratres inficerentur, secesserat Jacobus in horridum quoddam antrum haud procul ab oppido quodam Cardaito nuncupato. Quocirca insignem ejus pietatem, ac vere incredibilem patientiam brevi experti illius loci incolae, statim illum tamquam virum sanctum venerari coeperunt. Quamobrem cum aliquando propter rei frumentariae inopiam in summa egestate versarentur, ad hominem Dei supplices confugerunt, ut ipsis orationum suarum clavibus coelestis munificentiae horrea aperiret, atque peroptatam frugum abundantiam impetraret. Consolatur pauperes Christi piissimus antri habitator, promittens eis, se donorum omnium Largitorem pro ipsis deprecaturum. Nec mora: statim ad Coelos ascendit ferventissima Jacobi oratio, atque extemplo superabundans descendit Domini largitio. Nam (incredibile dictu!) eadem nocte recens exortae, adhuc virides, exilesque aristae repente flavescunt, impendio referciuntur, et maturantur ad locupletissimam messem. Videntes itaque oppidani tam ingens miraculum, atque insperatam annonae ubertatem unius Jacobi precibus sibi a Domino collatam, beneficii memores coenobio, ad quod ipse pertinebat, tertiam tritici partem donarunt. Tandem domum revocatus ut balneorum usu leprae morbum curaret, vix balneum ingressus, inopinato animam efflavit. Corpus exanime adhuc in balneo extans, tam late suavissimum odorem exhalavit, ut totam domum fragrantia repleverit; atque interea aqua natura calens, repente frixit, quae tamen vix educto corpore pristinum calorem recepit. Item post humationem, uti notat noster V. Alphonsus de Orosco, miraculis coruscavit.

Digitized by Google

Contigit autem ipsius beata mors anno 1399. Vide Herreram, Pamphilum, Torellium, Elssium, aliosque nostrates.

B. Jacobus de Cerqueto.

Beatus Jacobus de Cerqueto (Umbriae oppido in pago Perusino) is fuit, qui cum Perusiae adhuc tirocinium ageret, suis precibus obtinuit ne tunica alba exueremur. Digna sane ordinis dispensatio, ut puero mundo corde nequaquam adimeretur ornamentum candoris. Ex hoc autem Patres praenoscentes quantae juvenis Deo dilectus utilitatis foret Ordini futurus, perquam libentissime, ubi tempus advenit, illum ad solemnia vota nuncupanda admiserunt. Laetissimum Patrum praesagium rei probavit eventus. Nam ille a puero susceptam religiosae perfectionis semitam jugiter persequendo, quotidie usque ad extremum vitae halitum magis magisque ad sanctitatem profecit. Supra omnia autem B. Alphonsus de Orosco in illo commendat eximias virtutes tum insignis patientiae, qua aequo, hilarique animo quascumque aegritudines tolerabat, tum singularis obedientiae, qua etiam injussus, aut saltem jussus per jocum, sine ulla cunctatione Superioribus obtemperabat. Hujus rei perspicuum simul atque inusitatum exemplum affert noster B. Jordanus de Saxonia. Nam, ut ipse narrat, cum aliquando Jacobus noster degeret in quodam coenobio, cui proximum erat quoddam stagnum, in quo ingens natabat agmen ranarum, quae importuna garrulitate summam Patribus molestiam afferebant, quadam die illius coenobii Prior illi, dum se ad Sacrum faciendum parabat,

Digitized by Google

quasi per lusum dixit: *Vade, dic illis bestiis ut teneant silentium.* Lusum aut non advertit, aut saltem susque deque habuit vir obediendo assuetus, ac proinde statim praeceptum expleturus ad lacum contendit, quo ut pervenit, *facto* (verba sunt B. Jordani) *signo Crucis dixit haec verba: In nomine Domini Jesu Christi praecipio vobis, ut taceatis.* Mirum ! siluit extemplo garrula ranarum turba, nec amplius in posterum jugi coaxatione Religiosorum aures obtudit. Tandem vir Dei, postquam jam Perusiam reversus fuerat, ibidem miraculis clarus, meritisque onustus ad superos evolavit circa annum 1366. Honorifice more Beatorum apud nostrates conditus fuit, ubi etiamnunc religiosum cultum obtinet. Consule Augustinianos auctores, ac inter externos Jacobillum.

Fr. Jacobus Caracciolus.

Jacobus Caracciolus Patritius Neapolitanus, eximius fuit sacrae Theologiae Doctor, verbi Dei praeco valde clarus, philosophus excellens, nec non acutissimus disputator, quo nomine potissimum plurimum valuit in explanandis, atque resolvendis Scripturarum quaestionibus. De hoc Jacobo procul dubio intelligenda sunt haec verba, quae habentur apud Nicolaum Toppium in sua Bibliotheca Neapolitana, nimirum : *Jacobus Caracciolus Eques Neapolitanus, Augustinianus, philosophus, et theologus famosissimus floruit* 1500. *Scripsit super primum, secundum, et tertium Sententiarum etc.* Ubi tamen notandum, nihil plane officere, quod illum anno 1500. assignet, nam aliunde

Digitized by Google

compertum est praefatum auctorem, uti observat Gandolphus, in annis computandis aliquando oscitanter se gessisse. Anno 1357. idem Caracciolus, uti refert laudatus Gandolphus, ab Innocentio VI. Patriarcha Aquilejensis electus fuit, sed morte praeventus, transivit ad meliorem vitam ante consecrationem. Prae caeteris vide Gandolphum. Scripsit: 1. *Super primum Sent. lib.* 1. 2. *Super secundum Sent. lib.* 1. 3. *Super tertium Sent. lib.* 1. 4. *Quaestiones disputatas*. 5. *Sermones quosdam de variis rebus.*

F. Jacobus Magnus.

Hunc Jacobum nostrates Coriolanus, et Jacobus Philippus de Bergomo, aliique scriptores Toletanum putant, Pamphilus vero Eugubinum; at videntur caeteris praeferendi Herrera, Torellius, ac Sammarthani, qui ajunt illum Tolosae in Gallia natum fuisse, atque Parisiis Augustiniano habitu indutum. Sed quoad hanc auctorum discrepantiam consule Gandolphum, et laudatum Torellium. Itaque Tolosanus noster, factus Augustinianus, tantum in studiis profecit, ut evaserit sacrae Theologiae Doctor summi fastigii, Scripturarum interpres peritissimus, atque philosophus admodum conspicuus. In Italiam profectus, aliquandiu in Patavina Universitate publicum Philosophiae, atque Theologiae professorem egit. Fuit Michaeli Crenejo Antisiodorensi Episcopo, et Regis confessario valde acceptissimus, cui etiam tria opera nuncupavit. Huic vita functo anno 1409. in regii confessarii munere successit. Hinc factum est, ut Carolus Sextus Galliarum Rex, cum exi-

Digitized by Google

mias ipsius virtutes optime perspectas haberet, illi obtulerit Archiepiscopatum Burdigalensem, quem tamen Magnus noster prae humilitate recusavit, mallens sine infula inter domesticos libros assidue litteris vacare, quam infulatus multis negotiis, periculisque obrui. Fato concessit anno 1422. valde senex, fuitque Parisiis penes nostrates sepultus. Augustinianis scriptoribus illum laudantibus accedunt Trithemius, Possevinus, Sammarthani, Gesnerus, Frisius, Nicolaus Antonius, Henricus Warthon, aliique externi. Opera quae posteris reliquit, sunt: 1. *Sophologium, seu opus de inquisitione divinae Sapientiae, divisum in decem libros, cujus scopus est legentes inducere ad amorem sapientiae, imp.* 2. *Liber bonorum morum, divisus in quinque tractatus. Primus agit de remediis contra septem peccata mortalia, secundus de statu Ecclesiae, tertius de statu Principum, quartus de statu communis populi, quintus de morte, et die judicii, imp.* 3. *Compendium utriusque Philosophiae.* 4. *Annotationes in omnes sacros libros.* 5. *Quaestiones in lib. Arist. de anima, et alia.*

B. Jacobus Piccolomini Senensis.

Beatus Jacobus Senis ex nobilissima Piccolomini prosapia ortus, Augustiniana professione, ut innuit noster Ægidius Viterbiensis, ad Ilicetanum coenobium pertinuit. Hunc praefatus Emus Purpuratus appellat: *Civem primariae nobilitatis, humi cubantem, crudis vescentem, vina fugientem, cilicina indumenta, non lanea, induentem.* Ex his profecto Aegidianis verbis, quae majora procul dubio sunt

Digitized by Google

omni laude, satis superque constat quam durum atque asperum vitae genus Jacobus noster in Ordine traduxerit. Hoc autem magis magisque in sublime levabit ipsius virtutes, atque merita augebit, si anterior ipsius victus consuetudo cum posteriori aliquantisper comparetur. Nam profecto supra quam cuique credibile est laboriosum, atque molestum videtur ut juvenis primariae nobilitatis, in paterna domo delicatioribus dapibus vesci, exquisitiori mero sitim sedare, mollioribus vestibus indui, in culcitra plumea decumbere, aliisque id genus suavibus deliciis frui solitus, postea in claustro non nisi humi cubaret, crudas herbas comederet, frigidam potaret, cilicio membra contegeret, aliisque hujusmodi asperitatibus innocens corpusculum affligeret. Ex quo sane exemplo patet, quam merito sint despectui habendi futiles quidam, levisque cerebri homines, quos, cum de humillima saeculi paupertate ad claustrum venerint, non pudet tamen, etiam post juratam Deo vitae perfectioris fidem, in monasteriis superflua quaerere, atque delicias sectari, etiamsi quando foris erant nec ipsa necessaria poterant invenire. O vere detestanda rerum perversitas, ut ubi fiunt divites laboriosi, pauperes fiant delicati! Itaque Jacobus noster, qui ad Eremum Augustinianam venerat, non quidem ut flores voluptatis quaereret, sed duntaxat ut spinas poenitentiae colligeret, mallens Christi sequi vestigia, qui tormenta elegit, delicias autem devitavit, in summa vitae austeritate vixit usque ad felicissimum ipsius transitum, qui fuit juxta Torellium, aliosque nostrates, circa annum 1390. Statim post mortem beati nomen obtinuit. Vide rerum nostrarum scriptores.

Digitized by Google

BB. Joannes, et Petrus Becchetti.

Beati Joannes, et Petrus Fabrianenses, consanguinei, ex illustri Anglica progenie de Becchettis, ex qua etiam olim prodierat invictissimus martyr S. Thomas Cantuariensis, ortum duxerunt. In ipso juventutis flore Eremitarum Ordinem in patrio Fabrianensi coenobio ambo amplexati, illum postea tum sanctitatis, tum doctrinae splendore magis magisque illustrarunt. Nam, ut in primis de Joanne sermonem instituamus, insignis fuit philosophus, *non modo* (verba sunt Ambrosii Corani) *Aristotelicus, sed Platonicus, maximus theologus, et acerrimus disputator.* In Italia inceptum studiorum curriculum in Oxoniensi Academia complevit, atque ibidem, ut videtur innuere Torellius, non solum Baccalaurei, verum etiam Magistri honorem est consecutus. Reversus deinde in Italiam, anno 1392. Perusiae Regentem agebat. Claruit etiam quamplurimum praedicationis gloria, atque utilium operum scriptione. Petrus autem, qui videtur fuisse natu major, in Italicis Religionis studiis consanguineo haud inferiorem se ostendit, nec minus quam ille in suggestu valuit. Anno 1388. erat Lector in coenobio Ariminensi, et 1391. idem munus fungebatur Venetiis. Cum uterque insigni pietate, praesertim erga Dominicam Passionem praeditus esset, ambo simul ad sacra Hierosolymorum loca invisenda perrexerunt, ubi Domini sepulcrum diligentissime delinearunt, ac aliud deinde simile in suo Fabrianensi coenobio extruxerunt. Ibidem sanctissimi homines simul diu noctuque divinis mysteriis meditandis, orationibus congeminandis, vigiliis protrahendis, corporis membris excruciandis, atque interdiu etiam popu-

Digitized by Google

lo ad Dei amorem excitando vacare solebant. Tandem anno 1420. primus ad superos evolavit Joannes, in cujus funere Petrus luculentam habuit orationem, qua audientes omnes usque ad lacrymas commovit. Non diu tamen alter ab altero sejuncti remanserunt, nam Petrus post annum Joanni in coelesti mansione perpetuo se adjunxit. Amborum reliquiae Fabriani in Ecclesia S. Sepulcri religiose servantur, eorumque cultum immemorabilem Gregorius XVI. auctoritate Apostolica confirmavit. Haec autem sunt B. Joannis opera: 1. *Expositio Evangeliorum*, *lib.* 4. 2. *In Ethicam Aristotelis lib.* 10. 3. *De concordia Platonis ad Scripturam lib.* 1. 4. *In Politicam Aristotelis lib.* 8. *et alia.* Vide Torellium, Elssium, Gandolphum, Frisium, et alios, nec non Ordinis Breviarium.

B. Joannes Ghisius.

Beatus Joannes Ghisius, Nobilis Senensis, ab ineunte aetate, quippe qui puer erat aliquantulo vividioris ingenii, magis venationibus, atque aucupiis, caeterisque id genus innoxiis oblectamentis, quam pietati proclivis videbatur. At Deus, qui novit corda omnium, quique eadem suae gratiae virtute, prout vult, immutat, juvenilia Joannis desideria ad altiora convertit. Exinde statim vidisses lectissimum juvenem antea avidius quaesita solatia susque deque omnino habentem, atque ea tantum, quae ad Deum pertinent, ex animo curantem. Quapropter duodeviginti annos natus, ad Ilicetanorum Augustinensium Patrum societatem in S. Antonii Vallis-Asperae coenobio se aggregavit;

Digitized by Google

humilitate fratrum laicorum coetui mallens adscribi. Post votorum nuncupationem decem annos in praefato coenobio commoratus, si caeterarum virtutum exemplar, humilitatis vero, et castitatis vere miraculum fuit. Etenim mirabantur omnes hominem nobiliter natum, molliterque enutritum, atque famulorum blandimentis domi assuetum, famulum inter coenobitas agentem, cellas et mesaulas verrentem, mensas parantem, lectulos sternentem, stipem ostiatim captantem, collectarum sacculum palam in humeros bajulantem, atque alia hujusmodi ignobiliora munia singulari quadam animi alacritate exercentem. Disce ergo, qui legis, superbiae tetricitatem exuere, atque commoditatum studium abjicere, praesertim si non, quemadmodum Joannes, rerum omnium affluentiam, atque nobilitatis insignia, sed aut ligonem, ut cum nostrate eximio Nicolao Chiesa loquar, aut agolum domi reliquisti. Non enim ut ignobiles nobiles fiant, sed ut utrique humiles evadant claustra sunt instituta.

Singularis autem Joannis castitatis hoc extat luculentissimum exemplum. Nam quotiescumque immundus spiritus libidinis faces ejus cordi subjiciebat, ipse statim inter loca urticis, vepribus, dumisque consita se volutando noxiam flammam extinguebat. Praeterea obedientiam jugiter servans, nunquam Superiorum jussa parvipendit, atque decorem domus Domini summopere diligens, magna diligentia templum verrebat, altaria exornabat, lychnos instruebat, sacrasque vestes, et vasa custodiebat. Supra omnia autem Sacerdotibus celebrantibus summa reverentia inserviebat. Vidisses nimirum non quidem hominem, sed Angelum ad Aram ministrantem. Quapropter Patres egregium ipsius in Ecclesia famulatum acceptissimum haben-

Digitized by Google

tes, illi ut plurimum Sacristae munus committebant. Insuper noctes fere integras orando, ac coelestia meditando insomnes traducebat, atque ubi somni necessitate premebatur, aliquantulae quieti se super scamnum tradebat. Porro ex hac jugi cum Deo, ac divinis conversatione tales percepit mentis illustrationes, ut quamvis homo fuerit exiguarum litterarum, tamen sapientissimos quosque Doctores theologica scientia superarit, qui propterea ad ipsum tamquam ad oraculum difficiliorum quaestionum solutionem petituri accedebant. Quantae vero in Deum fiduciae extiterit sequens narratio demonstrabit. Nam cum aliquando tunica illi opus esset, neque ad emendam pecunia suppeteret, ante Crucifixum in genua provolutus, omnem hujusmodi rei curam in Dominum jactavit. Verum quid tum? Paulo post ignotus quidam illi tantum pecuniae donavit, quantum tunicae comparandae sufficeret. Contigit autem interea ut volens amplissimus Ordinis Moderator B. Guilelmus Amidanus de Cremona in Papiensi coenobio, quod nuper a Joanne XXII. pro purpureo renuntiato galero obtinuerat, perfectam disciplinae observantiam instituere, cum caeteris insignibus pietate viris etiam Ghisium nostrum in Insubriam miserit. Ivit itaque Ticinum Joannes, atque ibidem illustriora dedit suae sanctitatis specimina. Nam cum duorum SS. Martyrum corpora, quae in illa S. P. Augustini Ecclesia latebant, illi coenobitae conquirere vellent, quippe qui eximiam Joannis pietatem jam probe noverant, rem totam ipsius precibus commendarunt. Spes minime fefellit venerabiles Patres; nam paullo post Joannes ubi sacra pignora extarent divinitus agnovit. Aliquot annos Papiae commoratus, Senas tandem revertitur, quo ut pervenit, peste

Digitized by Google

tunc saeviente corripitur; quapropter statim pia Sacramentorum susceptione se ad aeternitatis iter paravit. Postquam autem ultimum agonem sibi instare animadvertit, illico e lectulo surgens tunicam induit, atque ad Crucifixi pedes genua submittens, Passionem Domini secundum Lucam legere coepit, atque ubi lacrymis madidus ad illa verba pervenit: *In manus tuas commendo spiritum meum*, extremum halitum reddidit anno 1363. aetatis suae 63. Iliceti sepelitur, ubi postea Ghisiorum familia marmoreum sepulcrum illi extruxit. Corpus ejus sexto ab humatione mense perinde repertum fuit, ac si tunc primum ab illo anima exulasset. Statim post obitum beati titulo, et signis decoratus fuit. Sermonem faciunt de illo nostrates praesertim Ilicetani, quibus accedunt Dominicani Capizucchius, et Ugurgerius, Ferrarius Jesuita, aliique externi.

Fr. Joannes Godtwicus.

Joannes Godtwicus Anglus, in provincia Norfolciae natus, primis adolescentiae suae annis in Linnensi coenobio Augustiniano Instituto nomen dedit. Cantabrigiae primo in litterarum humaniorum studio versatus, postea Oxonii graviores disciplinas ita egregie didicit, ut ibidem sacrae Theologiae Doctor inauguratus fuerit, atque publicus Professor constitutus. Cum autem eximius vir artis oratoriae valde peritus, eloquentiae, atque facundiae laude maxime floreret, idcirco saepe saepius coram Rege, Regnique Proceribus summo cum plausu sacras conciones habuit. Prae-

Digitized by Google

claris hisce, aliisque tum probitatis, tum prudentiae ornamentis condecoratus, non minus apud nostrates, quam apud externos magnam sibi opinionem, atque auctoritatem comparavit. Quapropter a suis Angliae et Hiberniae Provincialis electus, ita se in hoc munere fungendo naviter gessit, ut amplissimo Ordini emolumento, atque utilitati fuerit. Item calami tractandi scitus, in aliquot Scripturae libros varios commentarios conscripsit, quorum tamen plerique, teste nostrate Rodulpho Marhamo Anglo historico, una cum suis titulis deperditi fuerunt. Opera autem ipsius, quae remanserunt, sunt sequentia: 1. *Lecturae in Genesim, lib.* 1. 2. *Commentaria in Danielem, lib.* 1. 3. *De hebdomadibus Danielis lib.* 1. 4. *Lecturae in Psalmos, lib.* 1. 5. *Sermones solemnes coram Rege, Regnique Proceribus, lib.* 4. 6. *In quaedam D. Pauli dicta lib.* 1. 7. *Sermones per annum, lib.* 1. 8. *Quaestiones disputatae, lib.* 1. *et alia.* Obiit Linnae circa annum 1360. Celebratur a nostratibus scriptoribus post Pamphilum, nec non a Pitsaco, Frisio, et Balaeo.

B. Joannes Tantuccius.

Beatus Joannes Tantuccius, Nobilis Senensis, sortitus a natura animum ad pietatem admodum pronum, prius Mundum deserendum putavit, quam cognovit. Nam adhuc adolescentulus ad Augustinianam Eremum confugit, atque Eremitanum habitum induit in patrio S. Augustini coenobio. Postea in Italia primum, ac deinde in Anglia litteris operam dedit, tali nimirum profectu, ut sacrae

Digitized by Google

Theologiae lauream promeruerit. Aliquot Italiae Studiorum Regens constitutus, Augustinianos alumnos non minus pietate quam scientiis instituere sategit. Neque tamen nostratibus tantum docendo, verum etiam caeteris concionando plurimum profuit; erat enim egregius verbi Dei praeco, ideo majori utique laude dignus, quia suis concionibus non quidem pecuniarum lucra, non popularis aurae sonitum, sed animarum emolumenta duntaxat quaerebat. Verum quoniam vir sanctus Dei amiciorem solitudinem prae caeteris adamabat, ideo se intra Ilicetanam silvam a mundanarum rerum strepitu segregavit. Itaque Joannes in illo sanctorum Augustinensium receptaculo degens, ita se totum pietatis operibus addixit, ut ipsius sanctitatis fama permota S. Catharina Senensis illum intima sui familiaritate honestandum judicarit, eique etiam arcanas suae mentis divinitus acceptas illustrationes aliquando patefecerit, atque peregrinationum suarum socium adhibuerit, non solum cum per Hetruriam iter faciebat, verum etiam cum Avenionem contendit Gregorium XI. hortatura, ut Romam Pontificiam Sedem reduceret. Praeterea huic Pontifici, quemadmodum et Urbano Sexto fuit acceptissimus, praesertim ob commendatam ipsis ab eadem S. Catharina Senensi insignem ejus doctrinam, et sanctitatem; quorum postremus propterea illum in gravissimis Ecclesiae Pseudo-Clementis schismate dilaceratae plagis curandis consiliarium, et adjutorem non semel adhibuit. Sed videantur Senensis heroinae epistolae, praesertim 102. 134. 181. 7. ad praefatum Gregorium XI. et aliae.

Quamvis autem humillimus Joannes a quibuscumque dignitatibus quammaxime abhorreret, non semel tamen, invitus quidem, Superiorem egit; fuit nimirum tum Iliceti

Prior, tum Senarum provinciae Moderator, quippe qui religiosa professione non quidem ad Ilicetanam societatem, sed ad S. Augustini Senense coenobium pertinebat. Pie obiit Iliceti, ibique sepelitur annno 1391. merito sanctitatis beati nomen assecutus. Praeter Porphyriensem Episcopum Landuccium, et caeteros Ilicetanos, aliosque Augustinenses auctores loquuntur de nostro Tantuccio Franciscus Modius, Isidorus Ugurgerius, aliique Senenses scriptores.

Fr. Joannes Waldebius.

Joannes Waldebius Anglus Eboracensis, Oxonii in litteris divinis, humanisque addiscendis ita strenue elaboravit, ut tum sibi magnum nomen, tum patriae summum honorem, tum demum Ordini amplissimam gloriam acquisierit. In celebratissima praefatae urbis Universitate doctoralibus infulis insignitus, Anglicae Augustinianae provinciae administrandae plenis suffragiis praefectus fuit; erat enim vir, uti iisdem verbis notat Elssius, non solum ingeniosus, industrius, doctus, et eloquens, verum etiam pius, prudens, gravis, modestus, temperans, et castus. Praelucebat etiam insignis concionatoris nomine. Joannes Balaeus refert ipsum interfuisse Concilio Staffordiae habito contra Wiclephitas anno 1392. ubi eorumdem haereticorum errores magna doctrinae soliditate confutavit. Pitsaeus autem illum existimat Archiepiscopum Dublinensem, nam aetate 14. pag. 558. juxta Gandolphum, haec scribit: *Defuncto Archiepiscopo Eboracensi Alexandro Nevillo, ipse in ejus lo-*

Digitized by Google

co successor eligitur, quamvis nunquam confirmatus fuerit; nam Summus Pontifex Thomae Arundellio contulit Archiepiscopatum Eboracensem, et Waldebium in Hibernia ad Archiepiscopatum Dublinensem transtulit. Illum celebrant omnes Augustiniani auctores, quibus praeter allatos concinunt externi Possevinus, Frisius, aliique. Scripta ejus sunt: 1. *Expositiones morales in Symbolum Apostolorum*, *lib.* 1. 2. *In Orationem Dominicam lib.* 1. 3. *Homiliae in quinque verba Salutationis Angelicae, lib.* 1. 4. *Sermonum duodecim lib.* 1. 5. *In lib. Sent. lib.* 4. 6. *Contra septem peccata mortalia lib.* 1. 7. *De Sacramento Eucharistiae lib.* 1. 8. *Determinationes Oxonienses*, *lib.* 1. 9. *Lecturae Sacrarum Scripturarum*, *lib.* 1. 10. *Lectiones theologicae, lib.* 1. 11. *Sermonum ad Clerum lib.* 1. 12. *Sermonum ad populum lib.* 1. 13. *Placita theologica, lib.* 1. 14. *Quaestiones ordinariae, lib.* 1. 15. *Itinerarium salutis, lib.* 1. *et alia.* Illius obitum Elssius assignat anno 1393; verum ut constet ipsius Archiepiscopatus Dublinensis, dicendum videtur supervixisse saltem usque ad annum 1395; nam ab anno 1390. usque ad hoc tempus eamdem Sedem tenuit ipsius germanus frater Robertus Waldebius. Sed quoad hoc vide Torellium, et Gandolphum.

V. Joannes Zacharias.

Venerabilis Joannes Zacharias, quem alii Helvetium, alii autem Thuringium putant, sacras litteras non solum in Germania, verum etiam Oxonii in Anglia impense coluit, ubi ita laudabiliter se gessit, ut Lectoris gra-

Digitized by Google

dum in illa Universitate obtinuerit. Inde in Germaniam reversus, postmodum evasit Doctor Erfordiensis celebratissimus. Jure meritoque summis laudibus a scriptoribus exornatur, quippe qui revera fuit, ut fere ipsissima Elssii verba usurpem, vir praestanti ingenio, pietate, ac virtutibus insignis, theologus excellentissimus, Philosophiae egregie doctus, disputator subtilis, nec ulli suae aetatis theologorum, atque concionatorum secundus. Fidei Catholicae propugnator acerrimus haereticos omnes sui temporis, ac praesertim Hussitas, et Wiclephitas validissimis armis oppugnavit. Anno 1414. una cum pluribus aliis Augustinianis theologis interfuit Concilio Constantiensi, *in quo* (verba sunt ipsius elogii sub sua antiqua imagine Herbipoli in Franconia appositi) *cum immanissimo haeretico Joanne Hussio pro Fide Christi certamen aggredi voluit, quem, Deo propitio, superans, igne cremari fecit, atque triumphum gloriosum reportavit.* Haec autem perinsignis victoria, quae omnigenorum triumphorum gloriam excedit, sua corona minime caruit; nam Romanus Pontifex Martinus V. invictissimo Hussii triumphatori rosam auream, quae solis Principibus mitti solet, singulari prorsus, atque inaudita dignatione donavit. Hoc ipsum testatur etiam Augustinus Ardinghellius Dominicanus in sua *Congeminata Voce turturis*, dicens: *Joannes Zacharias nedum de Hussitis, sed de ipso Joanne Hus triumphavit, qui proinde sacra, atque aurea rosa, quae a Romanis Pontificibus ad Principum Christianorum aliquem transmitti solet, honoris, et amoris ergo eodem anno donatus fuit.* Anno 1419. auctoritate Apostolica praefuit Capitulo generali Astae in Pedemontio celebrato, in quo aeque divisis Patrum suffragiis inter Hieronymum de Pistorio, et B. Augustinum

Digitized by Google

Romanum, ipse quippe qui ad homines internoscendos nasum habebat rhinocerotis, posthabito Hieronymo, Augustinum praetulit. Aliis item honoribus in Ordine nobilitatus fuit; nam bis Thuringiae, atque Saxoniae Provincialatum obtinuit, quod munus laudabiliter fungens, aliquot coenobia ad perfectiorem observantiam revocavit. Demum anno 1428. non tam doctrina, quam pietate clarus Erfordiae valde senex supremum integerrimae vitae diem explevit talibus sanctitatis indiciis, ut magni servi Dei titulum sibi acquisierit. Praeter nostrates illum meritis praeconiis prosecuti sunt Trithemius, Possevinus, Paulus Langius, Petrus de Alva, Frisius, aliique cum Sixto Senensi, qui in sua Bibliotheca Sancta haec de Augustinensi praeclarissimo habet: *Saecularis Philosophiae interpres egregius, in divinis voluminibus assidua lectione exercitatus, et in Concilio Constantiensi adversus Hussitas haereticos Catholicae Fidei propugnator insignis.* Haec autem sunt opera, quae vir plane doctissimus exaravit, nimirum: 1. *In quatuor libros Sentent. lib.* 4. 2. *In Genesim lib.* 1. 3. *In Exodum lib.* 1. 4. *In Leviticum lib.* 1. 5. *De Conceptione Immaculata tract.* 1. 6. *In Epistolas D. Pauli lib.* 14. 7. *In Apocalypsim lib.* 1. 8. *Sermonum multorum lib.* 1. 9. *Determinationes variae, et alia.*

B. Jordanus de Saxonia.

Beatus Jordanus de Saxonia, tum patria, tum Augustiniana professione Quedlinburgensis fuit. Vir praecellentis ingenii, atque eximiae sanctitatis, praeceptores habuit

Digitized by Google

in Ordine piissimos aeque atque sapientissimos nostrates BB. Albertum Patavinum, Hermannum de Hallis, Joannem de Lana, et V. Prosperum de Regio. Sub talibus, tantisque magistris, mirum profecto non est, si tam magnum in litteris, atque pietate profectum fecit. Nam, quod ad doctrinam attinet, fuit procul dubio sua aetate omnium totius Germaniae theologorum princeps, concionator egregius, atque solertissimus multarum antiquitatum indagator, ut ejus fama, et scripta testantur. Quippe quod magno apud omnes in pretio habebatur, ideo suprema Germanicarum scholarum subsellia tenuit, legitque magna cum laude sacram Theologiam tum Madburgi, tum Erfordiae. Catholicae Fidei zelo exardescens, una cum Nicolao Ordinis Minorum Tangermundam urbem in Brandeburgensi Dioecesi sitam a turpissima Lolhardorum haeresi, qui inter caetera nefaria deliramenta, ipsum etiam Luciferum ejusque asseclas apostatas angelos commendabant, expurgavit. Conspicuas in Ordine dignitates obtinuit, fuitque totius Germaniae Vicarius Generalis, nec non bis Saxoniae Provincialis. Tribus Capitulis generalibus interfuit, atque in horum uno, nempe Mediolanensi, designatus fuit, ut acta Capituli Summo Pontifici Clementi VI. probanda exhiberet. Cui Pontifex respondit: *Persona electa* (V. Dionysius de Mutina) *nobis placet, et acta laudamus.* Verum sufficiat haec pauca de Jordani doctrina, dignitatibus, rebusque gestis summatim praelibasse: juvet potius quaedam alia de ipsius sanctimonia subjicere. Fuit itaque Jordanus noster vir profundae humilitatis, magnae orationis, atque ferventissimae devotionis tum erga sacratissimam Domini Passionem, tum erga Deiparam, D. Apostolum Petrum, S. P. Augustinum, caeterosque Sanctos. Quapropter plura divi-

Digitized by Google

nitus peculiaria beneficia meruit impetrare; nam bis a naufragio, semel a latronum jugulatione, ac semel etiam a rabidi canis venenatis morsibus, manifesta Superorum ope, incolumis evasit. Cum aliquando Lugduni in Gallia lethali morbo correptus in vitae discrimen venisset, post invocatum S. Martini auxilium statim pristinae valetudini restituitur. Item cum dira pestis in Germania saeviret, ipse pro ejusdem cessatione votum nuncupavit eundi ad limina Apostolorum, atque extemplo lethifer morbus evanuit. Verum quia voto solvendo plus aequo forsitan supersedebat, idcirco B. Petrus ipsius confessario apparens, dixit ei: *Admone Jordanum ut impleat votum suum.* Iterationem minime expectavit vir religione plenus; quapropter sine mora Romam iturus itineri se commisit. Insuper anno 1327. mirabili quadam visione dignatus fuit, qua praescivit sacrum S. P. Augustini corpus Eremitano Ordini fore redonandum, cujus etiam, ut ait Gandolphus, digiti particulam non sine miraculo obtinuit. Tandem praestantissimus vir, de Augustiniana Familia, deque Ecclesia universa optime meritus, octogenario major Viennae in Austria extremum diem obiit circa annum 1380. Quidam testantur illum in eodem tumulo cum B. Gregorio de Arimino, et V. Thoma de Argentina sepultum fuisse, hoc praeterea analogum epigramma in medium proferentes:

Tres dant Saxonia, Ariminum, Argentina parentes,
Una tot ingenuos terra creare nequit.
Et tria tres patriae, pietatem, dogmata, regnum,
Ter tria centenum continet Empyreum.
Spesque, Fides, Charitas, hos tres conjunxerat uni,
Tres ter felices unus habet tumulus.

Digitized by Google

Beati nomine illum decorarunt Ambrosius Coriolanus, Cardinalis Seripandus, V. Alphonsus de Orosco, Joannes Marquesius, et alii, quibus consentit etiam ipsemet Summus Pontifex Sixtus V. in Bulla praefixa notissimo ejusdem Jordani operi, cui titulus: *Vitae Fratrum*, in Romana editione. Praeclaris elogiis celebratur non solum ab omnibus nostratibus, verum etiam a Trithemio, Volaterrano, Renato Coppino, Possevino, Sixto Senensi, Gesnero, Marraccio, Frisio, aliisque externis permultis. Egregia opera, quae noster eximius Saxo posteris reliquit, sunt sequentia: 1. *Opus postillarum, et sermonum de Evangeliis Dominicalibus etc.* 2. *Sermones de Sanctis.* 3. *Vitae Fratrum.* 4. *Theoremata, et documenta* 254. *in articulos Passionis Domini, in partes septem juxta septem Horas Canonicas divisa.* 5. *Vita S. P. Augustini.* 6. *Tractatus de Passione Domini. Haec omnia habentur impressa.* 7. *Comment. in Apocalypsim, lib.* 1. 8. *Comment. in Regulam S. P. Augustini, lib.* 1. 9. *Quadragesimale.* 10. *Quaestiones variae, lib.* 1. 11. *Apologia Ordinis nostri, lib.* 1. 12. *Tractatus de spiritu libertatis, lib.* 1. 13. *Tractatus in Orationem Dominicam, lib.* 1. 14. *Vita S. Matris Monicae, et alia plurima, de quibus eruditissimus noster Jacobus Hommey in suo Supplemento, pag.* 658. *haec habet: Omnium pene manuscriptorum B. Jordani codices in Parisiacis bibliothecis vidi, saepe triplici, quadruplicive geminatos exemplari: tanto fuerunt omnibus doctis semper in pretio!*

Digitized by Google

Fr. Lucas de Offida.

Offidanum oppidum Picenae provinciae Aprutio conterminum, celeberrimum est in Eremitanorum annalibus ob prodigiosam quamdam Hostiam, quae ibidem apud nostrates asservatur. Hanc olim, anno nempe 1273. Anxani sacrilega quaedam mulier (horrendum facinus!) super ignitum imbricem, ad veneficium abutendam, torrere contenderat. Verum quid tum? Ad retundendum scelestissimae sagae diabolicum ausum, una Hostiae pars carnea extemplo apparuit, atque multo sanguine fluens, altera interea pristinarum specierum albedinem exhibente. Miraculo exagitata mulier, ac verita ne jugi sanguinis effusione immanissimum sacrilegium panderetur, per novum scelus pejus priori Sacramentum Christi in stabulo abscondit. Verum septem post annos tanti flagitii tandem poenitentia ducta, rem totam Augustiniano Priori P. Jacobo Diotalevio de Offida secreto patefecit, qui statim sacrum pignus, omnibus laetitiis laetus, secum in patriam asportavit, ubi etiam nunc invisitur.

Inde etiam habemus hunc Fr. Lucam, quem in praesentiarum laudaturi sumus. Fuit itaque iste Offidanus tum Philosophiae, tum Theologiae valde doctus, ut ejus scripta testantur. Anno 1419. jam magistrali laurea condecorabatur, et 1420. a Supremo Ordinis Moderatore Lucam in Tusciam Vicarius Generalis missus fuit, ut in illo coenobio perfectiorem observantiam institueret. Ex quo profecto patet, ipsum non solum doctrina, verum etiam probitate praestantem fuisse. Deinde electus fuit prior S. Stephani Venetiarum, ac post biennium, nempe anno 1422. Regens

S. Augustini Neapolis designatus. Anno 1429. a Martino V. ob egregia ipsius merita Adiacii in Corsica Episcopus creatur, rexitque laudabiliter illam Ecclesiam novem annos. Adfuit Romae translationi S. Matris Monicae; quapropter memoratur etiam in sermone Martini V. tali occasione pronunciato. Tandem omnem sarcinam deposuit, expeditior ad regionem immortalitatis iturus, anno 1438. Praeter nostrates memorat illum etiam Ughellus nomine Lucae *de Offredo*. Scripsit: 1. *Lectiones varias super Aristotilem*. 2. *Comment. super quatuor Sententiarum*.

Fr. Martinus de Signa.

Martinus de Signa Florentinus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit, ut ait Gandolphus, pietate, prudentia in rebus agendis, et doctrina insignis. Anno 1387. Augustinianam Pisarum provinciam administrabat, ut in suo *Orbe Augustiniano* notat eruditissimus noster Augustinus Lubinus. Testatur Antonius Magliabecchius eximium Augustinianum Magistrum nonnulla literis consignasse, sed ea temporum injuria deperdita fuisse. Magno in pretio habebatur apud celebratissimum Italicae linguae instauratorem Joannem Boccaccium, qui nedum Martinum nostrum suae conscientiae moderatorem habuit, verum etiam librorum suorum haeredem constituit, atque suae ultimae voluntatis executorem, uti patet ex ipsius testamento edito Florentiae anno 1574. in principio operis: *Annotationes ad Decameronem Boccaccii.* In praefato testamento nimirum haec leguntur praeclarissimi Certaldensis poetae verba:

Digitized by Google

Ancora lascio, che tutti i miei libri sieno dati, e conceduti ad ogni suo piacere, al venerabile mio Maestro Martino dell' Ordine de' Frati Eremitani di Santo Agostino, e del convento di Santo Spirito di Firenze etc. Et prope finem: *Appresso in esecutori, e fedeli commissarii del mio presente testamento, ovvero ultima volontà, eleggo, e priego che sieno questi, che appresso scrivo: Il venerabile mio Padre, e Maestro Martino da Signa, dell' Ordine de' Frati Eremitani di Santo Agostino di Firenze etc.* Praeterea idem Boccaccius ad suum Martinum epistolam latinam satis prolixam scripsit, in qua suarum Eclogarum arcana ipsi explanavit. Hanc legere qui cupit, adeat Gandolphum. Decessit autem Martinus noster Florentiae anno 1387. Prae caeteris vide laudatum Gandolphum.

Fr. Martinus Corbenus.

Martinus Corbenus Gallo-Tolosanus fuit. Hic vitae etiam sanctitate clarus, apud scriptores potissimum a doctrina laudatur. Etenim cum raro ingenii acumine, atque mira memoriae felicitate praestaret, adeo humanis, divinisque litteris eruditus evasit, tantaque variarum scientiarum copia instructus, ut inter viros sui aevi doctissimos jure reputari meruerit. Ob vastissimam eruditionem sapientissimo nostrati Tolosano Archiepiscopo Bernardo de Rossergio fuit acceptissimus. Florebat circa annum 1452. Laudatur a nostratibus Herrera, Torellio, Simpliciano Sammartino, Thoma Gratiano, Elssio, aliisque, quibus suffragantur etiam Antonius Possevinus, Nicolaus Bertrandus,

aliique externi. Scripsit: 1. *Super Priora, et Posteriora Arist. lib.* 4. 2. *In Artem veterem lib.* 1. 3. *Super Elenchos lib.* 2. 4. *In Physicam lib.* 8. 5. *De generatione, et corruptione lib.* 1. 6. *De parvis naturalibus lib.* 1. 7. *De medio demonstrationis lib.* 1. 8. *In libros de anima.* 9. *Comment. in Cantica Canticorum.* 10. *In Canonem Bibl. lib.* 1. 11. *In Epist. ad Rom. lib.* 1. 12. *Super quatuor lib. Sent. lib.* 4. 13. *De Summa Trinitate lib.* 1. 14. *De Fide Catholica lib.* 1. 15. *In Decretal. de celebrat. Missarum lib.* 1. 16. *Sermonum ad Clerum lib.* 1. 17. *Sermonum ad populum lib.* 1. *et alia.*

V. Matthaeus de Interrocrea.

Venerabilis Matthaeus de Interrocrea (oppido in Sabinae montibus Aquilam inter et Reatem sito) insignis fuit perfectioris regularis observantiae per Italiam promotor. Ortum habuit in praefato oppido circa annum 1367. atque ubi 15. attigit annum, Aquilae, ut quidam putant, seu verius Perusiae, prout aliis placet, Augustinianum tironem egit. Solemnia vota suo tempore professus, studiorum curriculum tum in sua provincia, tum Venetiis, tum Bononiae, tum demum Aquilae ita laudabiliter emensus fuit, ut Magisterii honorem obtinuerit. Cum concionandi peritia plurimum valeret, singulae Italiae urbes et oppida illum suum sibi Evangelii praeconem certatim expetebant. Supra omnia tamen praecellebat propter ferventissimum quoddam, atque singulare studium monasticae disciplinae instaurandae. Quapropter amplissimus to-

Digitized by Google

tius Ordinis Praesul B. Augustinus Romanus, qui eximias Matthaei virtutes optime perspectas habebat, primum in ditione tantum Romana, et Neapolitana, ac deinde in tota Italia suum Vicarium constituit, ut in iis coenobiis, in quibus perfectior regularis observantia vigeret, hanc ibidem sustineret; in aliis autem, in quibus istud fieri posset, institueret. Quam provinciam ita sedulo, atque utiliter gessit, ut tum Perusinae, tum Neapolitanae S. Joannis de Carbonaria Congregationum, si non perfector, saltem inceptor jure meritoque ab omnibus habeatur. Verum multo jam annorum pondere gravatus praefatum munus ultro dimisit, ut nullis amplius hujusmodi negotiis distentus, commodius se aeternitatis itineri pararet. Non ita autem diu valuit peroptato recessu frui; nam paullo post Gerardus Ariminensis B. Augustini successor expertissimi senis humeros eadem sarcina, dimidiata licet, iterum oneravit. Dixi: dimidiata licet: nam praedictus Vicariatus ob nimiam sui amplitudinem in binos partitus fuerat, quorum unus (trans Romam in Regno Neapolitano) B. Christiano de Pedemontio remansit, alter vero huic nostro V. Matthaeo iterum concreditus fuit. Tandem quatuor post annis, dierum, ac meritorum plenus piissimam vitam finivit circa annum 1436. Vide Herreram, Torellium, Elssium, aliosque nostrates.

V. Michael Cardonet.

Venerabilis Michael Cardonet Hispanus, doctrina, sanctitate, et praedicatione totam Hispaniam suo tempore illustravit. Mirum est quam propter hasce egregias virtutes

Digitized by Google

Valentiae populo, et Proceribus acceptus fuerit. Nam talia illi suae benevolentiae, atque existimationis testimonia exhibuerunt, qualia nec ipsi quidem famosissimo concivi D. Vincentio Ferrerio unquam praebuerunt. Sic exempli gratia, uti refert Herrera, anno 1371. die 10. Decembris ab universo Valentinae Metropolis Senatu quatuor e praecipuis Senatoribus ad Michaelem missi fuerunt, qui illum nomine totius civitatis precarentur, ut in ipsorum urbe remaneret, (erat enim Barcinonem profecturus) propterea quod populus magna in illum devotione ferebatur, multumque ipsius concionibus, et exemplis ad pietatem proficiebat. Item eodem anno, die 23. ejusdem mensis praefatus amplissimus Valentiae Senatus pecuniae summam pro ipsius cellae extructione, et 60. insuper florenos aureos illi quotannis pro suis necessitatibus solvendos assignavit. Ita olim Hispani cum coenobitis agebant! Peracto sui regiminis triennio, (erat enim anno 1371. Aragoniae, Catalauniae, et Valentiae Provincialis) Valentia relicta, ad verbum Dei praedicandum in Catalauniam se contulit. Inde tamen paullo post ad Valentinorum preces Superiorum jussu pristinam sedem repetere coactus, dum Valentiae appropinquaret, evidentissimum dedit suae sanctitatis signum. Nam cum diuturna siccitate exusta, siti aestuarent cuncta Valentinae regionis arva, ipse jam proximus urbi, quamvis fulgentissimis radiis Sol undique emicaret, nullaque omnino aerem nubecula obumbraret, confertissimae multitudini, Proceribusque peditibus obviam sibi euntibus dixit, ut cito citius domum properarent, alioquin mox casura ingenti pluvia madefaciendi. Nec mora: extemplo dictum factum evasit. Nondum enim dicendi finem fecerat Michael, cum ecce repente fugit Solis jubar, subeunt

Digitized by Google

nubes, tegitur coelum, atque nigrescit aer, ac magna interea decidens vis aquarum sitientes agros exundat. Quamobrem Michaelis adventus duplex fuit universis Valentinis causa gaudendi, tum nimirum propter peroptatum ipsius reditum, tum etiam propter congruam pluviam ejus opera obtentam. Mansit postea homo sanctae vitae, homo sanctus, sic illum vocat Elssius, semper quoad vixit Valentiae, ibique tandem mortuus, et sepultus fuit. Aliquandiu theologum egit Cardinalis Petri de Luna, nimirum cum iste a Pseudo-Clemente in Hispaniam Legatus missus fuerat. Hoc tamen nil officit ipsius probatissimae sanctitati, siquidem bona fide praefatum Clementem pro legitimo Pontifice habebat. Praeter nostrates loquuntur de nostro Cardoneto Petrus Calvius, et Gaspar Esculanus.

Fr. Nicolaus de Dinkelspila.

Nicolaus de Dinkelspila, seu ut alii scribunt, de Dinkelspuel (Sveviae urbe) fuit sacrae Theologiae Doctor admodum insignis, Scripturae Sacrae interpres doctissimus, philosophus egregius, historicus excellens, rarae facundiae orator, studiorum pernavus promotor, Viennensis Academiae professor, atque rector meritissimus, ac tandem, quod majus est, praeclarum vitae, morumque exemplar. Sed ne Augustinianus ipse ementitas laudes, nimio Instituti amore, in Augustinianum praestantissimum congerere videar, in medium proferam externos laudatores. Itaque primus omnium sit, qui Primatum in Orbe Christiano tenuit, nempe Æneas Silvius Piccolomini, postea Pius II.

Digitized by Google

Hic igitur in epistola 165. de nostro Nicolao haec habet: *Alter fuit Nicolaus de Dinkelspuel Svevus, vita bona, et doctrina multa clarus, cujus sermones hodie avide a doctis leguntur*. Huic accedit Trithemius, qui item de eximio Augustinensi haec litteris mandavit: *Vir in Scripturis Sacris doctissimus, ingenio clarus, sermone scholasticus, vita et conversatione insignis*. Prae caeteris autem notanda sunt verba Vimphelingii Scelestatensis apposita in fine operis ejusdem Nicolai *De quinque sensibus*, quae nimirum sunt: *De Nicolao juste gaudet florentissimum Viennense Gymnasium praeceptore, et patrono. Gaudet non indigne nobilissima Germania de tam praeclaro gentili. Gaudet haud immerito laudata Svevia de tam excellenti concive, qui Viennam doctam reddidit, Germaniam decoravit, Sveviam extulit, sacrosancto Concilio Constantiensi pondus, et auctoritatem adjecit*. Laudatur etiam a Sixto Senensi, Gesnero, Frisio, Draudio, Guilelmo Eysengrenio, aliisque externis scriptoribus, quibus consentiunt Herrera, Gratianus, Elssius, Torellius, Gandolphus, aliique nostrates auctores. Anno 1416. a Viennensi Universitate ad Constantiense Concilium, ut supra praefertur, Legatus pro Germania missus fuit, atque ab eodem Concilio unus ex iis sex nationis Germanicae viris designatus, qui in proximo Conclavi, in quo Martinus V. electus fuit, suffragium laturi erant. Item anno 1425. confessarium agebat Alberti II. Caesaris Archiducis Austriae. Tandem circa annum 1433. meritissimus senex abiit illuc, quo priores abierunt, posteris sui memoriam relinquens in his, quae sequuntur, sui praeclarissimi ingenii monumentis, quae nimirum sunt: 1. *Super Magistrum Sententiarum lib.* 4. 2. *De dilectione Dei, et proximi sermones* 11. 3. *De praeceptis Decalogi*.

Digitized by Google

lib. 1. 4. *De Oratione Dominica lib.* 1. 5. *De tribus partibus Poenitentiae lib.* 1. 6. *De octo beatitudinibus lib.* 1. 7. *Confessionale.* 8. *De quinque sensibus*, *imp.* 9. *Concordantia in Passionem Domini*, *imp.* 10. *Oratio ad Sigismundum Imp. habita in Concilio Constantiensi*, *imp.* 11. *De donis Spiritus Sancti lib.* 1. 12. *Quaestiones magistrales de haeresibus, et veritatibus Catholicis.* 13. *Sermones de SS. Eucharistia.* 14. *Sermones de tempore.* 15. *Quaestiones in quatuor lib. Sententiarum.* 16. *Comment. in D. Matthaeum.* 17. *Comment. in Epist. ad Corinthios.* 18. *Sermones de Sanctis, et de Beatissima Virgine.* 19. *De peccatis linguae.* 20. *Comment. in Isaiam.* 21. *Comment. in Psalmos.* 22. *Sermones morales.* 23. *De contractu emptionis*, *et venditionis contra avaritiam.* 24. *De* 7. *peccatis mortalibus*, *et alia plura.*

B. Nicolaus Tinius.

Beatus Nicolaus Tinius de Mariscottis, Nobilis Senensis, post laudabiliter domi transactam juventutem, 35. circiter annos natus, Eremitanum Ordinem Iliceti amplecti voluit. Hinc praeter caeteras heroicas virtutes, quibus abunde praefulgere coepit, maxime enituit cum zelo praedicationis, tum misericordia in pauperes, cum orationis efficacia, tum demum miraculorum patratione. Sed singula breviter prosequamur. Itaque in primis Nicolaus noster statim ac Sacerdos inauguratus fuit, dolens quammaxime a Senarum civibus nimium Deum offendi, omni studio, omnique animi impetu ad ipsorum conversionem procurandam, e sacris rostris contra vitiorum illuviem minaci

voce declamando, aggreditur; tantaque erat zeli ipsius vehementia, atque divinae charitatis fervor, ut ubi saxeis praevaricantium cordibus emolliendis verba exhortationis minime sufficerent, vir futurorum praescius, ad validiorem ingruentium malorum minitationem decurreret, quo, si non aequo animo, saltem propter metum, desinerent perverse agere, ac Deum timere inciperent. Hujus rei apertissimum testimonium habemus in manuscripta historia Senensi cujusdam antiqui auctoris Joannis Bisdomini, quem citat Landuccius in sua *Silva Ilicetana.* Illius verba nunc genuine prout jacent apud Torellium in medium proferam, nec jota unum, nec unum quidem apicem immutans. En igitur illa: *In detto anno (*1338.*) veduto, che il popolo di Siena nel bene svagliava, B. Nicolò Tini cittadino Sanese, e novello frate di S. Salvatore a Selva di Lago, detto Lecceto, incominciò a pronunciare il flagello di Dio, d' onde che anno per anno per infino* 1348. *fu pronunciato, e poi venne li fatti come udirete etc.* Deinde misericordia in pauperes tantopere afficiebatur, ut ad ipsorum inopiam sublevandam, vel ipsa necessaria aut sibi, dum privatam vitam agebat, aut monasterio, dum Prioris officium fungebatur, saepe saepius subtraheret. Quapropter a coenobii provisore aliquando admonitus ne congruam fratrum annonam tanta prodigalitate nimium extenuaret, sperantibus in Deum nihil defuturum illico respondit. Hanc tutissimam Nicolai spem minime frustratam fuisse insigne miraculum comprobavit. Nam licet per quatuor jugiter menses, quibus tota Senensis regio summa caritate laboravit, ingentem frumenti, atque vini copiam egentibus distribuisset, attamen nec acervus in horreo fuit imminutus, nec dolium in cella vinaria decrevit. Hoc miraculum,

Digitized by Google

quemadmodum et aliud, quo per eumdem B. Nicolaum quidam Ilicetanus oblatus, qui delirans sibi suspendio spiritum praecluserat, ad vitam revocatus fuerat, anno 1622. Jesuitae Senenses ipsorum Patriarchae D. Ignatii de Lojola apotheosim magnificentissima pompa celebrantes, publico testimonio declararunt, dum inter caeteras Sanctorum praesertim Senensium statuas, quas ad majorem solemnitatis splendorem in suo templo erexerunt, simulacrum etiam posuerunt nostri B. Nicolai Tinii hoc distinctum elogio: *Nicolaus de Tinis Senensis, sanctitate clarus, cum undique mendicantes quaereret, quos reficeret, invenit in horreo post innumeras eleemosynas quantum in aestate condiderat, in dolio quoque vini multum, cum nec multa quidem dolia suffectura fuissent. Qui etiam virum monasterio oblatum, qui se suspenderat, cum diem integrum precibus intentus fuisset, brachio apprehensum vitae restituit.* Neque vero tantum erga pauperes egentes, sed etiam erga aegrotantes se mirabilem ostendit; quare cum aliquando miserrimum quemdam leprosum ab omnibus derelictum prope pomarium jam jam animam exhalantem reperisset, ipse statim nec dehiscentis cutis foedissimam scabiem fastidiens, nec inficientis morbi contagionem pertimescens, illum sibi in humeros imposuit, atque ad coenobium in sui ipsius lectulum deportavit, ubi brevi tum medicamentorum remediis, tum magis orationum suarum effusione illum penitus a lepra mundavit; sicque mundatum postea dimisit, quem antea totum impetigine contectum repererat.

Porro haec omnia hactenus exposita nedum eximiam Nicolai nostri erga pauperes caritatem ostendunt, verum etiam mirificam orationis ipsius efficaciam innuunt, atque insigne miraculorum donum; de quorum singulis me ser-

Digitized by Google

monem instituturum superius praemonueram. Sed utriusque rei alia praesto sunt argumenta adhuc clariora. Cum enim aliquando iratus Senensium populus suspicans quosdam rebelles, qui Ilicetanam silvam infestabant, intra coenobii latebras confugisse, illud funditus utique evertendum aggressus fuisset; sanctissimus P. Prior sine armis, at validissimo orationis praesidio furentem plebem in fugam convertit. Nam quamvis sudum antea undique in aere emicaret, nec ullis atris coelum nubibus obduceretur, repente tamen, orante B. Nicolao, niger finitorem orbem nimbus obumbrat, atque horrificis tonitruis resonat aether, tamque ingens ruit aquarum agmen, ut concita aggressorum turba nimio timore perculsa non aliunde sibi, quam a cruribus auxilium parandum putarit. Eodem tempore, merito procul dubio ejusdem B. Nicolai, tres viri insontes, qui in eadem silva comprehensi tamquam latrones ad supplicium adigebantur, retro in custodiam reducti fuerunt, unde postea ipsorum innocentia comperta, pristinae libertati restituti fuerunt. Aliis quoque hujusmodi praeclaris miraculis coruscavit, quae legi possunt apud auctores, qui fusius illius vitam ex professo conscripserunt, qui nimirum sunt Ambrosius Landuccius, B. Philippus de Agazzariis, Hieronymus Bonsignorius, Bernardus Monaldus, Honorius Martini, aliique Ilicetani nostrates, quibus accedunt Jesuita Ferrarius in suis Floribus academicis Senensibus, nec non praefatus Joannes Bisdomini, aliique tum externi, tum Augustinenses scriptores. Postrema ipsius vitae, atque piissimam mortem ita describit laudatus B. Philippus de Agazzariis, qui morienti adfuit: *Paullo ante mortem, in ultimis vitae annis rupturam passus est, et ventris duritiem, ex qua et obiit .. .... Et cum haec dixisset, oculis*

Digitized by Google

ad Coelum sublatis, commendans se Salvatori, beatum spiritum reddidit die 9. *Februarii*, anno scilicet 1387. aetatis suae 84. juxta Torellium, qui in hac re sequitur laudatum Porphyriensem Episcopum Landuccium. Statim post obitum beati tum nomine, tum cultu, tum imaginibus a Fidelibus honoratus fuit. Praeter allatos lege Torellium, et Elssium.

Fr. Onuphrius Steccutus.

Onuphrius Stecutus, seu de Vicedominis Florentinus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit multa eruditionis supellectile instructus, nec non gloria praedicationis maxime clarus. Propterea quod multa Apostolicae Sedi perutilia optime gesserat, ab Urbano VI, cujus fuerat Nuncius tum apud Hetruscos, tum apud Insubres, anno 1384. Volaterranus Episcopus inauguratus fuit, anno vero 1390. a Bonifacio IX. ad nobiliorem Florentiae Cathedram translatus. Quoniam autem Florentinorum partibus magis forsitan quam par Pontifici videbatur, eximius patriae Antistes adhaerebat, vel potius quia invidi quidam aemuli illum apud eumdem Pontificem perinde traduxerunt, ac si in defendendis S. Sedis juribus remissius se gereret, idcirco praefatus Bonifacius aliquot post annos in eam cogitationem venit, ut Onuphrium nostrum ad Comacli Cathedram transferret. Displicuit quammaxime populo, ac Senatui Florentino insperata acceptissimi Praesulis translatio; quapropter duabus missis ad Pontificem litteris, unaque ad Sacrum Purpuratorum Collegium, in quibus eximii concivis prae-

Digitized by Google

clarissima merita, atque pastoralis officii exactissimam perfunctionem summis laudibus extulerunt, ne amplius amoveretur obtinuerunt. In una harum epistolarum inter caetera haec etiam habentur: *Utinam omnes alii tam Clerici, quam Praelati pari diligentia per omnem Christianitatis ambitum se gessissent, et scirent, et vellent in his omnibus operari. Indignamur autem, quod aliqui tententur ore sacrilego tam falsa continere, vel si de veritate sunt conscii, quae bene gesta sunt, tam turpiter depravare.* Contigerunt haec anno 1395. Verum vix inter haec quinquennii intercapedine posita, anno nempe 1400. idem Bonifacius IX. perpetuis invidentium latratibus defatigatus, pristinum translationis propositum executioni mandare statuit; quamobrem Onuphrius tempori cedens, ab Episcopali munere se omnino abdicavit, atque inter suos privatam vitam ducere in S. Spiritus coenobium se recepit. Ibidem pietatis operibus solummodo incumbens, permansit usque ad annum 1403. quo ad meliorem vitam transivit. Praeter nostrates laudant doctissimum Praesulem Claudius Robertus, Michael Pocciantius, Ughellus, Maraccius, Frisius, et alii. Scripta ejus sunt: 1. *Commentaria acuta, et subtilia super primum Sent.* 2. *Super quatuor Evangelistas expositio, lib.* 4. 3. *Expositio in Acta Apost.* 4. *Harmonia Evangelistarum.* 5. *Sermones ad populum, et alia plura.*

Digitized by Google

Fr. Paulus Venetus.

Paulum istum quidam Venetum, quidam vero Utinensem, alii tandem Cretensem existimant. Verum undelibet sit, extra omnem dubitationem est, illum Augustiniana professione Venetum fuisse, nimirum S. Stephani Venetiarum alumnum. Pauci profecto sunt non solum in Augustiniano, verum etiam in toto litterario Orbe huic sapientissimo viro comparandi. Omnes scriptores, non solum nostrates, verum etiam externi praestantissimum Augustinianum Eremitam excelsis praeconiis ad sidera usque extulerunt, aut Doctorem profundissimum, aut acutissimum disputatorem, aut insignem verbi Dei praeconem, aut strenuissimum haeresum debellatorem, aut omnium philosophorum, atque theologorum principem, aut demum omnium liberalium artium in Orbe Monarcham illum appellantes. Verum quaedam ordine, saltem raptim, de illo prosequamur. Itaque Paulus noster adhuc adolescens, in praefato S. Stephani Venetiarum Augustiniano coenobio, Eremitano Ordini nomen dedit. Peracto tirocinio in Italia philosophicis disciplinis operam navavit, in quibus tantum profecit, quantum ipsius opera, et fama testantur. Postea Oxonium missus, ibidem, haud minori profectu, ad theologica studia excellentissimum ingenium aliquandiu versavit. Ex Anglia reversus, Patavium se contulit, duplici nomine, prius nempe ut alumnus, ac deinde ut professor, celebratissimam illius urbis Universitatem honestaturus. Ibidem omnigenae eruditionis vir nedum Philosophiae, ac Theologiae, verum etiam Medicinae lauream promeruit. Deinde tum docendo, tum concionando, tum eruditissi-

Digitized by Google

mos libros evulgando tantum apud omnes nomen sibi comparavit, ut singulae Italiae urbes illum verbi Dei praeconem audire, singulaeque Europae Academiae professorem habere exoptarent. Quamobrem non Patavii solum, verum etiam Lutetiae Parisiorum, Senis, Parmae, Perusiae, Florentiae, atque Bononiae, summa cum omnium admiratione, humanas, divinasque litteras publice docuit, atque omnium expectationem longe superavit. Senis cum degeret, cum quodam Francisco Porcario Senensi haeresiarcha, qui jam non modo patriam, sed totam insuper fere Hetruriam falsis dogmatibus infecerat, acerrimam disputationem iniens, ita illum coram omnibus usquequaque irretitum multo rationum pondere oppressit, ut ad silendum per summam ignominiam adegerit. Quapropter, cum nihilominus adhuc suis erroribus pertinaciter adhaereret, haeresis postea damnatus, infelix Porcarius ignis crematione suae pertinaciae poenam luit. Hujusmodi autem tam amplissimus Pauli nostri de Porcario triumphus sua corona non caruit, nam propterea Venetorum Senatus invictissimum Fidei athletam Patritiorum Ordini aggregavit. Praeterea tanta fuit potentissimae Reipublicae erga Paulum reverentia, ut non solum ipsi, verum etiam caeteris quoque, propter ipsum, Augustinianis Venetiis degentibus Nobilitatis insigne gestandi privilegium concesserit. Narrant insuper aliqui nostrates auctores Paulum nostrum ob eamdem de praefato Porcario relatam victoriam alio quoque a Pontifice privilegio donatum fuisse, utendi scilicet cucullo ex serico villoso. Neque vero Porcarium tantum haeresiarcham devicit, verum alios etiam haereticos, ut scribit doctissimus noster Coriolanus ipsi coaevus, Graecos nimirum, Bohemos, et Fraticellos acriter oppugnavit. Hebraeos item

Digitized by Google

perpetuo exagitavit, atque contra adamantinam cordis ipsorum duritiem librum doctissimum composuit. Alia innumera praeterea opera egregie elaboravit, praesertim philosophica, astronomica, et mathematica, quae vel ideo etiam plurimi aestimanda sunt, quia nimirum primo in Italia post praeli inventionem typis mandata fuerunt. Inter caetera autem aureo, cedroque dignissima ipsius volumina peculiarem quamdam mentionem merentur ejus Logica parva, et Logica magna, quae tanto in pretio habitae fuerunt, ut Patavina Academia apposito decreto illas publice legendas declaraverit, easque omnes illius aetatis emunctioris naris philosophi suis commentariis illustraverint. Tam magnae praestantissimi Augustiniani Doctoris litterariae gloriae accessit etiam integerrimae vitae ornamentum; quapropter ab ipso Summo Pontifice Gregorio XII. quamvis invitus, totius Ordinis Vicarius Generalis anno 1412. renuntiatus fuit, quod tamen onus, ut liberius studiis vacaret, cito deposuit; quamobrem in Generalium catalogo nullimode nominatur. Fuit etiam bis Marchiae Tarvisinae Provincialis, utique obedientia coactus; siquidem litteras caeteroquin magis, quam dignitates appetebat. Anno 1427. ivit Romam, ubi etiam magna pars fuit in causa celebri, quae ibidem pertractata fuit de doctrina, atque vita Divi Bernardini Senensis, quem praeterea eruditissima lucubratione egregie defendit ab iniquissimis invidentium calumniis, qui sanctissimi viri nomen denigrabant, propterea quod dulcissimi Nominis Jesu devotionem promulgaverat. Tandem anno 1428. Venetiis fato concessit, aetate annorum 60, fuitque, ut conjici potest ex Patavino epithaphio, Patavii sepultus. Innumeri sunt meritissimi viri laudatores, inter quos eximius scriptor citatus a Gandolpho haec de

Digitized by Google

illo habet. *Paulus Venetus Erem. D. Augustini, et ipse theologus, et philosophorum princeps, nec non et disputator acerrimus hoc ipso anno in universa Italia nominatissimus habitus est, eo quod cunctos dialecticos, philosophos, et suae aetatis theologos sine controversia superaverit, ac etiam tamquam alter Apollo post se futuros philosophos suae sapientiae lacte nutriverit, etc.* Propterea nobilissima Patavina Academia hoc illi concinnavit praeclarissimum elogium: *Doctor profundissimus, omniumque liberalium artium in Orbe Monarcha.* Inter omnes externos vide praesertim Tiraboschium. Ipsius egregia opera sunt sequentia: 1. *Logica parva, seu Summulae, lib.* 1. 2. *Logica magna, lib.* 1. 3. *Super Universalia Porphyrii, et Artem veterem Arist. lib.* 1. 4. *Super lib. Posteriorum, lib.* 1. 5. *Commentaria in* 8. *lib. Physicorum.* 6. *De compositione Mundi lib.* 1. *qui Astronomiae janua nuncupari potest.* 7. *Expositio super libros de generatione, et corruptione, lib.* 2. 8. *Super lib. de anima lib.* 3. 9. *Summa naturalis Philosophiae, lib.* 6. 10. *Aurea sophismata.* 11. *De quadratura circuli, idest de arte recte argumentandi.* Praefata omnia habentur typis impressa. 12. *De Conceptione B. Mariae Virginis lib.* 1. 13. *De Incarnatione Dei lib.* 1. 14. *De excellentia Verbi Dei lib.* 1. 15. *Summa naturalium.* 16. *De futuris contingentibus.* 17. *Sermones de tempore, lib.* 1. 18. *Sermones de Sanctis, lib.* 1. 19. *Sermones de Quadragesima, lib.* 1. 20. *De notitia Dei lib.* 1. 21. *De condendo Christiano testamento.* 22. *De ortu, et progressu Ord. nostri.* 23. *Super Mag. Sententiarum lib.* 4. 24. *Contra Judaeos lib.* 1. 25. *Super consequentiis Strodii lib.* 1. 26. *Ad compendium redegit doctas Joannis de Ripa in Magistrum Sent. explicationes, etc.*

Digitized by Google

Fr. Petrus Amelius de Brenaco.

Petrus Amelius, seu ut alii scribunt, Amelii de Brenaco Gallus, fuit sacrae Theologiae Doctor valde eruditus. Sub Urbano V. successit Fr. Raymundo de Accone in Sacristae, confessarii, et bibliothecarii Pontificii muneribus. Fuit Episcopus Senogalliensis, ac postea ab Urbano VI, cui erat addictissimus, creatus fuit etiam Archiepiscopus Tarentinus, retenta administratione Ecclesiae Senogalliensis. Fuit etiam Patriarcha Gradensis, ac deinde, hoc Patriarchatu relicto, Alexandrinus, et administrator Ecclesiae Aquensis in Vasconia. Ughellus tamen opinatur Amelium istum nequaquam fuisse Episcopum Senogalliensem, nullamque praeterea mentionem facit de illius Gradensi Patriarchatu. Verum scrupulum omnem Ughello eximunt sapientissimi viri Abbas Mabillon, et socius ejus Germain in tom. 2. *Italici Itineris*, ubi de ipsius Amelii libro, cui titulus *Ordo Romanus*, haec habent: *Ex variis .... ejusdem libri locis constat eum* (auctorem) *esse Petrum Amelii Gallum Electensem, ex Eremita Augustiniano Urbani V. Sacristam, dein Gregorii XI. poenitentiarium, et bibliothecarium, postea Senogalliensem Episcopum, Archiepiscopum Tarentinum, tum Patriarcham Gradensem, et Alexandrinum, atque Ecclesiae Aquensis administratorem.* Hic Amelius ille est Episcopus Tarentinus, qui uti refert Bzovius ad annum 1387. primus omnium in oratione funebri Urbani VI. utpote oculatus testis populo manifestavit celebrem illam B. Petri apparitionem, qua praefatus Pontifex, cum Romam ingredi trepidaret, ad ingrediendum excitatus fuit. Quam apparitionem (quae sequuntur, verba

Digitized by Google

sunt Bzovii) *nec ipse tantum Urbanus, sed cum eo videre plurimi. Sed ille imperavit, ne cuiquam visionem vivente se dicerent. Post ejus obitum Episcopus Tarentinus, qui Urbano a confessionibus fuerat, pro concione publica palam dixit ad populum, se cum Pontifice, et multis aliis tum in ea effigie vidisse B. Petrum in sublimi, qua sculptus adstat ad porticum Basilicae Vaticanae.* Item videtur, ut ex Gavanto putat Herrera, idem Amelius auctor fuisse Officii Inventionis S. Crucis. Tandem vir plane meritissimus, postquam tria praedicta officia sub quatuor Summis Pontificibus Urbano V, Gregorio IX, Urbano VI, et Bonifacio IX. per plures annos accurate functus fuisset, naturae concessit circa initium anni 1404. Scripsit varia, ex quibus haec tantum, quae sequuntur, citat noster Gandolphus, nempe: *Itinerarium Gregorii XI. Avenione Romam, atque Roma Anagniam, inceptum anno* 1376. 13. *Septembris.* Hoc Itinerarium edidit Papirius Massonus in vita dicti Gregorii, Ciacconius, et Bzovius in eadem vita, et Franciscus Duchesne in 2. tom. de Card. Gallis. Hi omnes commendant diligentiam nostri Petri in hoc Itinerario conficiendo. 2. *Laudatum Ordinem Romanum editum apud praefatum opus Mabillonii.*

Fr. Petrus de Vena.

Petrus de Vena Gallus, Tolosae natus, sacrae Theologiae Doctor, sacrorum Canonum, Philosophiae, Theologiae, atque Historiae scientia maxime enituit. Is postquam suae Aquiantiae provinciam, immo totum Ordinem ultra

Digitized by Google

montes moderatus fuisset, anno 1412. Romae sufficitur Generali Nicolao de Cascia a Joanne XXIII. ad Recinetensem infulam designato. Anno 1414. cum quinque Episcopis, ac pluribus aliis theologis Augustinianis interfuit Concilio Constantiensi, in eoque, uti scribunt iisdem fere verbis nostrates Elssius, et Gandolphus, doctrinae, pietatis, maximique ingenii vestigia reliquit. Anno 1415. in Capitulo Avenione celebrato, licet absens, (nam a praefato Concilio, ubi ipsius praesentia valde utilis erat, discedere ipsi non licuerat) in officio tamen confirmatur. Tandem 7. annorum regimine egregie perfunctus, anno 1419. onus deposuit, iturus illuc, quo priores abierunt. Laudatur a nostris, atque ab externis Bertrando, Possevino, Frisio, et aliis. Scripsit: 1. *De origine Ordinis nostri, imp.* 2. *Super Ethicam Arist. lib.* 10. 3. *Quodlibeta Tolosana*, *lib.* 1. 4. *Expositionem Decretalium*, *lib.* 1. 5. *De perfectione hominis lib.* 1. 5. *De Quadruplici instinctu lib.* 1, *et alia*.

B. Philippus de Agazzariis Senensis.

Beatus Philippus filius cujusdam Senensis Equitis Leonardi de Agazzariis, utroque invito parente, memor Evangelici effati: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem . . . . . non potest meus esse discipulus*, postrema die anni 1353. in patrio S. Augustini coenobio primum juventutis suae florem Domino obtulit. Postea Ilicetum transiit, atque ibidem propter insignem pietatem, atque irreprehensibilem vitae rationem Priori B. Nicolao

Tinio acceptissimus fuit. Otii perpetuus inimicus, nunquam opere vacuus reperiebatur; nam quidquid ipsi a consuetis, iisque fere assiduis pietatis operibus temporis vacabat, illud jugiter fratrum usui utilibus libris transcribendis impendebat. In hoc autem adeo fuit laboriosus, ut singulorum fratrum cellas suis manuscriptis instruxerit. Cum esset Iliceti Prior, P. Stephani Cionii consilia sequens, ad Canonicorum Regularium formam Ilicetanum coenobium redegit; at postea erratum agnoscens, ad pristinum Institutum rediit, Cionio interea, et quatuor aliis inceptam Scopetinorum institutionem prosequentibus, ut superius jam notavimus ubi de B. Andrea Regulino sermonem fecimus. Post reditum ita suis eximiis virtutibus totius Ordinis existimationem, atque benevolentiam recuperavit, ut tandem B. Augustinus Romanus Supremus Ordinis Moderator Ilicetanae Congregationi propter ipsum antiqua privilegia restituerit, eumque praeterea perpetuum tam Iliceti Priorem, quam Ilicetanae Congregationis Vicarium constituerit. Annorum pondere jam gravari incipiens, singula haec officia dimittere voluit; at praefatus Reverendissimus Generalis illum Prioratu duntaxat deoneravit. Itaque obiit Vicarius anno 1422. talem sanctitatis opinionem post se relinquens, ut beati nomen obtinuerit. Vide nostrates auctores.

Fr. Robertus Waldebius.

Robertus Waldebius Anglus, ex Britanniae littore in Galliam appulsus, Tolosae divinis litteris operam navavit, in quibus ita profecit, ut illius Universitatis sacrae

Digitized by Google

theologiae Doctor, atque Professor creatus fuerit. Theologicae doctrinae multam insuper conjungebat linguarum peritiam, miramque eloquentiam; quapropter, ut scribit conterraneus meus Gandolphus, habebatur ab omnibus tamquam primas literatorum, atque concionatorum princeps. Quoniam autem florebat etiam spectatissima quadam vitae ratione, idcirco anno 1388. ad Adurensem in Vasconia Episcopalem Cathedram promotus fuit. Inde anno 1390. translatus fuit ad Archiepiscopatum Dublinensem in Hibernia, ubi etiam sub Richardo II. Angliae Rege totius Regni (Hiberniae) Cancellarium egit. Postea vero, anno scilicet 1395, Dublinensem infulam pro Cicestriensi in Anglia reliquit, et hanc quoque anno 1796. cum Eboracensi tandem commutavit. Hanc Metropolitanam Sedem parum tenuit, nam anno sequenti 1397, ut affirmant Varaeus, et Pitsaeus, ex hac vita migravit. Laudabilem de illo mentionem faciunt omnes nostrates, quibus accedunt Thomas Colbius, Nicolaus Harpsfeldius, Thomas Walsinghamus, Claudius Robertus, Possevinus, Frisius, aliique externi. Scripsit multa egregia volumina, partim Anglico, partim Latino sermone, quae sunt nimirum: 1. *Expositiones morales in Symbolum Apostolorum*, *lib.* 1. 2. *Homiliae quinque super quinque verba Salutationis Angelicae*, *lib.* 1. 3. *In Orationem Dominicam lib.* 1. 4. *Sermonum* 12. *lib.* 1. 5. *De Sacramento Eucharistiae lib.* 1. 6. *Lecturae sacrarum Scripturarum*, *lib.* 1. 7. *Contra septem peccata mortalia lib.* 1. 8. *Super Mag. Sent lib.* 4. 9. *Lecturae theologicae*, *lib.* 1. 10. *Sermonum ad Clerum lib.* 1. 11. *Sermonum ad populum lib.* 1. 12. *Quaestiones ordinariae*, *lib.* 1. 13. *Itinerarium salutis*, *lib.* 1. 14. *Placita theologica*, *lib.* 1. 15. *Determinationes Oxonienses*, *lib.* 1.

Digitized by Google

16. *Quodlibeta varia, lib.* 1. 17. *Contra Wiclephitas lib.* 1. Haec eadem opera attribuuntur etiam ipsius germano fratri Joanni Waldebio, de quo jam superius pag. 320. sermonem fecimus. Utrius sunt? Alterutrius certe; tu vero inter utrumque divide.

Fr. Rodulphus Marhamus.

Rodulphus Marhamus Anglus, in coenobio Linnensi Comitatus Norfolciensis Eremitanum Institutum suscepit. Is duplici praeconio doctrinae, et probitatis a scriptoribus commendatur. Cantabrigii studia est prosecutus, evasitque Cantabrigiensis sacrae Theologiae Doctor, non solum intra, verum etiam extra magnam Britanniam valde famosus. Deinde vero scholasticarum concertationum castris relictis, per amoeniores Historiae campos versari coepit, ex quibus adhuc uberiorem percepit honorum segetem. Nam, ut iisdem verbis scribit Elssius, ex praestantissimis auctoribus collegit opus insigne, in quo describit ab origine Mundi usque ad suum tempus praecipuorum Regum, et Regnorum exordia, progressus, incrementa, decrementa, mutationes, ruinas variarum gentium, diversos mores, ritus, consuetudines, atque nihil pene omisit eorum, quae posteris servire possent ad exempla virtutum, quae sequi, seu vitiorum, quae fugere debeant. Opus istud vocavit *Manipulum Chronicorum*. Scripsit etiam librum unum concionum ad populum, et alia quaedam. Ex nostris laudant illum Herrera, Thomas Gratianus, Pamphilus, Crusenius, Torellius, Elssius, et alii; de externis Pitsaeus.

Digitized by Google

V. Simon de Cremona.

Venerabilem Simonem de Cremona quidam putant institutorem fuisse Neapolitanae S. Joannis de Carbonaria Congregationis. At nos potiori jure putamus hunc honorem deferendum esse B. Christiano de Pedemontio, de quo jam alibi sermonem fecimus. Fuit autem Cremonensis iste, ut iisdem fere verbis testantur nostrates Elssius, et Gandolphus, vir in divinis Scripturis valde eruditus, et liberalium artium egregie doctus, ingenio praestans, et clarus eloquio, nec non in sermonibus ad populum habendis declamator insignis. Multos annos Apostolicum munus Venetiis exercuit, multumque ibidem conversionum fructum reportavit; siquidem mirificam quamdam eloquentiam efficacioribus bonorum operum exemplis summopere commendabat. Ut autem non solum coaevis, verum etiam posteris sua facundia prodesset, praedicatores cunctos utilibus concionum libris affatim instruxit. Magna florebat apud Ordinem gratia, et auctoritate; quapropter varias interdum conspicuas dignitates obtinuit. Nam anno 1385. erat Insubriae Provincialis, et anno 1387. Regens S. Augustini Genuensis, et Visitator Generalis conventus Savonensis, adeptus postea, nimirum anno 1388. a Generali Bartholomaeo de Venetiis facultatem constituendi Priorem, et Lectores in praefato Januensi coenobio. Genua anno 1390. Patavium proficiscitur, ubi paullo post, ut putat Pamphilus, discessit e vita. Tantae extitit pietatis, ut venerabilis nomen obtinuerit. Laudibus exornant hunc Simonem Ludovicus Cavitellius, Trithemius, Possevinus, Gesnerus, Frisius, Marraccius, Petrus de Alva, aliique externi cum

Digitized by Google

omnibus nostratibus. Opera ejus sunt: 1. *Postillae*, *seu sermones super Epistolas Dominicales*, *tomus magnus imp.* 2. *Collationes mortuorum in Evangelia*, *et Epistolas totius anni*. 3. *Quadragesimale*. 4. *Sermones in Festis totius anni*. 5. *Expositiones*, *seu quaestiones super Sent. Mag.* 6. *Quaestiones de Sanguine Christi*. 7. *Quaestiones de Indulgentiis Portiunculae*, *tom.* 1. 8. *Harmonia in Evangelia*, *lib.* 1. 9. *Super Epist. D. Pauli*, *tom.* 1. 10. *Libri Sanctorum*, *quibus additae sunt Constitutiones Clementis V*, *tom.* 1. *et alia plura*.

V. Thomas de Argentina.

Venerabilis Thomas de Argentina Germanus, sacrae Theologiae Doctor, vir fuit integerrima vitae ratione, acutissimi ingenii praestantia, summaeque doctrinae laude longe clarissimus. Postquam per omnes scientiarum gradus ad sapientiae fastigium pervenisset, in multis Academiis, ac praesertim Parisiensi ingenti omnium plausu publice Theologiam docuit, cum ob vastissimam eruditionem, tum ob eximiam pietatem omnibus ubique acceptissimus. Quantae penes nostrates auctoritatis fuerit, vel ex hoc patet, quod in quatuor Capitulis generalibus, Lutetiae nempe, Papiae, Basileae, atque Perusiae totius Ordinis Moderator sit renuntiatus. Hoc diuturno 12. annorum regimine multimodis Augustinianae Reipublicae profuit. Nam Constitutiones ampliavit, perutilia decreta edidit, coenobia aedificavit, multaque a Romanis Pontificibus, qui excellentissimas ipsius mentis, animique virtutes optime per-

Digitized by Google

spectas habebant, privilegia, gratias, exemptiones, atque indulta Ordini obtinuit. Item cunctis fratribus salutaria monita, atque hortamenta praebuit, ut servarent Ecclesiae unitatem, et sibi etiam, atque etiam praecaverent a fermento Fraticellorum, atque a legendis Guilelmi Ochami scriptis, eo quod vir caeteroquin doctissimus parti adhaeserit Petri de Corbaria, qui Ludovici Bavari armis fretus Pontificatum contra Joannem XXII. schismatica impudentia occupaverat. Anno 1349. Avenione rediens, amplissimis honoribus a nostraté Episcopo B. Gerardo Bergomensi, atque ab omnibus tam civibus, quam Proceribus Savonae cumulatus fuit; quapropter Savonenses admisit ad totius Religionis spiritualium bonorum participationem, eisque promisit illos se commendaturum Carolo Regi Bohemiae, circa idem tempus Romanorum electo Imperatori, apud quem plurimum gratia, et amicitia valebat. At magis libet Augustiniani hominis elogia alieno calamo describere. Itaque primo Pallas Spangel Theologiae Professor Haidelbergensis qui primus edidit illius opus super Sent. haec de eximio Argentinensi pronunciavit: *Est hic Doctor subtilis, clarus, sanae dotrinae, resolutus, et in materia quantumlibet alta mediocribus etiam ingeniis satis accommodatus, magnus in artibus, in Theologia maximus, quem totus Ordo Augustinensium amore prosequitur.* Deinde celebris Franciscus Macedo in Concentu Euchologico haec de eodem affirmavit: *Aureus hic Doctor argenteam suam doctrinam Aurelii Augustini sententiis inauravit.* Tandem, ne plura aliorum verba exscribam, Eysengrenius in Catalogo testium veritatis vocat illum: *Virum Apostolicae vitae.* Praeterea laudant acutissimum Doctorem cum nostratibus Schedelius, Claudius Robertus, Trithemius, atque ut caeteros prae-

Digitized by Google

termittam, Joannes Ludovicus Schonleben Cathed. Labacensis Decanus, qui in suo libro *Orbis universi votorum pro definitione piae, et verae sententiae de Immaculata Conceptione* affirmavit illum inter theologos Universitatis Viennensis primum fuisse, qui Immaculatam Conceptionem propugnavit. Obiit autem vir amplissimus Viennae in Austria anno 1357., fuitque in eodem tumulo cum B. Gregorio Ariminensi sepultus. Ob singularem pietatem venerabilis titulum promeruit. Opera ejus sunt. 1. *Commentaria in Mag. Sent. lib.* 4. *imp.* 2. *Quaestionum de sacra Scriptura solutiones.* 3. *Sermonum lib.* 1. 4. *Meditationum lib.* 1. 5. *Epistolarum lib.* 1. 6. *Constitutiones Ordinis in compendium redegit, illustravit, et auxit ubi oportebat, et alia multa composuit opera utilia.*

Fr. Thomas Winterburnus.

Thomas Winterburnus, alias Winterton, natione Anglus, patria Lincolniensis, adhuc adolescentulus Eremitano Ordini nomen dedit. Hunc Pitsaeus, Balaeus, et Bzovius propter eminentem scientiam excelsis praeconiis ad sidera usque extollunt. Nam revera adeo in sacris, profanisque litteris mirum profectum fecit, ut non solum Oxoniensem doctoralem lauream obtinuerit, verum etiam inter primarios recenseri meruerit totius Angliae viros eruditione conspicuos, atque ingentem doctrinae famam tum apud suos, tum apud exteras quoque nationes sibi comparaverit. Praeterea fuit, ut notat Elssius, elegans concionator, haeresum hostis infensus, nec non divinae gloriae fervi-

Digitized by Google

dus amator. Cum Joanne Wiclepho communia studia habuit, eamdemque institutionem, ac parem aetatem; quapropter jam inde ab adolescentia arctissimam cum illo amicitiam inierat, atque necessitudinem. Verum ubi ambo ad majorem aetatem creverunt, segregatus fuit agnus a lupo. Nam ubi primum animadvertit Thomas amicum haeretica febri insanientem, illum statim ad saniorem mentem revocare omni studio sategit; ast cum filio Belial operam, oleumque perdens, veterem amicitiam continuo in acerrimum bellum convertit, quippe qui probe sciebat, nemini propter Deum, nec ipsis amicis, parcendum. Itaque adversus recentium novatorum antesignanum Winterburnus noster acutissimum calamum strinxit, atque eruditis exaratis lucubrationibus a mendacissimis ejusdem commentis Catholicam Fidem egregie defendit. Florebat circa annum 1393. Praeter allatos externos scriptores vide nostrates Herreram, Gratianum, Cruseniun, Torellium, Elssium, et alios. Opera ejus sunt: 1. *Super Eucharistiae assertione lib.* 1. 2. *Contra Confessionem Wiclephi lib.* 1. 3. *Disputationum theolog. lib.* 1. 4. *Sermonum per annum lib.* 1, *et alia.*

Fr. Ugolinus Malabranca.

Ugolinus Malabranca Urbevetanus praecipuum quemdam locum obtinet inter Augustinianos doctissimos. Hunc quidam anno 1290. assignant, alii autem verius anno 1374. Quamobrem ex hac temporis discrepantia aliqui binos Malabrancas Urbevetanos clarissimos Augustiniano Ordini attribuunt. Nos autem e contra recentiorem tantum

Digitized by Google

laudantes, antiquiorem aliis, sicubi certo illum extitisse putent, laudandum relinquimus. Itaque in primis Ugolinus noster, cum magna tum ingenii, tum doctrinae laude inter primarios suae aetatis theologos maxime floreret, nostrati B. Gregorio de Arimino in Cathedra Parisiensi successit, in qua profecto talem se ostendit, qualem decebat esse tanti Magistri successorem. Hanc vero tam sublimem ipsius theologicam gloriam insuper aperte testatur tum a scriptoribus illi donatum acutissimi Doctoris nomen, tum etiam, et quidem potissimum, excellentium librorum editio, atque ipsius inter novem celeberrimi Bononiensis theologorum Collegii fundatores, in quorum numero fuit etiam Emus noster Baduarius, ab Innocentio Sexto facta adnumeratio. Anno 1364. ab Urbevetano Capitulo electus fuit patriae Episcopus, sed Pontifex electionem minime approbavit, quia eamdem Sedem jam alteri designaverat. Verum paullo post, nempe anno 1368. Avenione renuntiatur totius Ordinis Generalis, et 1370. ab Urbano V. creatur Episcopus Ariminensis, et Patriarcha Constantinopolitanus. Non semper tamen in sua Cathedra resedit, quippe quod a Summis Pontificibus magnae prudentiae vir pro gravibus negotiis expediendis saepe saepius adhibebatur. Quapropter anno 1374. a Gregorio XI. Lutetiam missus, cum inde Romam reverteretur, Aculae non ita procul a patria, quam non quaerebat, mortem invenit. Corpus ejus Urbeveterem translatum, apud nostrates sepultum fuit. Commendant Urbevetanum praestantissimum Sabellicus, Ciacconius, Arthmannus Schedel, Volaterranus, Eysengrenius, qui illum vocat S. Ugolinum, Adimarius, Marraccius, Trithemius, Possevinus, Tiraboschius, aliique permulti externi scriptores. Ex nostris autem praecipue adeundus amplissi-

Digitized by Google

mus Ordinis Generalis Ambrosius Coriolanus, qui hunc Ugolinum ita ferme describit, quod nempe fuerit disputator acerrimus, ac in divinis Scripturis longo studio exercitatus, satis eruditus, ingenio subtilis, moribus, et vita spectabilis, acutissimus in sententiis, breviloquus, distinctus, accuratus in dicendo, communia relinquens, ac singularia excogitans. Opera viri eruditissimi sunt: 1. *Comment. in quatuor lib. Sent.* Quod opus a V. Alphonso de Orosco, et Coriolano vocatur altum, solemne, ac in magno pretio habendum. Ex hoc, teste Torellio, cujusdam valde conspicuae Religionis ipsi coaevus theologus, quem fraternae caritatis gratia nominare noluit, majorem suae Theologiae partem consarcinavit, sicque apparuit scriptor eximius, qui non fuit nisi perinsignis expilator. 2. *Quaestiones super octo lib. Physicorum Arist.* 3. *Quaestiones super Praedicamenta, et Perhiermenias ejusdem, lib.* 2. 4. *De Idiomatum differentia lib.* 2. 5. *De Deo trino, et uno lib.* 1. 6. *Quodlibeta multa, lib.* 2. 7. *Sermonum de tempore lib.* 1. 8. *Sermonum de Sanctis lib.* 1. 9. *Comment. in Boaetium de Consolatione Philosophiae.* 10. *De principiis Ordinis.* 11. *De sacris disciplinis, et alia.*

B. Ugolinus Zephirinus.

Antiquissima, aeque ac nobilissima Zephirinorum progenies quondam Romana fuit, utpote quae propter Christianam Fidem Paganorum tempore Roma exulare coacta, in Hetruriam prope Cortonam se receperat, ubi postea decursu temporis Farneti Comitatum obtinuit. Hoc au-

Digitized by Google

tem oppido, tunc cum Ghibellinorum, Guelphorumque dissidia Italiam Italicis armis vastabant, funditus everso, Cortonam incolere coepit, in qua nimirum civitate anno 1320. Ugolinus noster primam diei lucem aspexit. Parentibus adhuc puerulus orbatus, a germano fratre Angelo in tutelam accipitur. Verum cum quidam Raynerus Casalius Zephirinis infensus Cortonae dominaretur, Angelus cum Ugolino, paterna domo, et patria relictis, ad veterem patris amicum Ludovicum Gonzagam Mantuam se contulerunt. Ibidem Ugolinus, quippe qui juvenis erat valde pietati addictus, Augustinianorum Ecclesiam frequentando, Augustiniani Instituti amore captus fuit. Quamobrem, ipso Angelo fratre postulante, in S. Agnetis coenobio ad Eremitanum habitum summo gaudio praegestiens a nostratibus admittitur. Tunicam itaque Augustinianam indutus, adeo coelestem quamdam vitam instituit, ut hominem prorsus exutus fuisse videretur. Nam nihil aliud singulis diebus agebat, quam aut orationibus fundendis, aut coelestibus meditandis, aut corpori in servitutem redigendo, aut Dominicae Passionis mysteriis contemplandis, aut aliis id genus pietatis officiis exercendis jugiter operam dabat. Quoniam autem ab otio summopere abhorrebat, nunquam opere vacuus reperiebatur; quia solitudinem deperibat, nunquam fere extra septa monasterii egrediebatur; quippe demum Deo psallere praegestiebat, chorum primus omnium semper adibat, indeque postea ultimus recedebat. Casalio tandem ad orcum profecto, Bartholomaeus filius, et successor ad domuitionem Zephirinos invitavit. Rediit itaque Cortonam una cum fratre Ugolinus, patriam quoque suae sanctitatis radiis illustraturus, atque ibidem bona cum Superiorum venia in nostratum coenobio sedem sibi delegit.

Digitized by Google

Verum cum suarum virtutum splendore undique coruscante, Cortonenses cives magna benevolentia, summaque veneratione illum prosequi coepissent, vir humilitatis quam popularis aurae cupidior, ut humanarum laudum lenocium devitaret, ab hominum consortio sibi recedendum putavit. Quamobrem ad quoddam S. Onuphrii Augustinianum eremitorium, non ita procul a Cortonensi civitate situm, se hominum conspectui proripere contendit, ut dignior Dei evaderet obtutu. Ibidem Ugolinus solus cum Deo aliquandiu commoratus, multorum beneficiorum copiam, multarumque arcanarum rerum revelationem per Deiparam obtinuisse fertur. Tandem superiorum jussu Cortonam revertitur, ibique circa annum 1370. piissimam mortem oppetens, fructum percepit laborum suorum, beatam scilicet perennitatem. Ipsius corpus ante Zephirinorum Sacellum sub nuda humo 30. circiter annos jacuit; at postea liliorum indicio conquisitum, integrum vegetumque repertum fuit, atque ad honestiorem locum translatum. Nam cum quadam die in praefato loco venustissimum quoddam lilium inter medios strati lateres exortum apparuisset, illud incautus janitor temere convellit. Verum quid tum? Sequenti nocte piissimam quamdam mulierem oculis captam B. Ugolinus in somnis admonuit, ut primo diluculo se ad ipsius sepulcrum ab aliquo duci curaret, ibique aliud itidem exortum lilium palpando quaereret, atque arreptum sua manu eradicaret, tali nimirum avulsione lucis hilaritatem recuperatura. Fecit admussim mulier quod monita fuerat, atque extemplo, juxta Ugolini praedictum, visum recepit. Quibus signis exciti Cortonenses, sine mora sacrum Ugolini corpus e terra effodientes, in sinistro ejus latere radicis liliorum sedem invenerunt, quo indigitabatur angelica

Digitized by Google

ipsius mentis, corporisque virginitas, quam perpetuo integram, inviolatamque servavit. Propter haec, aliaque permulta praeclara miracula inter Sanctos Cortonae Patronos adnumeratus fuit, atque publico religioso cultu ab immemorabili honoratus, quem tandem cultum Pius Septimus Apostolica auctoritate communivit. Vide nostrates auctores, et Ordinis Breviarium.

APPENDIX.

Fr. Bernardus de Rossergio.

Bernardus de Rossergio Gallus, Tolosae natus, vir fuit multiplici doctrina quam qui maxime clarus. In patria Universitate per annos circiter viginti utramque Jurisprudentiam professus fuit. Deinde Romam se contulit, ubi sub Eugenio IV, et Nicolao V. Referendarium Apostolicum egit, atque plures coram Pontifice, et Cardinalium Collegio orationes habuit. Tandem ex Canonico Regulari fit Eremita Augustinianus, ut testatur Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, licet non desint qui illius Eremitanam professionem inficientur. Verum haud multo tempore inter nostrates commoratus fuit; nam paullo post evasit prius Episcopus Vasatensis, ac Montalbanensis in Gallia, ac postremo, anno scilicet 1452. Archiepiscopus Tolosanus. Memorant illum cum laude Sammarthani, Nicolaus Bertrandus, praefatus Robertus, Frisius, aliique externi, quibus ex nostris accedunt Herrera, Torellius, Elssius, Gandolphus,

Digitized by Google

et alii. Scripta ejus sunt: 1. *Tractatus de Cardinalibus S. R. E. imp.* Hunc tractatum Hieronymus Manfredus Jurisconsultus Ferrariensis sibi falso attribuit, uti testatur Emus Card. Franciscus Maria Brancaccius. 2. *Super Pentatheucum lib.* 1. 3. *In Cantica Canticorum lib.* 1. 4. *In Apocalypsim lib.* 1. 5. *In Acta Apost. lib.* 1. 6. *De orationibus quotidianis lib.* 1. 7. *In Stomathaeum tragicum lib.* 1. 8. *Sermonum de tempore lib.* 1. 9. *Sermonum de Sanctis lib.* 1. 10. *Agoranium de sacro principatu, lib.* 1. 11. *De schismatibus extirpandis lib.* 1. 12. *Viridarium rosetum, lib.* 1. 13. *Super Sentent. lib.* 4. 14. *Promptuarium Ecclesiae Catholicae, lib.* 1. 15. *De Conciliis generalibus lib.* 1. *et alia permulta.*

Fr. Henricus de Langestain, alias de Hassia.

Henricus de Langestain, vulgo de Hassia nuncupatus, antequam Eremitanum Ordinem amplecteretur, teste Pamphilo, erat Canonicus Ecclesiae Wormatiensis in Germania. Praestantissimus vir perpaucos sua aetate sibi ingenio aequales habens, in Gallia studiis operam dedit, evasitque sacrae Theologiae Parisiensis Doctor valde famosus, quippe qui plurima tum humanarum, tum divinarum scientiarum copia ornatus praefulgebat, adeo ut inter celebriores ejus aevi Doctores jure meritoque recenseretur. Ejus amplissimam doctrinam eruditissimi quique, ac praesertim Picus Mirandulanus, et Joannes Eckius mirati sunt. Reversus in Germaniam, Viennensis Academiae fuit professor, rector, atque instaurator. Inter caetera praeclarissima ipsius merita hoc potissimum est celebrandum, quod nempe Im-

Digitized by Google

maculatam Deiparae Conceptionem in suis lucubrationibus egregie propugnarit. Narrant praeterea de illo scriptores tanta in dicendo, aut scribendo ubertate praeditum fuisse, ut tamquam alteri Demostheni, non quid orationi adderet, sed e contra quid demeret, ipsi semper cogitandum foret. Obiit autem vir, ut illum vocat Ferdinandus de Salazar, sanctitate nobilis Viennae in Austria anno 1397. aetatis suae 72. Quidam Augustinianum fuisse negantes, illum Clericum Saecularem affirmant; attamen hoc nihil profecto officit posteriori ipsius Eremitanae professioni, quam aperte astruunt praeter nostrates Possevinus, Marraccius, Ludovicus Jacob a S. Carolo Carmelita, Georgius Draudius, Theodorus Petrejus, aliique externi. Hae autem sunt luci- diores coruscationes, quas (ita enim a scriptoribus appellatus fuit) hoc magnum Viennensis Ecclesiae luminare in Mundum emisit, nimirum: 1. *De Immaculata Beatissimae Virginis Conceptione.* 2. *Speculum animae, lib.* 1. 3. *De spiritibus, eorumque discretione lib.* 1. 4. *Super Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam.* 5. *Consilium pacis de unione, et reformatione Ecclesiae in Concilio universali quaerenda.* 6. *Regulae discernendi peccatum mortale a veniali.* 7. *De animae conditionibus soliloquium.* 8. *Sacerdotum secreta circa Missam.* Haec omnia sunt impressa. Praeterea scripsit quamplurima alia, quae praelum non cognoverunt.

Digitized by Google

Fr. Joannes Lidgatus.

Joannes Lidgatus, seu prout alii scribunt, Lydgate Anglus, in oppido Lidgat Comitatus Suffolciensis primas vitales auras hausit. Postquam multam scientiarum supellectilem in patria sibi instruxisset, ut eam cumulatiorem adhuc efficeret, ad exteras nationes navigare statuit. Itaque primum Parisiensem in Gallia, ac deinde Patavinam in Italia Academias frequentavit, utrobique sedulam notionum suarum thesauro augendo operam navans, atque utriusque gentis linguis, moribus, institutisque addiscendis alacriter incumbens. Postea in Angliam doctior, quam abierat, regreditur, ibique ludum docendi aperuit, Procerumque ephebos humanioribus litteris erudire coepit. Nihil magis in votis habebat, quam ut Angliae pubem bonis artibus, ingenuis moribus, atque praeclaris virtutibus institueret; quapropter graviorum disciplinarum, quibus impense imbutus erat, cultu praetermisso, amoenioris minervae obsequio se totum mancipavit. Ex quo factum fuit, ut ex insigni theologo, egregio philosopho, atque pernavo mathematico evaserit etiam elegans poeta, atque rhetor eximius. Multum etiam (ita fere Elssius) ornatus patriae linguae contulit, imitatus in hoc Chaucerium. Nam propterea Dantem Italum, Alanum Gallum, aliosque ejusdem furfuris auctores studiose legit, accurateque ad Anglicum sermonem transtulit, huc omnes industriae nervos intendens, ut aliarum linguarum elegantias, atque venustates ad ditandum patrium idioma assumeret, atque accommodaret. A quibusdam Augustinianorum, ab aliis autem Benedictinorum Ordini adscribitur. Florebat circa annum 1440. Multa,

Digitized by Google

eaque egregia tum versu, tum soluta oratione scripsit, quae nimirum sunt: 1. *De audienda Missa lib.* 1. 2. *De gaudiis Coelorum lib.* 1. 3. *Vita S. Albani Protomartyris Britanniae, lib.* 1. 4. *Praecepta moralia, lib.* 1. 5. *De Alexandro, et Aristotele lib.* 1. 6. *Dialogus rustici, et avis, lib.* 1. 7. *De equo, bove, et ansere lib.* 1. 8. *Contra judicium temerarium lib.* 1. 9. *De casibus illustrium virorum ab Adamo usque ad Joannem Franciae Regem ab Anglis in Pictavia captum lib.* 9. 10. *De officio Regis lib.* 1. 11. *De arte militari lib.* 1. 12. *Proprietates nationum, lib.* 1. *et alia plurima.*

PRAETERMISSI.

Beatus Agathon Indus, vir sanctissimus, meritis, virtutibus, et vitae innocentia commendatissimus, floruit circa annum 1375. Ita Elssius.

Frater Albertinus de Mantua, doctissimus theologus, et sacrarum litterarum interpres, inter caetera memoratu digna edidit tractatum eruditione refertum de Corpore Christi. Florebat anno 1400. Ita Elssius ex nostro Jacobo Bergomensi.

Frater Albertus Crespus de Papia, sacrae Theologiae Magister admodum doctus, et scriptor egregius, a Generali Gerardo de Arimino anno 1438. adjutorem impetravit propter operum suorum editionem. Antea fuerat Concilii Basileensis Legatus ad Joannem Palaeologum Grae-

Digitized by Google

corum Imperatorem. Obiit Papiae anno 1454. in coenobio S. Mustiolae, cujus erat Vicarius Generalis.

Beatus Albertus de Utino, meritis et miraculis conspicuus florebat circa annum 1443. Ita Elssius ex Pamphilo.

Beatus Ambrosius Florentinus, ob insignem pietatem appellabatur *homo Dei*. Claruit etiam doctrina, et praedicatione. Hujus meminit Poggius Florentinus invectiva 2. in Franciscum Philelphum dicens: *Sequebaris virum doctissimum, et vitae integritate praestantem, Ambrosium Eremitam; te ille monebat, atque erudiebat amice pro sua in omnes benevolentia, atque humanitate. Quandoque molestus rejiciebat insulsitatem tuam. Quid viri sanctissimi, atque humanissimi animum a te reddidit abhorrentem?* In lucem emisit valde utiles sermones Quadragesimales, floruitque circa annum 1456. Ita Elssius.

Frater Ambrosius Placentinus, sacrae Theologiae Magister, multa doctrina clarebat circa annum 1371.

Frater Andreas de Argentina circa annum 1420. composuit annales Bavariae, quos Ludovico Duci dicavit.

Frater Antonius Astensis, theologus insignis, scripsit volumen magnum in libros Sententiarum. Floruit circa annum 1395.

Beatus Antonius de Cora, Prior Coranus, miraculis claruit circa annum 1399

Beatus Antonius de Cornueto florebat circa annum 1449. De hoc ita scribit Coriolanus: *Trigesimus quartus fuit B. Antonius de Cornueto, quem in simplicitate cordis ambulantem plura miracula clarum fecerunt.*

Frater Antonius de S. Flora Senensis, egregius concionator litteris consignavit Quadragesimale, et Dominicale. Floruit anno 1402.

Digitized by Google

Beatus Antonius de Florentia abstinentia, et pietate se clarum reddidit circa annum 1411.

Frater Antonius de Nomis, alias de Marcialla, Hetruscus, suo tempore magnum sibi nomen in Italia comparavit Theologiam in diversis Collegiis profitendo. E libris S. P. Augustini quaedam capita omnem fere divinarum litterarum tractationem continentia in unum collegit, librumque inscripsit: *Flores Doctoris S. P. Augustini.* Variis a Florentina Republica ad Summos Pontifices, et Christianos Principes legationibus honestatus Florentiae obiit anno 1438. Ita Elssius.

Beatus Antonius de Senis fuit exemplar caritatis, praesertim erga infirmos. Florebat anno 1456.

Frater Antonius de Venetiis vir fuit suo aevo ingentis famae, multaeque eruditionis, insignis theologus, atque excellens concionator. A Paulo Veneto, cui erat acceptissimus, sacrae Theologiae Lector creatus fuit anno 1410. Idem Paulus in quadam oratione, quam in laudem ipsius concinnavit, de illo asseruit quod varias Orbis plagas peragrarit, atque adhuc ignota caeteris maria inviserit, tantam propterea apud suos existimationem assecutus, ut illum videntes exclamarent: *Ecce Sacerdos magnus, et membrum solidum urbis Venetiarum.*

Beati Antonius, et Cyrillus de Interamna Augustiniana professione, pietate, atque solitudinis amore vere fratres, ambo simul in S. Magdalenae eremitorio poenitentiae, ac coelestium contemplationi usque ad obitum ita vitae tempus impenderunt, ut post mortem beatorum titulum promeruerint. Ex hoc saeculo transierunt circa annum 1420. Vide Jacobillum.

Frater Bartholomaeus Berti, laicus conversus, immor-

Digitized by Google

tali memoria dignum se reddidit, quia sua opera, ut ait Elssius, diligentia, et obstaculo Ilicetanum coenobium, quod quidam nostrates anno 1408. Ordini subduxerant, eidem recuperavit. Vide pag. 236.

Frater Bartholomaeus Montagnana ponitur a Theodoro Zuingero inter insigniores philosophos, et medicos Patavinos. Florebat anno 1440.

Frater Bartholomaeus de Strada Bononiensis, sacrae Theologiae Magister valde clarus, qui aliquot subtilissima Quodlibeta in lucem emisit, florebat circa annum 1364. Diversus est ab alio Bartholomaeo item Bononiensi, Generalis Bartholomaei de Venetiis socio, qui anno 1398. erat Provincialis Romandiolae, quique litteris consignavit sermones super Epistolas totius anni.

Venerabilis Bartholomaeus Thomai, magnus servus Dei, Prior Romani S. Susannae coenobii, insigni pietate clarebat circa annum 1448.

Frater Bartholomaeus Urbevetanus, theologus, et scriptor celebris magnum nomen in Italia sibi comparavit variis editis suis lucubrationibus circa annum 1419.

Beatus Basilius Laudensis sanctitate, et miraculis clarus anno 1391. Episcopus a Laudensi populo acclamatur, atque a Sede Apostolica confirmatur. Ita Elssius.

Frater Bertrandus Parayte Tolosanus, vir fuit doctrina, ac pietate conspicuus. A Nicolao Bertrando dicitur *totus Catholicus, et totus in Dei amore succensus*. Duodecim annos Tolosanam provinciam gubernavit. Scripsit commentaria in Acta Apost. et in Apocalypsim, aliaque magni pretii volumina. Florebat anno 1370.

Beatus Blasius de Opima circa annum 1379. fundavit monasterium Vallis-Asperae Congregationis Ilicetanae.

Digitized by Google

Frater Boaetius de Tolentino, Ordinis Procurator Generalis, scriptis, et concionibus insignis theologi, et egregii concionatoris nomen per totam Italiam sibi acquisivit. Anno 1426. a Martino V. creatus fuit Archiepiscopus Colossensis.

Venerabilis Caesarius de Ursinis Romanus, vir magnae sanctitatis, et summae perfectionis, clarum se reddidit potissimum propter sapientissimam plurium Monialium conventuum gubernationem. Florebat circa annum 1439.

Frater Christophorus de Bononia, magni nominis theologus florebat circa annum 1419. Varia scripta evulgavit.

Frater Clemens Mercatoris Tolosanus, sacrae Theologiae Doctor, paucis quidem, ait Elssius, sed solidis operibus specimen suae doctrinae reliquit. Scripsit de anima quaestionum librum unum, atque de potentiis ejusdem librum alterum. Insuper commentatus est egregie Magistrum Sententiarum. Florebat anno 1360.

Frater Dionysius Florentinus, in Academia Bononiensi Philosophiae professor, scripsit quaedam commentaria in libros Aristotelis, qui *parva naturalia* nominantur. Claruit anno 1443.

Beatus Dionysius Restanus de Mutina, V. Dionysii Generalis nepos, doctrina, ac pietate patriae Episcopatum promeruit. De hoc dignissimo Antistite haec habet Mutinensis Episcopus Gaspar Sillingardus: *Inter claros Ecclesiae Mutinensis post S. Geminianum Antistites mirum in modum refulsit Dionysius iste, in Ordine Eremitarum S. Augustini Religionem antea professus, quem eximiae pietatis virum fuisse ferunt.* Pie decessit anno 1400.

Digitized by Google

Beatus Dominicus Parisiensis sanctitate floruit circa annum 1400.

Beatus Franciscus de Eugubio, cujus corpus ibidem apud nostrates religiose asservatur, sanctitate floruit circa annum 1450. Ita Ludovicus Jacobillus.

Beatus Franciscus Nannii de Nutis, Nobilis Senensis, unus fuit ex illis Ilicetanis Patribus, qui Eremitarum cucullum Scopetinorum supparo sub duce Stephano Cionio anno 1408. posthabuerunt. At postea ad pristina castra reversus, sanctorum nostratum militum censum auxit. Obdormivit in Domino anno 1451. cum magna opinione sanctitatis, quae illi beati nomen comparavit.

Frater Franciscus Wiellant praeclarum Quadragesimale titulo *Peregrini* praenotatum edidit anno 1453.
Frater Garzia de Heuguj Regum Navarrae historiam scripsit. Fuit Episcopus Bajonensis, obiitque anno 1420.

Venerabilis Garzia Barrosus, Nobilis Toletanus, mortua uxore, in Toletano coenobio Eremitanum Institutum est amplexatus. Vixit postea in sanctis operibus, summaque pietate, praesertim erga Deiparam, usque ad 110. annorum aetatem, obiitque meritis plenior, quam diebus circa annum 1430.

Frater Gratia Castellani, Nobilis Florentinus, celebris sacrae Theologiae Doctor, variis legationibus tum Urbani VI. ad Florentinos, tum Florentinorum ad varios Principes, ac nominatim ad Joannem Galeatium Mediolanensium Ducem honestatus fuit. Scripsit quasdam quaestiones in Magistrum Sententiarum. Florebat autem circa annum 1400.

Frater Gregorius de Alexandria, sacrae Theologiae Magister tantam sibi suis concionibus in suggestu famam

Digitized by Google

Frater Boaetius de Tolentino, Ordinis Procurator Generalis, scriptis, et concionibus insignis theologi, et egregii concionatoris nomen per totam Italiam sibi acquisivit. Anno 1426. a Martino V. creatus fuit Archiepiscopus Colossensis.

Venerabilis Caesarius de Ursinis Romanus, vir magnae sanctitatis, et summae perfectionis, clarum se reddidit potissimum propter sapientissimam plurium Monialium conventuum gubernationem. Florebat circa annum 1439.

Frater Christophorus de Bononia, magni nominis theologus florebat circa annum 1419. Varia scripta evulgavit.

Frater Clemens Mercatoris Tolosanus, sacrae Theologiae Doctor, paucis quidem, ait Elssius, sed solidis operibus specimen suae doctrinae reliquit. Scripsit de anima quaestionum librum unum, atque de potentiis ejusdem librum alterum. Insuper commentatus est egregie Magistrum Sententiarum. Florebat anno 1360.

Frater Dionysius Florentinus, in Academia Bononiensi Philosophiae professor, scripsit quaedam commentaria in libros Aristotelis, qui *parva naturalia* nominantur. Claruit anno 1443.

Beatus Dionysius Restanus de Mutina, V. Dionysii Generalis nepos, doctrina, ac pietate patriae Episcopatum promeruit. De hoc dignissimo Antistite haec habet Mutinensis Episcopus Gaspar Sillingardus: *Inter claros Ecclesiae Mutinensis post S. Geminianum Antistites mirum in modum refulsit Dionysius iste, in Ordine Eremitarum S. Augustini Religionem antea professus, quem eximiae pietatis virum fuisse ferunt.* Pie decessit anno 1400.

Digitized by Google

Beatus Dominicus Parisiensis sanctitate floruit circa annum 1400.

Beatus Franciscus de Eugubio, cujus corpus ibidem apud nostrates religiose asservatur, sanctitate floruit circa annum 1450. Ita Ludovicus Jacobillus.

Beatus Franciscus Nannii de Nutis, Nobilis Senensis, unus fuit ex illis Ilicetanis Patribus, qui Eremitarum cucullum Scopetinorum supparo sub duce Stephano Cionio anno 1408. posthabuerunt. At postea ad pristina castra reversus, sanctorum nostratum militum censum auxit. Obdormivit in Domino anno 1451. cum magna opinione sanctitatis, quae illi beati nomen comparavit.

Frater Franciscus Wiellant praeclarum Quadragesimale titulo *Peregrini* praenotatum edidit anno 1453.

Frater Garzia de Heuguj Regum Navarrae historiam scripsit. Fuit Episcopus Bajonensis, obiitque anno 1420.

Venerabilis Garzia Barrosus, Nobilis Toletanus, mortua uxore, in Toletano coenobio Eremitanum Institutum est amplexatus. Vixit postea in sanctis operibus, summaque pietate, praesertim erga Deiparam, usque ad 110. annorum aetatem, obiitque meritis plenior, quam diebus circa annum 1430.

Frater Gratia Castellani, Nobilis Florentinus, celebris sacrae Theologiae Doctor, variis legationibus tum Urbani VI. ad Florentinos, tum Florentinorum ad varios Principes, ac nominatim ad Joannem Galeatium Mediolanensium Ducem honestatus fuit. Scripsit quasdam quaestiones in Magistrum Sententiarum. Florebat autem circa annum 1400.

Frater Gregorius de Alexandria, sacrae Theologiae Magister tantam sibi suis concionibus in suggestu famam

Digitized by Google

comparavit, ut tamquam alter Paulus ab omnibus haberetur. In Concilio Florentino egregie se gessit disputando contra Graecos, et Armenios. Scripsit sermones Quadragesimales, et in Festa totius anni. Florebat autem circa annum 1447.

Frater Gregorius Illeassius, Sacerdos devotus, ac pius, apud Casimirum Regem Poloniae degens, Regem ipsum, Regnumque locupletavit, nam Deus illi dignatus est detegere ditiores illius regionis fodinas. Floruit circa annum 1388.

Beatus Gregorius Senensis, poenitentia, jejuniis, vigiliis, sanctimonia, et miraculis illustris floruit, juxta Herreram, circa annum 1392.

Frater Guilelmus Ilicetanus Urbani VI. et D. Catharinae Senensis litteris, nuntiisque Romam accersitur, ut in tanto Ecclesiae discrimine summo Pontifici suis consiliis assisteret, sed noluit e solitudine egredi. Floruit anno 1378. Ita Elssius.

Beatus Guilelmus Monchelajus Anglus, regia stirpe ortus, propinquorum atque amicorum tum blanditiis, tum minis fortiter superatis, nostrum Eremitanum Ordinem admodum juvenis est amplexatus, atque in eo talem jugiter vitam duxit, qualem post mortem illustria per ipsum patrata miracula declararunt. Insigni sanctitate floruit circa annum 1360.

Frater Henricus Bituricensis theologus, et concionator insignis edidit sermones Quadragesimales. Floruit anno 1410. Ita Elssius.

Beatus Henricus de Miratorio, Rigus vulgo appellatus, per multos annos ita sub Augustiniano vexillo per rectam perfectionis semitam ambulavit, ut post mortem

Digitized by Google

beati nomen, atque venerationem obtinuerit. Migravit e vita anno 1374.

Frater Henricus Zolter, vir magnae doctrinae, et pietatis, auctor fuit Congregationis Saxoniae. Interfuit Concilio Basileensi.

Frater Hieronymus de Neapoli, Nicolai V. olim praeceptor, cum graecae linguae peritia polleret, multa de graeco idiomate ad latinum transtulit. Scripsit etiam Centurias Ordinis nostri. A Coriolano dicitur: *Philosophiae ac Theologiae suo tempore facile princeps.* A praefato Pontifice Oppidi in Calabria Episcopus inauguratus fuit. Florebat anno 1449.

Frater Hieronymus de Senis vir fuit meritis, ac virtutibus admodum illustris, cum quo propterea S. Catharina Senensis epistolarum commercium habuit. Florebat circa annum 1380.

Beatus Hulricus Brunsvigensis, morum innocentia, pietate, prudentia, atque observantiae zelo conspicuus, floruit circa annum 1360. Plurium coenobiorum egregie Prioratum gessit. Elssius affirmat illum etiam miraculis claruisse.

Beatus Jacobus Amandul. obiit Amandulae anno 1420.

Frater Jacobus Eugubinus, vir scientia, ac vitae probitate insignis, circa annum 1390. patriam, et Religionem decoravit. Ita Elssius. Scripsit eximius iste Augustinianus Magister, cum Theologiam Patavii profiteretur, quosdam tractatus theologicos, et quaestiones in Magistrum Sententiarum.

Frater Jacobus Parvus scripsit de gestis Regni Franciae. Floruit anno 1410. Ita Elssius.

Beatus Joannes Anconitanus, vir magnae perfectionis,

Digitized by Google

abstinentiae, et vitae valde asperae, floruit circa annum 1399. Ita Elssius.

Frater Joannes Argentinensis, vir fuit, teste Trithemio, pietate, Scripturarum notitia, ac praedicationis gloria admodum clarus. Scripsit Chronica, in quibus ostendit quomodo Romanorum Imperium ad Germanos translatum fuerit, et quare illud sit honorandum. Florebat anno 1400.

Frater Joannes Bloch Germanus, Pragae cum degeret, ita magna eloquentia, summaque dexteritate contra Hussitas dimicavit, ut illi furore perciti omnes nostrates de civitate ejecerint, ac coenobium postea igne everterint. Florebat anno 1420. Litteris consignavit quaestiones dignissimas in Magistrum Sententiarum.

Frater Joannes Bromius Anglus, vir fuit pius, et eruditus, atque bonarum litterarum studiis summopere addictus. In suo coenobio Gorlestonii (oppidum Norfolciae) valde pretiosam bibliothecam erexit exquisitissimis libris instructam, in quibus pervolutandis aetatem suam agebat. In hanc bibliothecam quosdam praeclaros collegerat auctores, qui alibi per totam Angliam minime reperiebantur. Scripsit librum unum sermonum, et alia quaedam, praesertim in aliquot suae bibliothecae libros. Florebat circa annum 1440.

Frater Joannes Clivoth de Saxonia, scriptor, ac concionator celeberrimus florebat anno 1395. Scripsit in quatuor libros Sententiarum, et in Acta Apostolorum.

Beatus Joannes de Alarcon Hispanus, quam in Italia didicerat, perfectiorem regularem observantiam in Hispaniam quoque, in Castellae nimirum provinciam, invexit, fuitque celebratissimae Hispanicae Congregationis tum fun-

Digitized by Google

dator, tum etiam primus Vicarius Generalis. Magisterii honorem consequi poterat, at prae humilitate contempsit. Pie decessit anno 1438. odorem sanctitatis post se relinquens.

Frater Joannes de Basilea vir sui aevi tam divinis, quam profanis litteris eruditissimus, non tam doctrinae, quam sanctitatis opinione maxime enituit. Fuit Principibus, atque Episcopis saepe consiliarius in rebus gravissimis. Inter Lotharingicam domum, et Burgundicam pacem composuit, totumque vitae suae tempus Reipublicae Christianae bono impendit. Degebat inter vivos anno 1389. Scripsit commentaria in libros Sententiarum.

Beatus Joannes de Carbonaria unus fuit ex illis, qui hujus nominis Neapolitanam Congregationem inchoarunt. Clarum se reddidit austeritate vitae, et miraculorum patratione circa annum 1399.

Beatus Joannes de Fano a Mahumetanis captus, et lapidibus obrutus fuit anno 1423.

Frater Joannes Kichelejus Anglus, sacrae Theologiae Doctor, pietate, eruditione, ac Catholicae Religionis zelo quammaxime enituit. Quapropter contra Wiclephum, ejusque asseclas scripsit ingens volumen in tres partes distributum de *Potestate Ecclesiae*. Claruit circa annum 1381.

Frater Joannes de Hisdinio, vir sacris, profanisque litteris admodum eruditus, insignis sui temporis concionator, et in Parisiensi Universitate professor, multa edidit praeclara opera, nempe sermones, lecturas, et commentaria in omnes fere libros novi Testamenti, et alia. Florebat anno 1390.

Venerabilis Joannes Gooduuyck Anglus, Oxoniensis Doctor, et professor, doctrina, sanctitate, ac praedicatione Ordinem in tota Anglia illustravit circa annum 1360.

Digitized by Google

Frater Joannes de Mediolano, Doctor omnigena eruditione instructus, posteris reliquit ingens volumen, cui titulus: *Abbreviationes in primum Michaelis de Massa.* Scripsit etiam complura alia praesertim ad Physicam pertinentia. Obiit Mediolani anno 1451.

Beatus Joannes de Tolentino, vir magnae sanctitatis, praesertim propter insignem poenitentiam commendatur. Claruit anno 1389.

Venerabilis Joannes Vander Geest, Nobilis Belga, doctrina, ac sanctitate florebat circa annum 1374. Eodem anno valde pretiosum thesaurum suo Lovaniensi coenobio donavit, Hostiam nimirum visibiliter in carnem conversam, (cum ab impio non jejuno sumeretur) quam Middelburgo Zelandiae Metropoli, quae a Coloniensi Archiepiscopo, cujus ipse erat conscientiae moderator, in spiritualibus pendebat, secum asportaverat. Ejusdem Hostiae divinitus dimidiatae alteram partem Coloniam transtulit.

Venerabilis Joannes Wadingus Hibernus, vir coelestium contemplationi valde addictus, cum magna opinione sanctitatis obiit anno 1390.

Beatus Isaias Lecchius Polonus, Nobilis Cracoviensis circa annum 1434. maxime florebat doctrina, et sanctitate. Dicitur senior ut secernatur ab altero B. Isaia item Cracoviensi, qui post illum Ordinem illustravit.

Venerabilis Laurentius de Verona, insignis concionator, vir magnae sanctitatis, ac multiplicis eruditionis, plures tractatus edidit, ac praesertim commentaria in Timaeum Platonis, sermones de tempore, et de Sanctis. Claruit circa annum 1362.

Beatus Ludovicus de Capua, morum probitate, doctrinae splendore, ac praedicationis gloria conspicuus,

Digitized by Google

dulci sacrarum virtutum violentia, ut ait Elssius, rapuit sibi Regnum Dei circa annum 1400.

Beatus Lupus de Suriano, alias de Monte Cimino, potissimum commendatur ob humilitatis amorem, vitae communis zelum, atque carnis macerationem. Coelestem vitam agebat in terris, juxta Hieronymum Romanum, circa annum 1389.

Beatus Macarius Senensis, relictis patre, matre, uxore, ac liberis, domique opulentia, bona cum uxoris venia, Iliceti Eremitanum Ordinem est amplexatus, ibique ita vixit ut beati nomen promeruerit. Pie obdormivit in Domino circa annum 1444.

Beatus Manfredus de Alenia Germanus, vir profundae humilitatis, et innocentissimae vitae, obiit Senis in Tuscia circa annum 1438. Post ducentos ab humatione annos ejus corpus integrum, ac suavissimum exhalans odorem repertum fuit.

Beatus Matthaeolus de Camerino, misericordia in pauperes, atque aegrorum sollicitudine clarus, insignem vitae sanctitatem miraculis confirmavit. Florebat circa annum 1440.

Frater Nicolaus de Acula, a Foresio diversus, theologus, et concionator clarissimus floruit usque ad annum 1456. Scripsit tractatus de peccato originali, et de Baptismo, sermones de Sanctis, Quadragesimale, et alia.

Beatus Nicolaus de Ceretanis, Nobilis Senensis, Prior Ilicetanus, et Ilicetanae societatis Vicarius Generalis, doctrina, et sanctitate clarus obiit circa annum 1394. Hujus praecipue commendatur singularis devotio erga divinissimum Eucharistiae Sacramentum, et SS. Christi Domini Passionem.

Digitized by Google

Frater Nicolaus de Cremona, sacrae Theologiae Magister, fuit theologus, et orator magni nominis. Interfuit Concilio Basileensi, et scripsit sermones pro praedicatoribus.

Beatus Nicolaus de Cremona, dilectus Deo ob suam probam, et laudabilem vitam, circa annum 1452. sanctitate floruit, et Episcopali dignitate fulsit. Ita Elssius.

Frater Paulinus Ilicetanus, quem S. Catharina Senensis magnum servum Dei appellavit, ab Urbano VI. ut sibi in Ecclesiae necessitatibus praesto esset, Romam vocatus fuit. Florebat circa annum 1380.

Frater Paulus de Verona, theologus, et concionator, scripsit sermones pro festis diebus, et Adventu Domini, nec non volumen contra Judaeos. Florebat anno 1395.

Beatus Petrus Andegavensis, vir magnae obedientiae, sanctimonia, et miraculis splenduit circa annum 1386. Ita Elssius.

Frater Petrus de Balneo, theologus insignis scripsit tractatum de virtutibus, et alium qui *Summa de planctu Ecclesiae* praenotatur. Florebat anno 1395.

Venerabilis Petrus Belli Romanus, magnus servus Dei, atque insignis regularis observantiae in Ordine promotor, sanctitatis gloria fulgebat circa annum 1439.

Frater Petrus de Cremona in lucem emisit sermones praedicabiles. Florebat anno 1386.

Beatus Petrus de Ostia patientia, et humilitate claruit anno 1456. Ita Elssius.

Frater Petrus de Spira Germanus, vir sacris, profanisque litteris admodum eruditus, atque eximius concionator scripsit sermones de tempore, et de Sanctis, commentaria in libros Ethicorum, et alia multa. Anno 1385. Rheni provinciam regebat.

Digitized by Google

Frater Petrus Donatus de Aretio, theologus, et concionator clarissimus edidit valde eruditum Quadragesimale, et varias orationes funebres, in quibus pie, ac docte multa pertractat de arte bene moriendi, ac de coelesti vita. Florebat anno 1389.

Beatus Petrus de Monticiano sanctitate, et virtutibus floruit anno 1430. Ex Elssio.

Frater Petrus Pateshullus Anglus, Oxoniensis Doctor, acutis disputationibus, et doctissimis concionibus se commendatissimum reddidit. Scripsit in Mag. Sententiarum, sermones tum ad Clerum, tum ad populum, postillationes Scripturae, contra haereticos, et alia.

Frater Petrus Robini, Narbonae Provincialis, fuit sanctitate, et doctrina in Gallia celebris. Scripsit sermones ad populum. Florebat circa annum 1419.

Beatus Philippus de Monte-Politiano, ex antiqua familia Vignanesi, circa annum 1359. propter Fidem Christi in Hispania martyrium subiit, ac magnam postea venerationem in loco, ubi necatus fuit, obtinuit.

Frater Raymundus de Alto-Ponte Gallus, sacrae Theologiae Doctor, atque Scripturae in Parisiensi Academia professor, scripsit commentaria in omnes D. Pauli Epistolas. Florebat circa annum 1424.

Beatus Rochus de Porris Mediolanensis suae sanctitatis splendore Ordinem illustrabat circa annum 1449. Peste occubuit in patrio SS. Coronatae coenobio.

Frater Rogerius de S. Victoria scripsit sermones Quadragesimales, Dominicales, et de Sanctis. Florebat anno 1386.

Frater Rogerius de S. Ivone Anglus, theologica, atque philosophica scientia, neonon zelo Dei maxime cla-

Digitized by Google

ruit circa annum 1420. Scripsit contra Lolhardos, et alios sui saeculi haereticos, nec non lecturas scholasticas, et alia.

Frater Rogerius Tuifordus Anglus, ab aliis Goodluck vulgo appellatus, doctrina, ac magis pietate floruit circa annum 1390. Fuit omnibus tum sacris, tum profanis litteris eruditus, eximius concionator, atque egregius Scripturae interpres. Scripsit Itinerarium mentis in Deum, sermones ad populum, et alia.

Beatus Sanctes de Cora, eximius concionator, cum turbae multae, ut eum audirent, illum ad campestria sequerentur, ipse eas exemplo Domini tum spiritualiter, tum corporaliter pascebat, et siquando ipso sub dio praedicante undique plueret, nulla tamen aquae gutta super audientes defluebat. Floruit circa annum 1391.

Frater Simon Baringuedus Tolosanus, Doctor Parisiensis (verba sunt Bertrandi) acerrimus disputator, memoriosus valde, Aegidianae disciplinae defensor, subtilis multum, et copiosus, necnon seraphico Dei amore succensus florebat anno 1373. Scripsit egregia commentaria in Apocalypsim, de Trinitate, de viribus animae, et alia.

Frater Simon de Bononia scriptis, ac virtutibus clarus, edidit admodum insigne opus theologicum, cui titulus: *De novo Mundo.* Commendatur etiam propter magnam rerum agendarum dexteritatem. Vivebat anno 1378.

Frater Simon Tornaquincius, Nobilis Florentinus, sacrae Theologiae Magister, a pueritia in nostro Ordine pie sancteque institutus, cum vitae probitate bonarum artium studia conjunxit, evasitque in primis egregius concionator. Scripsit sermones Quadragesimales eximia doctrina refertos, et vitam S. Matris Monicae ex Confessionibus S. P. Augustini collectam. Obiit Florentiae anno 1429.

Digitized by Google

Frater Simon Southrajus Anglus, Doctor Oxoniensis, pietate, doctrina, divinaeque gloriae zelo in tota Anglia refulsit. Contra Wiclephum lingua, et calamo egregie dimicavit, scripsitque contra hujus haeresiarchae errores librum unum, alterum de Eucharistia, et alia quaedam.

Frater Theodoricus Urias Germanus, egregium librum composuit de *Consolatione Ecclesiae*, postea Argentinae typis impressum. In hoc libro summam collegit historiae Concilii Constantiensis, cui ipsemet magno Ecclesiae bono interfuerat. Florebat circa annum 1419.

Frater Thomas de S. Genesio Picenus, vir admodum doctus, qui in lucem emisit commentaria in quatuor libros Sententiarum, floruit anno 1400.

Frater Thomas de Stureja Anglus, eruditus ipse, et eruditorum virorum amator, modos omnes excogitabat, quibus omnes ad litterarum cultum excitaret. Quamobrem singulis eruditionis utilitates, et emolumenta proponens, multum doctorum numerum auxit. Scripsit moralitates in Apocalypsim, de Sacramentis, declamationes, exceptiones philosophorum, et alia. Florebat anno 1370.

Frater Thomas Eduvarstonus Anglus, Oxoniensis Doctor, vir facundia, atque concionandi gratia admirabilis, magnum nomen tam in cathedra, quam in suggestu sibi comparavit. Ut scribit Pitsaeus, ad quemdam in Hibernia Archiepiscopatum evectus fuit. Scripsit lecturas scholasticas, determinationes theologicas, et sermones multa doctrina, et eloquentia refertos. Decessit anno 1396.

Frater Thomas Radcliffus Anglus, ex nobilissima progenie ortus, ex qua Sussexiae Comites prodierunt, merito doctrinae doctoralem lauream, virtutum autem Episcopalem infulam Lincolniensem obtinuit. Fuit theologus, phi-

Digitized by Google

losophus, atque orator clarissimus, et scripsit in libros Sententiarum, lecturas scholasticas, conciones, et alia. Florebat anno 1370.
Plures invenies apud nostrates auctores.

CATALOGUS PRIORUM GENERALIUM.

Anno 1356. Venerabili Thoma de Argentina e vivis sublato, interim Vicarii nomine B. Gregorius de Arimino Ordinis regimen suscepit, qui postea in Monte-Pessulano anno 1357. a Patribus Generalis electus fuit.

1358. Decessit e vita Gregorius, atque in Capitulo Patavino illi suffectus fuit Matthaeus de Asculo, qui confirmatus fuit Viennae in Austria anno 1362, et Senis in Thuscia 1365.

1368. Mortuo Matthaeo, Avenione in Capitulo generali ad Ordinem regendum Ugolinus Urbevetanus assumitur.

1371. Ugolino ad Ariminensem Episcopalem Cathedram evecto, Florentiae eligitur Generalis Guido de Belloreguardo, qui anno 1374. Coloniae Agrippinae ad aliud triennium confirmatus fuit.

1377. Veronae eligitur B. Bonaventura Baduarius Patavinus, quam electionem Gandolphus assignat anno 1378. Anno insequenti creatus fuit S. R. E. Cardinalis, rexitque postea Ordinem per Vicarios suos Philippum Mantuanum, Nicolaum Amatricensem, et Bartholomaeum Venetum usque ad annum 1385; nam per illam temporis intercapedinem propter notissimum schisma Clementis VII. nullum Capitulum celebratum fuit.

Digitized by Google

1385. Strigonii in Hungaria in officio remansit praefatus Bartholomaeus Venetus. Hic vir pius, sic illum vocat Elssius, ac doctus, nec non zelo Religionis plenus, novam faciem, ut scribit laudatus auctor, Ordini induxit, atque Ilicetanorum familias in formalem Congregationem erexit anno 1387. Item confirmatus fuit Fori Cornelii anno 1388, Herbipoli in Franconia 1391, Arimini 1394, ac tandem Monachii in Bavaria 1397.

1400. Aquilae in Aprutio in locum Bartholomaei vita functi suffectus fuit Nicolaus de Cascia, qui in officio retentus fuit Laughingani in Provincia Sueviae 1403, itemque Tarvisii 1408.

1412. Romae, Nicolao ad Episcopatum Recinetensem evecto, Generalis creatus fuit Petrus de Vena Tolosanus, qui Avenione anno 1415. confirmatus fuit.

1419. Mortuo Petro de Vena, Astae in Pedemontio totius Religionis cura B. Augustino Romano demandatur. In hoc Capitulo statutum fuit, ut quinto duntaxat quoque anno in posterum comitia generalia haberentur.

1425. Bononiae Augustino officium continuatur, itemque in Monte-Pessulano 1430.

1434. Augustino ad Archiepiscopatum Nazarenum assumpto, Mantuae fit Generalis Ven. Gerardus de Arimino, qui jam tribus abhinc annis Vicarii nomine Ordinem gubernabat. Confirmatus fuit Perusiae anno 1439.

1443. Senis in Thuscia Gerardo propter senium abdicanti substituitur Julianus de Semellio Siculus, qui confirmatus fuit Bitterris in provincia Narbonensi 1447, item Ferrariae 1451, ac tandem Avenione 1455.

Digitized by Google

SACRARII PONTIFICII PRAEFECTI.

Anno 1366. Raymundo de Accono successit Petrus Amelius Lemovicensis, qui postea fuit Episcopus Senogalliensis, Archiepiscopus Tarentinus, Patriarcha Gradensis, ac demum Alexandrinus.

1373. Petro Lemovicensi vita functo sufficitur Petrus Apamiensis, qui postea inauguratus fuit Episcopus Montis Faliscorum.

1393. Petro Apamiensi successit Petrus Assalbitus Lemovicensis, Petri Amelii nepos, qui fuit Episcopus primo Olorensis, postea Electensis, ac tandem, juxta Torellium, Apamiensis. Is multos annos sub septem Summis Pontificibus Sacristae, confessarii, et bibliothecarii Apostolici officia exercuit, atque a Martino V. S. Matris Monicae corpus Ordini obtinuit.

1440. Assalbitus senio confectus praefata tria officia dimisit, eaque recepit Rodolphus de Tipherno, atque retinuit usque ad annum 1463. juxta Laurentium Empoli. Fuit Episcopus patriae suae, nimirum Tipherni in Umbria.

CARDINALES, PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI, ET EPISCOPI AUGUSTINIANI SECUNDI SAECULI POST UNIONEM.

Adam Paym Hibernus Episcopus Clonensis 1414.
Aegidius de Bonis Episcopus Vicentinus, et Card. 1361.
Aicardus Episcopus Chisimensis 1366.

Digitized by Google

Aimon de Romagnano, Episcopus Taurini 1411.
Alphonsus Toletanus, Archiepiscopus Hispalensis 1366.
Andreas de Serazonibus, Episcopus Placentiae 1381.
Andreas Mericanus, Episcopus Amerinus 1391.
Angelus Erasmi, Episcopus Equilinus in Istria 1406.
Angelus Scardeonius, Episcopus Tudertinus 1420.
Antonius de Buba, Episcopus patriae in Apulia 1422.
Antonius Columbella, Episcopus Senogalliensis 1447.
Antonius de S. Cantiano, Episcopus Varmensis 1396.
Antonius de Macerata, Episcopus Olonensis 1391.
Antonius de Metis, Archiepiscopus Surrenti 1440.
Arnoldus de Carcasso, Episcopus Bodoviensis 1431.
Augustinus Episcopus Eporediae in Pedemontio 1405.
Augustinus Episcopus Concordiae in Patriarchatu Aquilejae 1389.
Augustinus Episcopus Salobriensis, et Suffrag. Trid. 1363.
Augustinus de Favaronibus, Archiepiscopus Nazarenus 1431.
Augustinus de Balneoregio, Episcopus patriae 1449.
Augustinus Calliensis, Episcopus patriae 1379.
Augustinus Campellus, Episcopus Bovae 1435.
Augustinus de Plumbino, Episcopus Andrevillae 1396.
Bartholomaeus de Alexandria Statelliorum, Episcopus patriae 1405.
Bartholomaeus Bussolarius, Episcopus Insulae Aenariae 1389.
Bartholomaeus de Dorbato, Episcopus Sareptensis 1390.
Bartholomaeus Joannis, Episcopus Trapezuntis 1390.
Bartholomaeus Vanni de Asculo, Episcopus Catari, et postea Calium 1397.
Benedictus Episcopus Suellensis in Sardinia 1387.
Benedictus de Asculo, Episcopus Acerrarum 1389.

Digitized by Google

Bernardus Martellinus de Florentia, Episcopus Caesenae 1443.
Blasius Episc. Capitis Aquei prope Salernum 1388.
Blasius Episcopus Cephaloniae 1389.
B. Bonaventura Patavinus S. R. E. Presbyter Cardinalis 1379.
Boaetius de Tolentino, Archiepiscopus Rhodi 1425.
Bonifacius de Papia, Episcopus Laudis Pompejae 1389.
Carolus Fellapane de Neapoli, Episcopus Peteliae 1445.
Christianus de Altaripa, Episcopus Trecorii 1420.
Christophorus Episcopus Senogalliensis 1368.
Christophorus de Monte Politiano, Episcopus Scodrae in Albania 1401.
Clemens de Neapoli, Episcopus Telesiae 1398.
Clemens Romanus, Episcopus Verularum 1427.
Constantinus de Germulis, Episcopus Montis Corvini 1368.
Dionysius Episcopus Ariani prope Beneventum 1364.
Dionysius de Murcia, Archiepiscopus Messanae 1363.
Dionysius Restanus de Mutina, Episcopus patriae 1384.
Donatus Bottinius de Neapoli, Episcopus Sulmonis 1456.
Donatus de Benevento, Archiepiscopus Neopacensis 1366.
Donatus de Muriano, Episcopus Civitatis Novae in Istria 1403.
Emericus Episcopus Camocensis 1391.
Franciscus Bardi Florentinus, Episcopus Traconarae in Apulia 1398.
Franciscus Mellinus, Episcopus Senogalliensis 1428.
Franciscus Romanus, Episcopus S. Petri Toralbae in Sardinia 1411.
Gabriel de Garofolis, Episcopus Nuceriae Paganorum 1429.
Galvanus de Patavio, Episcopus Fori Sempronii 1363.

Digitized by Google

Garzia Henguy, Episcopus Bajonae in Gallia 1385.
Geminianus Episcopus M. Leonis in Calabria 1404.
Gerardus Episcopus Ariensis 1367.
Hermannus Euvah Suevus, Episcopus Nicopolis, et Suff. Pragae 1413.
Hermannus de Mulhusia Germanus, Episcopus Tullensis in Gallia, vel potius Tellensis in provincia Trevirensi 1391
Henricus de Luppia Teutonicus Episcopus Hipponensis 1387
Henricus Waldestain Teutonicus, Episcopus Petinae in Istria 1390.
Henricus Winter, Episcopus Caraciensis 1400.
Henricus Wogghersin Germanus, Episcopus Sebastensis in Armenia 1436.
Jacobus Episcopus Sardensis 1396.
Jacobus Episcopus Capitis Aquei 1390.
Jacobus de S. Angelo, Episcopus Nicoterae 1392.
Jacobus Romanus, Episcopus Andrensis 1369.
Jacobus Tholomei de Senis, Episcopus Grosseti 1383.
Jacobus Trebbi, Episcopus Anagniae 1399.
Inco Episcopus Ladimiriae, et Suff. Pragae 1379.
Joannes Episcopus Ticopolensis 1387.
Joannes Episcopus Insulae Aenariae 1436.
Joannes Episcopus Nonensis 1393.
Joannes Episcopus Nathurensis 1402.
Joannes Adami, Episcopus Sidoniae in Russia 1419.
Joannes Cassanus, Episcopus Sulchitanus in Sardinia 1417.
Joannes de Carepta, Episcopus Scardonae in Dalmatia 1428.
Joannes Morosini, Episcopus Civitatis Novae in Istria 1426.
Joannes de Ophiusa, Episcopus Sidonis 1381.
Joannes Ruiz Hispanus, Episcopus Neupatrensis, et Suff. Dertusae 1381.

Digitized by Google

Joannes de Ophiusa, Episcopus Bethlehem 1440.
Joannes de Patavio, Episcopus Civitatis Novae in Istria 1363.
Joannes de Pistis, Episcopus Seguntensis 1412.
Joannes de quinque Ecclesiis, Episcopus Labariensis 1392.
Joannes Schedeber Teutonicus, Episcopus Buduensis 1438.
Joannes de Serravalle, Episcopus Firmi, et postea Fani 1417.
Joannes Trevorus Episcopus Cicestriae 1399.
Joannes Waldebius, Archiepiscopus Eboracensis 1396.
Laurentius Lusitanus, Episcopus Megarae in Achaja 1410.
Leonardus de Pisauro, Episcopus Signinus 1393.
Lucas de Firmo, Archiepiscopus Jaderae 1400.
Lucas de Offida, Episcopus Adiacii 1429.
Ludovicus Episcopus Cortonae 1389.
Ludovicus Episcopus insulae Chii 1423.
Martinus de Torba, Episcopus Cardicensis 1389.
Matthaeus de Agrigento, Episcopus Bovae 1424.
Matthaeus de Franchemberga, Episcopus Ascalonensis 1391.
Matthaeus de Rhitymna, Episcopus Citei in insula Cretae 1405.
Matthaeus Senensis, Episcopus Chalcedonensis 1443.
Matthaeus Silvestri, Episcopus Hipponensis 1411.
Maurus Episcopus Milevitanus 1423.
Melillus de Sabanica, Episcopus Andriae 1390.
Michael Mantegazza Mediolanensis, Episcopus Alexandriae Statelliorum 1414.
Nicolaus Beruti Episcopus Massae in Senensi maritima regione 1391.
Nicolaus de Cascia, Episcopus Maceratae, et Recineti 1413.

Digitized by Google

Nicolaus Duffeld Episcopus Duncheldini in Scotia 1390.
Nicolaus Laurentii Episcopus M. Leonis in Calabria 1391.
Onuphrius Stecutus Florentinus, Episcopus patriae 1390.
Onuphrius de Sulmone, Episcopus Uxenti in Hydruntina regione 1405.
Pasquarellus Episcopus Asculi Apuli 1397.
Pasqualinus de Fossa Clodia, Episcopus patriae 1421.
Paulus Episcopus Civitatis Novae in Istria 1388.
Paulus Oliva, Episcopus Tariasonis in Aragonia 1390.
Paulus Stirius, Episcopus Petinae 1418.
Petrus Episcopus Telonae 1257.
Petrus de Alba Regali Hungarus, Episcopus Nicopolis 1390.
Petrus Amelius Episcopus Senogalliensis 1376.
Petrus de Arzeusis Gallus, Episcopus Montis Faliscorum 1376.
Petrus Assalbitus Episcopus Electae in Gallia 1421.
Petrus de Fano, Episcopus patriae 1389.
Petrus Matthaei de Senis, Episcopus Chalcedonensis 1404.
Petrus Robinus Episcopus Hipponensis 1433.
Petrus de Rupe Argentea, Episcopus Montis Viridis in Regno Neapolitano 1390.
Petrus Ulmer Episcopus Mitrovimatri, et Suff. Frisingae 1437.
Philippus Episcopus Lavacensis 1393.
Philippus Crespi de Messana, Episcopus Scylacaei in Calabria 1387.
Philippus Paruta, Episcopus Torcelli 1426.
Raymundus de Accono, Episcopus Apamiensis 1370.
Reginaldus Pecoy Episcopus Cicestriae 1404.
Robertus Lanfranchi de Pisis, Episcopus Bobii 1386.
Robertus de Rotvilla, Episcopus Fori Pompilii 1365.

Digitized by Google

Robertus Waldebius Episcopus Cicestriae 1395.
Rodulphus de Tiferno, Episcopus Senogalliae 1369.
Rogerius de Castro Petrae, Episcopus Venafri in Terra Laboris 1396.
Seraphinus Antonii, Episcopus Buduensis 1392.
Simon Episcopus Agathae in Gallia 1393.
Simon de Vigilantibus Episcopus Anconae 1410.
Stephanus de Viterbio Episcopus Fescenniae 1359.
Theodoricus de Domenslene, Episcopus Bersebensis 1391.
Theodoricus de Indagine, Episcopus Ruthenus 1367.
Thomas Radcliffus Episcopus Lincolniae 1368.
Thomas Winter Episcopus Seniae in Dalmatia 1411.
Ugolinus Nacci Episcopus Amerinus 1443.
Ugolinus Malabranca Urbevetanus, Episcopus Arimini 1370.
Victor de Arimino, Episcopus Caesenae 1419.
Vitalis de Faventia, Episcopus Meli in Arcipelago 1391.

Multo plures notantur apud Herreram, Torellium, Elssium etc.

SANCTIMONIALES AUGUSTINIANÆ, QUÆ SECUNDO POST UNIONEM SÆCULO FLORUERUNT.

Venerabilis Angela Chisia beati Joannis Chisii germana soror, omnia sua, seque ipsam Augustiniano Ordini donavit circa annum 1366. Ita pie sancteque postea vixit, ut beatae nomen post mortem, praesertim in Hetruria, consecuta fuerit.

Beata Bartholomaea de Albizeschis Nobilis Senensis,

Digitized by Google

amita S. Bernardini, post mortem viri sui, *vixit longo tempore* (ait Bzovius) *in S. Augustini. Instituto, et Regula, jejuniis, vigiliis, precibus, et sui corporis macerationibus vacans.* Admiranda fuit ipsius erga SS. Jesu Nomen devotio. Ad Coelos migravit anno 1401. aetatis suae 90.

Beata Catharina Tartara, cujusdam Principis Tartari filia, a Christianis capta, ac postea Monialibus Augustinensibus in Suecia tradita, idem Institutum amplexata, ita jugiter per pietatis semitam usque ad obitum ambulavit, ut statim post mortem instar lucidae cujusdam stellae ad Coelum ascendere visa fuerit. Floruit circa annum 1391.

Beata Constantia a Vita-Paupere Lusitana carebat visu oculorum, sed praestabat ea cordis munditie, quae ducit ad videndum Deum; quamobrem Angeli comitatu, qui illam ad Ecclesiam ducebat, domumque reducebat, meruit a Domino honorari. Postea Augustinianum Institutum una cum sorore Maria amplexata, fundavit Eborae monasterium Monialium nostrarum circa annum 1390. Ambae in eodem monasterio sanctissimae vitae cursum confecerunt, earumque reliquiae postea miraculis coruscarunt.

Venerabilis Joanna Romana, seu potius de Ostia, terreni sponsi nuptiis contemptis, sponsa Christi in Mantellatarum nostrarum Ordine esse maluit. Sanctitate florebat Romae tempore translationis B. Matris Monicae, in qua promovenda praecipuam ipsa partem habuerat.

Beata Julia a Certaldo Hetrusca, virginitatis gloria, poenitentiae rigore, ac miraculorum fama resplenduit circa annum 1372. Ejus cultus immemorabilis a Pio VII. Apostolicae sanctionis munimen accepit.

Venerabilis Margarita Thomai V. nostri Bartholomaei Thomai germana soror, Romae Augustinianum Institutum

Digitized by Google

amplexata, anno 1431. domum suam in nostrarum Mantellatarum collegium convertit, fuitque postea illius rectrix. Discessit e vita sanctitatis opinionem post se relinquens.

Beata Michaelina Ariminensis Mediolanum profecta, ibidem in coenobio S. Marthae inter Augustinenses Moniales hospitium sibi delegit, ibique Augustiniani Instituti amore capta, ejusdem Ordinis monasterium in patria fundandi consilium iniit. Quamobrem Ariminum reversa, viri venia obtenta, qui et ipse Mundum reliquit, propositum monasterium aedificavit, in eoque magnum effudit suae sanctitatis odorem. Florebat circa annum 1438. Post obitum miraculis claruit.

Beata Rita de Cascia, sanctitate, et miraculis toti Mundo notissima, quae inter caetera coelestia dona, signa Passionis Domini in fronte gestavit, floruit in Casciano nostrarum sororum monasterio, ad quod divinitus per SS. Joannem Baptistam, P. Augustinum, et Nicolaum Tolentinatem introducta fuerat, usque ad annum 1441. Sanctissimae viduae corpus ibidem adhuc incorruptum pie colitur, ejusque nomen ab Urbano VIII. anno 1637. Beatorum fastis adscriptum fuit.

Venerabilis Vannuccia Romana, venerabilis Margaritae discipula, cum immanissimis viscerum doloribus excruciaretur, petiit aliquas S. M. Monicae reliquias, quibus obtentis, statim liberata fuit. Floruit eodem tempore, quo praefata V. Margarita.

FINIS. SECUNDI SAECULI
ET VOLUMINIS PRIMI.

Digitized by Google

ERRATA		CORRIGE
Pag.	28. patratiotionem	patrationem
»	57. Paetorii	Praetorii
»	» Chtistianae	Christianae
»	75. sinuit	sivit
»	88. 1236.	1336
»	125. striptorum.	scriptorum
»	138. morum	morumque
»	157. 1831.	1830.
»	179. anno 1280. ortum habuit.	ortum habuit. Anno 1280. viginti etc.
»	235. dei	Dei.
»	349. 1796.	1396.

Alia praeli errata, quae lynceos etiam oculos quandoque effugiunt, ipse inter legendum, erudite lector, mente corrigere poteris; sic exempli gratia sicubi Aquiantiae invenies, leges Aquitaniae.

IMPRIMATUR

Tolentini die 6 *Aprilis* 1858.
P. Fr. Philippus Giorgi Aug. Vicarius S. Officii.

Vidit, et approbavit
J. Can. Bonelli Rev. Episcopalis.

Tolentini 23 *Aprilis* 1858.
Vidit ut typis mandetur A. Maccolini Gubernator.

Digitized by Google

APPROBATIO

Rm̃i P. M. Pauli Micallef, Ordinis nostri Vicarii Generalis, mandatis obsequentes, nos infrascripti libentissime perlegimus librum, cui titulus: *Postrema saecula sex Religionis Augustinianae*, a R. P. M. Josepho Lanteri concinnatum; nihilque in eo censura dignum, sed e contra sermonis puritatem et elegantiam, simulque indefessam in consulendis scriptoribus solertiam, maximumque in promovendo nostri sacri Ordinis decore zelum deprehendimus. Idcirco illum typis mandari posse putamus.

Romae ex coenobio S. P. Augustini die 30 *Martii* 1858.

F. JOSEPH GAJAZZA ORD. PROC. GEN.
Fr. Clemens Paglialunga
Assistens, et Bibl. Angelicae Praefectus.



NOS FR. PAULUS MICALLEF MELITENSIS
Sacrae Theologiae Mag. totius Ordinis Erem. S. P. Aug.
Vicarius Generalis etc.


Visa approbatione Rm̃i P. M. Josephi Cajazza nostri Ordinis Proc. Generalis, necnon Rm̃i P. M. Clementis Paglialunga ejusdem nostri Ordinis Assistentis, et hujus nostrae Angelicae Bibliothecae Praefecti, facultatem concedimus R. P. M. Josepho Lanteri praelo mandandi suum opus *Postrema saecula sex etc.* servatis tamen servandis. In quorum etc.

Dat. Romae ex coenobio S. P. Augustini die 2 *Aprilis* 1858.


FR. PAULUS MICALLEF
Vic. Generalis.

Digitized by Google


Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google